
COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM.

XXIII.

PATRES QUARTI ECCLESIÆ SÆCULI.



COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM,

COMPLECTENS

EXQUISITISSIMA OPERA

TUM DOGMATICA ET MORALIA, TUM APOLOGETICA ET ORATORIA;

ACCURANTIBUS

D. A. B. CAILLAU,

MISSIONUM GALLICARUM PRESBYTERO,

ET NONNULLIS CLERI GALLICANI PRESBYTERIS,

UNA CUM

D. M. N. S. GUILLON,

IN FACULTATE THEOLOGIÆ PARISIENSI ELOQUENTIÆ SACRÆ PROFESSORE, PREDICATORE REGIO, AUCTORE LIBRI CUI TITULUS GALLICÈ :

BIBLIOTHÈQUE CHOISIE DES PÈRES GRECS ET LATINS.

OPUS REGI DICATUM.

TOMUS VIGESIMUS TERTIUS.



PARISIIS,


APUD MÉQUIGNON-HAVARD, EDITOREM,

VIA VULGO DICTA DES SAINTS-PÈRES ;


BRUXELLIS, APUD EUMDEM;

PARISIIS, ANT. POILLEUX, BIBLIOPOLAM,

VIA VULGO DICTA CIMETIÈRE-S.-ANDRÉ-DES-ARCS.



M. DCCC. XXX.



PROSTAT INSUPER VENALE

LUGDUNI,

APUD **RUSAND**, BIBLIOPOLAM;

MONTIS PESSULANI,

APUD **VIRENQUE**, BIBLIOPOLAM;

PARISIIS,

APUD **GAUME** FRATRES, BIBLIOPOLAS

ROMÆ,

APUD **MERLE**, BIBLIOPOLAM.



TRECIS, E TYPIS CARDON,
VIA MOYENNE, N° 2.

EUSEBII PAMPHILI

CÆSARIENSIS

EPISCOPI

COMMENTARIORUM IN PSALMOS,

A PSALMO LXVIII USQUE AD PSALMUM CXVII.

PSALMUS LXVIII.

In finem, pro iis qui commutabuntur, ipsi David. [1]

« Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. » Quatuor psalmi « pro iis qui » commutabuntur » inscripti sunt. Duo Davidis, nempe hic quem tractamus et LIX. Filiorum Core unus, scilicet XLIV. Asaphi similiter LXXIX. in omnibus porro illius loco, « Pro iis qui commutabuntur, » Aquila, « Super « lilia, edidit; Symmachus vero, « pro floribus [2]. » Quadragesimus itaque quartus de Dilecto prophetiam, atque gentium Ecclesiæ a pejoribus ad meliora immutationem, complectitur. LIX. abjectionem Judaïci populi, alienigenarumque gentium ad præstantissima conversionem : rursum LXXIX. Judaïci populi lapsum, et Salvatoris nostri incarnationem significat. Jure itaque præsens item psalmus, « pro iis qui commutabuntur; aut, pro flori-

[1] Psal. LXVIII, 1. — [2] Ibid. 2.

» bus, » ut Symmachus; aut, « super lilia, » ut Aquila, inscriptus est : quia populi ex circumcisione ad pejora mutationem continet, qui cum liliis et floribus olim similes visi fuissent, jam ad deteriora declinarunt. Floribus autem illos Hesaïas comparat dicens : « Omnis caro » fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos fœni. Exsiccatum est fœnum, et flos decidit [1]. » Queis speciosum illum ad breve tempus florentem corporeum Judæorum cultum fœno et floribus confert. In præsenti quoque floridi eorum status ad deteriora mutationem et conversionem declarat in sequentibus ubi dicitur : « Fiat mensa » eorum coram ipsis in laqueum, et in retributionem et » in scandalum. Obscurentur oculi eorum, ne videant, » etc. » Et quia longis postea temporibus hæc eventura erant, necessario, « in finem, » inscriptum est. Et vero neque psalmus, neque canticum, neque hymnus, neque quid simile est : quia ea quæ subsequuntur non consentanea tali titulo erant. Quare dixeris prophetiam esse ex persona Servatoris nostri, enarrantis ea quæ sibi postea contigerunt; prædictionemque eorum quæ Judæis post tantos ausus illata sunt. Orditur itaque Servator orationem emittens ad Patrem his verbis : « Salvum me fac » Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam » meam[2]. » Videnturque mihi de industria hæc cum dictis in præcedenti psalmo conjuncta esse. In illo namque dicebatur : « Dixit Dominus, Ex Basan convertam, con» vertam ex profundo maris; in hoc vero, Veni in alti» tudinem maris, et tempestas demersit me[3]. » Oportuit enim edoceri nos quo pacto descenderit Dominus in Basan, quod est ignominia, et quomodo dixerit, « Conver« tam ex profundo maris. » Quare hæc ipsa in præsenti declarat : de ignominia quidem in sequentibus dicens,

[1] Esai, XL, 6. — [2] Psal, LXVIII, 3. — [3] Psal, LXVII, 23.

« Quoniam propter te sustinui opprobrium, operuit con-
» fusio faciem meam : ac rursus, Tu scis improperium
» meum et confusionem meam et reverentiam meam. »
De profundo autem maris illud, « Salvum me fac Deus,
« quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.
« Infixus sum in limo profundi, et non est substantia.
« Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me. »
Hæc enim magnam affinitatem habent cum iis quæ in
præcedenti psalmo dicta sunt, nempe in illo : « Dixit
» Dominus, Ex Basan convertam, convertam ex pro-
« fundo maris. » Quia in illo ipse Dominus sic dicebat;
et nunc quoque eumdem ipsum esse qui hæc loquitur
existimandum.

Ipse igitur quem non alium esse quam Dei Verbum superius demonstravimus, orationem effundit ad Patrem, hominis quem assumpsit cruciatus sibi proprios reputans : quare ait : « Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt
» aquæ usque ad animam meam. Infixus sum in limo
» profundi, et non est substantia. Veni in altitudinem
» maris, et tempestas demersit me [1]. Præcedens utique psalmus his compellabat : « Iter facite ei qui ascendit
» super occasum, Dominus nomen illi[2]. » Deinde suam cum hominibus commorationem enuntiabat dicens :
« Et exultate in conspectu ejus, patris orphanorum et
» judicis viduarum. » Discipulorum item et Apostolorum suorum vocationem declarabat in illo : « Dominus dabit
» verbum evangelizantibus, virtute multa. » Sub hæc ejus ad mortem descensum, et inde reditum docuit ita fatus, « Et Domini Domini exitus mortis; et in illo,
» Dixit Dominus, Ex Basan convertam, convertam ex
» profundo maris. » Ad hæc autem omnia, reditum ejus ad cœlum in eodem psalmo sic enarravit ; « Psallite Deo

[1] Psal. LXVIII, 4. — [2] Ps. LXVII, 5.

» qui ascendit super cœlum cœli ad orientem. » Hæc ibi. In præsenti autem, quæ quasi in transcursu tunc dicta fuerant fusius aperit, ostendens quo sensu dictum de Domino fuerit, « Et Domini Domini exitus mortis, » atque illud; Dixit Dominus, Ex Basan convertam, » convertam ex profundo maris. » Hæc enim fusius in præsenti enarrat dicens : « Salvum me fac Deus, quo- » niam intraverunt aquæ usque ad animam meam. In- » fixus sum in limo profundi, et non est substantia. Veni » in altitudinem maris, et tempestas demersit me. » Tentationes autem, vexationes et insultus impiorum vi- rorum aquas vocare Scripturæ mos est. Ita enim dicitur alibi : « Torrentem pertransivit anima nostra, forsitan » pertransisset anima nostra aquam sine fundo [1]. » Idip- sumque idem Servator docet his verbis : « Descendit plu- » via, venerunt flumina, flaverunt venti, et impege- » runt in domum illam, et non cecidit : fundata enim » erat supra petram [2]. » In his itaque dictis tentationes et insidias sibi paratas, aquas nuncupans, usque ad ani- mam suam venisse docet. De Jobo sane, tametsi strenuus athleta erat, dixisse Deum tentatori fertur : « Ecce » omnia quæcumque ipsi sunt do in manu tua, tantum » animam ejus servato [3]. » Hic vero ipsam animam tentator aggreditur, eam ipsam scilicet de qua Dominus dicit : « Nemo tollit animam meam a me : potestatem habeo » ponendi illam, et potestatem habeo accipiendi eam. » Et iterum : « animam meam pono pro ovibus meis, » et « Nunc anima mea turbata est; » et, « Tristis est anima » mea usque ad mortem [4]. » Quamobrem nunc quoque ait : « Quoniam intraverunt aquæ usque ad animam » meam; » sive secundum Symmachum, « Quoniam » accesserunt aquæ usque ad animam meam. » Deinde

[1] Ps. cxxiii, 5. — [2] Matth. vii. 25. — [3] Job. ii. 6. — [4] Joan. x. 18.

subjungit : « Infixus sum in limo profundi et non est sub- » stantia; » secundum Symmachum vero : « Immersus » sum in infinitas voragines, et non est status, » explicatur, et quidem e re admodum. Nam ubi nullus standi modus aliis erat, quia quotquot eo descenderant in perniciem ibant, et a fluctibus mortis detrahebantur, eodem accessi quando veni in altitudinem maris; sive secundum Symmachum, « Ingressus sum in profundum aquarum, » et fluctus inundavit me. » Et his similia Jonas propheta a ventre ceti precatus scribitur : ait igitur ille : « Circumfusa est mihi aqua usque ad animam meam, » abyssus ultima circumdedit me. Subiit caput meum » ad divisiones montium, descendi in terram, cujus » vectes sunt adminicula æterna [1]. » Quapropter exemplo Jonæ prophetæ usus Servator est ad eos, qui signum ab se petebant, dicens : « Generatio prava et adultera » signum quærit, et signum non dabitur ei, nisi signum » Jonæ prophetæ. Sicut enim fuit Jonas propheta in » ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus; sic erit et » filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus » noctibus [2]. » Cor terræ vocat id quod hic dicitur profundum maris, inferni loca subindicans. Quamobrem in Job quoque oracula fundens ipse Dominus similia declaravit dicens : « Venisti autem ad fontem maris, in vesti- » giis vero abyssi deambulasti. Aperiuntur tibi timore » portæ mortis : ostiarii inferni videntes te conterriti » sunt [3]. »

Vides autem quomodo hic quoque cum fontem maris nominasset, et adjecisset, « In vestigiis abyssi ambu- » lasti, » declaret quid sit abyssus, quid mare, subjiciens : « Aperiuntur autem tibi timore portæ mortis, » ostiarii vero inferni videntes te conterriti sunt. » Hic

[1] Joan. II, 6. — [2] Matth. XII, 35, — [3] Job. XVIII, 19.

igitur etiam profundum maris mortis regiones adumbrat, quo descendens Salvator et Dominus noster, solus inde regressus est. Quare in præcedenti quoque psalmo dicebatur : « Et Domini Domini exitus mortis; » ac rursum : « Dixit Dominus, Ex Basan convertam, convertam ex » profundo maris. » Pro illo autem, « Et tempestas de- » mersit me, » Aquila, « Et profluvium inundavit me; » Symmachus vero, « Et fluctus inundavit me, » interpretati sunt. Nam veri simile est adversarias potestates in circuitu ejus stetisse, quando ingressus mare confregit capita draconum in aqua. Quocirca in præcedenti psalmo dicebatur : « Et Domini Domini exitus mortis. Ve- » rumtamen Deus confringet capita inimicorum suo- » rum. » Non enim alio modo illos mortis exitus pertransisset, nisi confregisset capita inimicorum suorum, qui istic erant. Quod si quis hæc eo dixisse Davidem putet, quod ipse in multas tentationes inciderit; is perpendat quomodo possint isthæc Davidi competere, « Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt » me aceto; » aut illud, « Fiat mensa eorum coram ipsis » in laqueum, et in retributiones et in scandalum. » Obscurentur oculi eorum ne videant, et dorsum eorum » semper incurva. » Cæteraque his similia si quis sibi collegerit, Davidis personæ nullatenus congruere deprehendet. Interpretationi autem illi de Servatore nostro evidentibus argumentis fidem conciliat sacrorum Evangeliorum testimonium, cum ab allato Jonæ exemplo, tum ex hujus psalmi dicto, « Quoniam zelus domus tuæ » comedit me, » quod in Evangelio secundum Joannem ipsissimis verbis impletum declaratur, ubi dicitur : « Et » ascendit Jesus Jerosolymam, et invenit in templo ven- » dentes oves et boves et columbas[1]. » Deinde postquam

[1] Joan. II, 13.

ejecisset eos dicens: « Auferte ista hinc; nolite facere do- » mum Patris mei domum negotiationis, » subdit Evangelista : « Recordati sunt discipuli ejus quia scriptum est, » Zelus domus tuæ comedit me. » Sed etiam illud, « De- » derunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt » me aceto, » quod in hoc psalmo habetur, ex persona Salvatoris nostri dictum declaratur secundum Joannem qui ait : « Postea videns Jesus quia omnia consummata » sunt, ut impleretur Scriptura, dixit, Sitio. Vas erat » positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam » aceto cum felle hyssopo circumponentes, obtulerunt » ori ejus. Cum ergo accepisset Jesus acetum cum felle, » dixit [1] : Consummata est et hæc Scriptura, » et cætera quæ ad personam Servatoris nostri referuntur, et sine ulla violentia interpretationem hanc tuentur.

« Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ, » defecerunt oculi mei dum spero in Deum meum [2]. » Hæc quoque in Evangelio secundum Joannem impleta feruntur, quando stabat Jesus et his verbis clamabat : « Si « quis sitit, veniat ad me et bibat [3]. » Rursus quoque dictum est : « Jesus autem clamabat et dicebat : Qui cre- » dit in me, non credit in me, sed in eum qui me misit. » Et qui videt me, videt eum qui misit me. Ego lux » in mundum veni, ut omnis qui credit in me, in tene- » bris non maneat [4]. » Et super Lazarum elevatis oculis suis in cœlum dixit : « Pater gratias ago tibi quia audisti » me. Ego autem sciebam quia semper me audis. Et cum » hæc dixisset, voce magna clamavit : Lazare veni fo- » ras [5]. » Sed etiam de ipso passionis tempore hæc narrat Matthæus : « A sexta autem hora tenebræ factæ sunt » super universam terram usque ad horam nonam. Et

[1] Joan. XIX, 28. — [2] Ps. LXVIII, 4. — [3] Joan. VII, 37. — [4] Joan. XII, 44. — [5] Joan. XI, 41.

» circa horam nonam clamavit Jesus voce magna dicens, » Eli, Eli, Lema Sabachthani[1]. » Tunc itaque cum hominibus degens, clamando omnes cohortabatur, ut venirent maturarentque ad ejus doctrinam : et quatriduanum mortuum clamore magno evocabat. Sed etiam circa nonam passionis horam, clamabat voce magna : ac postea rursum, « Clamans voce magna emisit Spiritum. Et ecce » velum templi scissum est in duo, et terra mota est, et » petræ scissæ sunt, et monumenta aperta sunt, et multa » corpora sanctorum qui dormierant resurrexerunt. » Hæc scilicet magna ipsius vox edere poterat. Quod si quis consideret qui ab illo ad hoc usque tempus per totum orbem in Ecclesiis suis ipse clamet, cohortans singulos ut maturent ad vivificum ipsius potum, ac revocans illos qui mortalibus peccatis extincti sunt; audiat item clamantem passione sua ad totum orbem, magis quam tunc ad Sionem, siquidem « in omnem terram exivit so» nus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum ; » is sane sciet cur in præsenti ex ejus persona dictum sit, « Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ[2]. » Nam vocis ejus perseverantiam his indicat. Non enim cum semel clamasset abscessit; sed semper Discipulorum voce clamat et ad omnium animas vociferatur : semper item ad Patrem clamat pro iis, qui in ipsum crediderunt. Quare deinde subjungit : « Defecerunt oculi mei dum » spero in Deum meum. » Pro illo autem, « defecerunt, » Aquila, « Confecti sunt, » ait, « oculi mei, expectantes » Deum. » Clamabat porro et vobiferabatur ob multitudinem inimicorum suorum. Quod his verbis declarat : « Multiplicati sunt super capillos capitis mei qui oderunt » me gratis. Quod si Ecclesia ejus sit corpus ejus secun» dum Apostolum, qui id docet his verbis : « Vos autem

[1] Matth. XXVII, 45. — [2] Psal. XVIII, 5.

» estis corpus Christi, et membra ex parte[1]; » dixeris membra corporis quæ magis necessaria sunt, atque ut ita dicam, sensus, eos ex populo esse qui necessarii habentur; ut verbi causa, caput præfecti fuerint; os, magistri; aures, prudentes auditores; oculi, qui in Scripturis perspicaces sunt; manus, qui rebus agendis promptiores : atque cum quadam proportione sic reliqua corporis membra distribuantur. Pari modo capillos intelligas esse multitudinem totam, ac superfluam turbam eorum, qui aliquem ornatum toti corpori conciliant, neque tamen perinde necessarii sunt ac reliqua membra. Talibus igitur capillis multo plures numero fuerint qui alieni sunt a fide, utpote qui in lata et spatiosa via incedant. Quamobrem dictum est : « Multiplicati sunt super capillos ca- » pitis mei qui oderunt me gratis. » Gratis autem odisse dicuntur, qui nullam proferre valent odii causam, ut qui salutare Verbum persequuntur, cum nulla incusandi ejus ratio suppetat. Pro illo autem, « Qui oderunt me gratis, » Symmachus, « Odientes me, » inquit, « sine causa. » Illi itaque, ait, multiplicati sunt plus, quam capilli capitis mei. Quin etiam confortati sunt inimici persequentes eum. Et sane videre est, quo tempore persequendi facultas datur, confortari, extolli, multaque posse inimicos ejus. Injuste autem persequuntur illum, et gratis oderunt. Cum enim nulla subsit inimicitiæ causa, neque consentaneam rationem proferre valeant cur persequantur, injuste tamen vexant. Ille vero cum nihil rapuerit, nihil injuriæ intulerit, supplicium luit. Nam si secundum leges pœnæ a reis repetendæ sint, neque ipse neque germani ejus Discipuli aliquo in facinore deprehensi sunt. Jure ergo ait : « Quæ non rapui tunc exolvebam. » Ac tempore passionis suæ gratis cruciabatur, et supplicium lue-

[1] 1 Cor. xii, 27.

bat, cum nulli injuriam fecisset. Quare tunc dicebat : « Quæ non rapui tunc exolvebam; » sive secundum Aquilam : « Quæ non violenter abstuli tunc restituebam. »

« Deus tu scis insipientiam meam [1]. » Quemadmodum divinus Apostolus « stultum Dei, » passionem Salvatoris; et crucem, infirmitatem inculpate vocavit dicens : « Cru- » cifixus est ex infirmitate [2] : » ac rursum : « Nos autem » prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem « scandalum, gentibus autem stultitiam : quia quod » stultum est Dei, sapientius est hominibus : et quod in- » firmum est Dei, fortius est hominibus [3]; » sic et in præsenti non aberraveris, si insipientiam hic memoratam pari ratione intelligas atque stultitiam ab Apostolo dictam. Sed sicut novit Dominus qui sunt ejus, quoniam quidam selecti homines sunt Dei cognitione dignati; ita hoc loco insipientia illa, quæ digna est Dei cognitione, magnam profundamque rationem habuit. Neque enim præter voluntatem ac præter cognitionem tuam fuit illa insipientia mea. Quænam illa, nisi quæ talis a multis reputatur? Sicut enim insipientia illa Græcis insipientia æstimabatur; secundum profundam vero Dei rationem, ad melius vertebatur; et quod ab hominibus stultum putabatur, sapientius erat hominibus; nam Deo placuit per stultitiam prædicationis credentes salvos facere : sic et stultitia, quam propter nos subiit, humilians seipsum, formam servi accipiens, et usque ad mortem accedens, sapientior ipsa hominum sapientia erat. Nam crucis ratio pereuntibus quidem, inquit Apostolus, stultitia est. Quod si stultitia et insipientia est, nobis tamen salutem nactis virtus Dei est. Hanc igitur insipientiam et stultitiam non ignoravit Deus; nam ipsius judicio extitit. Ideo ait : « Deus tu scis insipientiam meam. » Nos vero Sym-

[1] Psal. LXVIII, 6. — [2] 2 Cor. XIII, 4. — [3] 1 Cor. I, 25.

machus ab hac re expidivit, sic interpretatus : « Deus tu » scis imperitiam meam; » imperitiam scilicet quæ in hominibus est. Nam cum ab hominum malitia alienus esset, hanc probam imperitiam Patris sui cognitioni assignat. Alibi quoque divina Scriptura insipientiæ Salvatoris meminit, hisque consonat. Scriptum itaque est in Proverbiis : « Hæc dicit vir credentibus Deo, et cesso. » Stultissimus enim sum omnium hominum, et pruden- » tia hominis non est in me. Deus docuit me sapientiam, » et cognitionem sanctorum novi[1].» In his namque se omnium hominum insipientissimum pronuntiat, et prudentiam hominis se non habere dicit : sed tamen ab ipso Deo edoctum se spiritualem sapientiam, et cognitionem sanctorum nosse narrat. Sed etiam, inquit, « delicta mea » a te non sunt abscondita. » Nam si quædam in me delicta essent, ob quæ me cruci destinaverint, sane tu primus nosses, cui latere nihil potest; sed nulla erant. Quare qui oderant me, gratis oderant : et qui persequebantur me, injuste quæ non rapui exigebant. Quia vero falsos testes et sycophantas ad me accusandum subornarunt, tu nosti, inquit, Deus num quid peccatum a me sit. Neque enim si quædam mihi delicta inessent, tibi essent occulta. Et alias, si nostra ipse peccata abstersit, et factus est pro nobis maledictum, ita ut de illo dicatur : « Ipse peccata » nostra portat, et pro nobis cruciatur. Et ipse vulnera- » tus est propter peccata nostra, infirmatus est propter » iniquitates nostras. Et Dominus tradidit eum peccatis » nostris[2]. » Hæc, inquit, delicta pro hominibus suscepi : tu nosti Deus, quia non abscondita tibi sunt. Neque enim præter consilium tuum isthæc suscepi. Quare illa notitia tua digna effecisti.

« Non erubescant in me qui expectant te, Domine,

[1] Prov. xxx, 2. — [2] Isai, xiii, 4.

» Domine virtutum[1]. » Quia doctrinam meam sapientes hujus sæculi criminantur, ipsamque pellunt ut insipientia et stultitia plenam propter ignominiosam crucem, precor ac rogo, eos qui credunt in me abs te servari immutabiles, ita ut nunquam erubescant. Quare tu ipse Domine, Domine virtutum, eos qui propter cognitionem tuam a me traditam impugnantur, qui gravia semper patiuntur, et usque ad mortem perseverant, ne derelinquas, ne in me sperantes confundantur, qui te Deum Israël exquirunt. Etiamsi enim te olim non noscerent, quia dæmonibus malis subditi erant : at jam cum te noscant, in omnium oblivionem venerunt, teque solum quærendo perseverant. Quamobrem supplico ne confundantur, neu « ignominia afficiantur, » sic enim interpretatus Symmachus est : « Ne confundantur super me, qui expectant » te Domine Deus virtutum, ne ignominia afficiantur super me qui quærunt te, Deus Israël. » Observes porro quomodo dictum sit, « Domine, Domine virtutum; » ita ut nomen Domini repetitum, et ad Deum universorum relatum sit.

« Quoniam propter te sustinui opprobrium, operuit » confusio faciem meam[2]. » Cæteri, inquit, homines ob peccata sua correptionibus et opprobriis subjiciuntur : ego vero qui peccatum non novi, propter te sustinui opprobrium, quia tu ipse Deus hominum amator, pro humano genere me peccatum fecisti; ut qui credunt in me, justitia efficiantur. Imo etiam « propter te sustinui op» probrium, » cum ex voluntate tua me ad nihilum redegi, et ad mortem usque depressi, quo tempore prætereuntes blasphemabant, moventes capita sua et dicentes : « Vah qui destruis templum, et in tribus diebus ædificas, » salvum fac temetipsum. Si filius Dei es, descende de

[1] Psal. LXVIII, 7. — [2] Ibid. 8.

» cruce. Similiter et principes sacerdotum illudentes » cum sacerdotibus et Scribis et Pharisæis dicebant : » Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. » Si rex Israël est, descendat nunc de cruce, et credemus » ei. Speravit in Deum, eripiat eum, si vult eum. Dixit » enim, quia filius Dei sum[1]. » Hæc nunc vaticinans dicit : « Quoniam propter te sustinui opprobrium, operuit » confusio faciem meam. » Non enim ob peccata et improba facinora mea; sed propter te prædictum opprobrium sustinui, et operuit confusio faciem meam; sive secundum Symmachum, « Operuit ignominia faciem » ejus. » Et hæc omnia, inquit, propter te passus sum, id est, propter voluntatem tuam. Quinetiam « extra» neus factus sum fratribus meis, et peregrinus filiis ma» tris meæ[2].» Duos hic ordines significat; alterum eorum qui vere fratres ejus erant, quibus extraneus factus est; alterum eorum qui filii matris ejus erant, sed non fratres ejus, quibus peregrinus effectus est. Et tamen oportuit filios matris ejus, cum fratres ejus essent, perinde atque priores nuncupari fratres. At filios matris fratres non vocavit, utpote alios et diversos a priore ordine eorum qui fratres vocati sunt. Fratres ergo ejus, Discipuli existimandi, de quibus alibi dicit : « Narrabo nomen tuum » fratribus meis, et in medio Ecclesiæ laudabo te. [3] » Et in Evangelio post resurrectionem ex mortuis, cum Mariæ visus est, dicebat : « Vade ad fratres meos, et dic il» lis : Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, » Deum meum et Deum vestrum[4]. His itaque fratribus suis extraneus factus est tempore prædictæ passionis, quando omnes Discipuli ejus relicto eo fugiebant, ipseque præcipuus Apostolorum Petrus ter negavit eum. His peregrinus et extraneus effectus est. Filiis item matris suæ,

[1] Matth. XXVII, 40. — [2] Psal. LXVIII, 9. — [3] Psal. XXI, 23. — [4] Joan. XX, 17.

qui fratres sui non erant, peregrinus fuit. Meminit porro Evangelium fratrum et Matris ejus, ubi cum venisset in patriam suam, docebat in Synagoga, ita ut ipsi stuperent ac dicerent : « Unde huic sapientia hæc? Nonne hic est » fabri filius? Nonne mater ejus et fratres ejus, et sorores » ejus omnes apud nos sunt? Unde huic hæc omnia?[1] » Si igitur filios matris ejus in hoc psalmo sic vocatos, pro istis accipiamus, necesse est nos sanctam Virginem, reliquorum fratrum ejus matrem dicere (1). Verum Jacobus qui dicitur frater Domini, non videtur peregrinus ipsi fuisse, nec fidei in ipsum extraneus; imo vero unus ex iis qui cum primis inter germanos ejus Discipulos erant, ita ut ipse primus Jerosolymitanæ Ecclesiæ thronum acciperet. Reliqui item ejus fratres, etsi a principio non crederent in ipsum, at certum est eos postea credidisse. Narrat enim Evangelium, Matrem et fratres ejus foras stetisse quærentes eum alloqui. Et in Actibus Apostolorum dicitur, fuisse Apostolos una perseverantes in oratione cum Maria matre ejus et fratribus ejus. Qui ergo existimetur iis peregrinus esse? Nullus itaque locus superest ut de iis dicatur, « Extraneus factus sum fratribus meis, et pere- » grinus filiis matris meæ.[2] » Non enim iis peregrinus, sed multum pretiosus erat : ita ut nullatenus credere liceat memoratos fratres ejus, filios Mariæ fuisse. Alii sane fuerint qui in psalmo filii matris ejus dicuntur, quibusque extraneus factus est. Intelligas porro matrem quidem ejus esse Judæorum Synagogam omnemque cognationem secundum carnem, eorum scilicet qui ex circumcisione erant; filios vero hujusmodi matris, eos qui ipsum abnegarunt, ac dixerunt, « Hunc autem nescimus unde sit[3]. » Ideo, cum illum peregrinum existimarent, dicebat eis : « Cur loquelam meam non nostis, quia non potestis au-

[1] Matth. XIII, 54. — [2] Act. I, 14. — [3] Joan. IX, 29.

» dire sermonem meum[1]. » Peregrinum etiam illum putabant cum dicerent : « Nonne bene dicimus nos, quia » Samaritanus es tu, et dæmonium habes[2]? » Quare dicebat eis : « Ego veni in nomine Patris mei, et non accipitis me; si alius venerit in nomine proprio, ipsum » accipietis[3]. » Sic igitur peregrinus et extraneus factus est filiis matris suæ.

Hæc porro omnia sustinuit ob eam, quæ mox adfertur, causam, quam necessario aperit dicens : « Quoniam » zelus domus tuæ comedit me, et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me[4]. » Quia enim multa usus fiducia, eos qui domum Patris sui, domum negotiationis et speluncam latronum faciebant, coarguebat et pellebat; ideo insidiabantur ipsi. Quod declarat Evangelista dicens : « Et prope erat Pascha Judæorum, et ascendit » Jesus Jerosolymam : et invenit in templo vendentes » oves et boves, et nummulariorum effudit æs et mensas. » Et iis qui columbas vendebant dixit : Auferte ista hinc, » et nolite facere domum Patris mei, domum negotia- » tionis[5]. » Quibus subjungit, « Recordati sunt disci- » puli ejus quia scriptum est, Zelus domus tuæ comedit » me. » Sed etiam opprobria exprobrantium Deo in se recipiens, eorum ultor fuit : quamobrem dicebat, « Et » opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. » Non ferens enim eos qui operibus suis opprobrium religionis legibus inferebant, principes gentis coarguebat. Quare turbas et Discipulos suos cohortabatur dicens : « Super cathedram Moysis sederunt Scribæ et Pharisæi : » omnia ergo quæcumque dixerint vobis facite et ser- » vate, secundum opera autem eorum nolite facere. » Dicunt enim, et non faciunt[6]. » Deinde vero arguens

[1] Joan. VIII, 43. — [2] Ibid. 48. — [3] Joan. V, 43. — [4] Psal. LXVIII, 10. — [5] Joan. II, 13. — [6] Matth. XXIII, 2.

hæc in eorum personam proferebat : « Væ vobis Scribæ » et Pharisæi hypocritæ, quia clauditis regnum cœlo- » rum in conspectu hominum; » ac rursum, « Væ vobis » Scribæ et Pharisæi, quia similes estis sepulcris dealba- » tis [1]. » Ob tales itaque correptiones, insidias ipsi para- runt. Quapropter hic ait : « Zelus domus tuæ comedit » me, et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super » me. Et operui in jejunio animam meam, et factum est » in opprobrium mihi. » Cum, inquit, domum tuam viderem omni iniquitate repletam, et modo domum ne- gotiationis, modo speluncam latronum effectam, divino incensus zelo, eos qui intus iniquitatem operabantur ejeci. Imo etiam cum nefariis gestis suis opprobrium tibi Deo inferrent, erga quem tamen religionem profiteban- tur, in me rursum opprobria hujusmodi recipiens, ne- cessitate compulsus, correptiones ipsis ad remedium admovebam. Ut videbam autem illos nullo sensu moveri, neque resipiscere ex reprehensione mea, eorum perni- ciem deplorans jejunabam, meque illorum causa mace- rabam. Illi autem tunc etiam exprobrabant mihi, et jejunium meum profusis cachinnis irridebant. Cum vel- lem porro exemplum pœnitentiæ ipsis proponere, non modo jejuniis me macerabam, sed etiam pro vestimento ponebam cilicium, carnem meam castigans et puniens, atque ipso opere modum confessionis atque purgationis pristinorum peccatorum ipsis commonstrabam. Illi vero hæc quoque deridentes pro parabola me habuerunt, si- mul convenientes, et ad portas suas sedentes, de me una colloquia miscentes, ac mutuo nugas spargentes dum me irriderent. Neque sat illis fuit quod me delude- rent, atque ob mea pro illis suscepta exercitia ridiculum agerent; sed etiam convivia agentes, cantilenas vino

1 Matth. XXIII, 27.

capti et ebrii, in me debacchantes edebant. Qua de causa ego multo magis operiebam in jejunio animam meam, et ponebam vestimentum meum cilicium, exitium ipsorum deplorans. Quare secundum Aquilam dicitur : « Et plo- » ravi in jejunio animam meam, et factum est in oppro- » bria mihi. Et dedit vestimentum meum saccum, et » factus sum illis in parabolam[1]. Colloquebantur in me » sedentes ad portam, et psalmi bibentium ebrietatem[2]; » secundum Symmachum autem : « Et ploranti post jeju- » nia animam meam, factum est in opprobrium mihi. » Et ponens indumentum meum saccum, et factus sum » illis in parabolam. Enarrabant me sedentes in porta, » et psallebant me bibentes ebrietatem. » At horum occasione disquirendum est, cur a Servatore dictum in Evangelio fuerit : « Venit Joannes neque manducans, » neque bibens, et dicunt : Dæmonium habet. Venit fi- » lius hominis manducans et bibens, et dicunt : Ecce » homo vorax et potator vini, publicanorum et pecca- » torum amicus[3]. » Sed dicas hæc initio Evangelii facta esse, quando eo quod Discipuli ejus non jejunarent, pro ipsis, objecta depellens, dicebat : « Non possunt filii tha- » lami sponsalis jejunare, quamdiu cum illis est sponsus : » auferetur ab eis sponsus, et tunc jejunabunt[4]. » Viden, quod ipse quoque jejunii tempus probe sciret? Si ergo tempus passionis ipsius cum iis quæ jam tractamus contuleris, deprehendes quomodo hæc completa fuerint, quando sublato demum sponso, Discipuli ejus jejunabant. Neque veri absimile est, cum prævidentem se brevi post tempore ipsis extraneum fore, et totum ex circumcisione populum sanguinem suum postulaturum esse, Petrum negaturum, et talia contra se perpetranda esse, ut futurum esset tenebras omnia circum obvolvere, solem ip-

[1] Psal. LXVIII, 12. — [2] Ibid. 13. — [3] Matth. XI, 18. — [4] Matth. IX, 15.

sum obscurari, velum templi scindi, omniaque olim in Israële veneranda everti, nimirum regnum eorum, sacerdotium et sancta sanctorum, omniumque eorum abjectionem et excidium confertim futurum : non veri, inquam, absimile est, ipsum horum causa macerasse in jejunio animam suam, et posuisse vestimentum suum saccum. Qua de causa impii homines ipsum irridebant, dum loco parabolæ futilibus suis sermonibus nugarentur; alioque diei tempore in portis collecti, eos qui præteribant per calumnias in ipsum structas in errorem deducerent; tempore autem cibi, vino et ebrietati vacantes, cantilenas contra ipsum ederent. Quare ille operiebat in jejunio animam suam, et ponebat indumentum suum saccum, idque pro aliorum salute ex bonitatis exuperantia præstabat.

« Ego vero orationem meam ad te Domine, tempus » beneplaciti Deus : in multitudine misericordiæ tuæ » exadi me[1]. » Illi quidem, ait, deridebant, afflictionemque meam traducebant. Ego vero perseverabam orationem meam tibi Domino offerens. Observes porro velim, Hebraïcam Scripturam hic quoque quatuor litterarum voce Dominum exprimere. Te vero Dominum deprecans dicebam : « Tempus beneplaciti Deus ; » sive secundum Symmachum, « tempus reconciliationis. Deus » in multitudine misericordiæ tuæ exaudi me. » Nam si alias vox tua Patris mei mihi hæc testificata est, « Hic » est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui[2]; » nunc maxime tempus beneplaciti est : quare precor ut in multitudine misericordiæ tuæ exaudias me, et in veritate salutis tuæ serves me. Non humanam quippe postulo salutem, sed veram. Talis porro est quæ ex te provenit, qua me rogo eripi a luto ut non infigar. A quo luto, nisi

[1] Psal. LXVIII, 14. — [2] Matth. III, 17.

de quo superius dicebam, « Infixus sum in limo profundi » et non est substantia? » Nam qui superius limus profundi dictus est, hic lutum vocatur. His porro significat solutionem corporis in morte, de qua in alio sic loquebatur : « Non derelinques animam meam in inferno, nec » dabis sanctum tuum videre corruptionem [1]. » Qui igitur a morte detinentur, corruptionem passi, in eaque constituti, cum in ea permanserint, infixi sunt in luto : ego vero etiamsi descenderim, ad lutum usque humilians meipsum, precor tamen his verbis : « Eripe me de luto, » ut non infigar[2]. » Quæ porro subsequuntur, virtutes in ipsa morte sitas denotant, a quibus eripi se rogat dicens : « Liberer ab iis qui oderunt me, et de profundis aqua- » rum. Non me demergat tempestas aquæ, neque ab- » sorbeat me profundum[3]. » Hæ vero aquæ, et dracones in ipsis degentes, superius indicabantur in illo : « Salvum » me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad ani- » mam meam. Infixus sum in limo profundi, et non est » substantia. Veni in altitudinem maris, et tempestas » demersit me. » Sed prius quidem ejus in aquas descensus declarabatur; in his autem regressus inde notatur. « Liberer, *inquit*, de profundis aquarum, » et, « non » me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me » profundum, neque urgeat super me puteus os suum. » Cæteras quippe hominum animas mors absorpsit, et prævaluit, ac puteus ursit, et conclusit ore suo. Puteus autem ore instructus, ipsa mors esse dicatur, quæ ab initio omnes isthuc delapsos deglutivit : et postquam deglutivit, momordit, ac si occlusisset os suum, ne quis inde reverteretur. Mecum autem ne pari modo agatur. Quare tibi Patri supplico dicens : « Non me demergat tempestas » aquæ, neque absorbeat me profundum, neque urgeat

1 Psal. XV, 10. — 2 Ps. LXVIII, 15. — 3 Ibid. 16.

» super me puteus os suum; » sive secundum Symmachum, « Neque obturet super me puteus os suum. » Et jam quidem aquas, profunda et puteum memorat : in vigesimo autem primo psalmo eadem ipsa aliis vocabulis indicat dicens : « Erue a framea Deus animam meam, et » de manu canis unigenitam meam. Salva me ex ore leo- » nis, et a cornibus unicornium humilitatem meam[1]. » Et hæc de adversariis potestatibus in inferno, ut vocant, degentibus dicta sunt, ut in hujusmodi locorum explicatione declaravimus.


« Exaudi me Domine, quoniam benigna est misericor- » dia tua, secundum multitudinem miserationum tua- » rum respice in me[2]. » Hic quoque ineffabili apud Hebræos voce Servator Patrem suum invocat dicens : Quia hæc et illa rogavi, ut ne infigar in luto, ut liberer a profundis aquarum, et cætera quæ sequuntur, ideo annue obsecrationi meæ, o Domine, « quoniam benigna est » misericordia tua, et secundum multitudinem misera- » tionum tuarum respice in me. Non avertas faciem tuam » a puero tuo[3]. » Quibus rogat ut respiciat, nec avertat faciem suam a se, ut quasi magnus agonotheta probet quod certamen subierit, quam patientiam et humilitatem; de qua gloriatus, Patrem rogat ut ne avertat faciem suam, sed se respiciat. Dehinc subjungit : « Quo- » niam tribulor, velociter exaudi me; » sive secundum Aquilam, « Quia angustum mihi, velociter exaudi me. » Hanc porro sententiam intelligas, si consideres quod dictum est : « Angusta et arcta via est, quæ ducit ad vitam, » et pauci sunt qui ingrediuntur per eam[4]. » Ipse igitur, qui primus hac angusta et arcta via incessit, dicebat : » Quoniam angusta mihi, » et « quoniam tribulor, velo- » citer exaudi me. » In superioribus quoque tribulatio-

[1] Psal. XXI, 21. — [2] Psal. LXVIII, 17. — [3] Ibid. 18. — [4] Matth. VII, 14.

nem et angustiam suam sic declarabat : « Et operui in » jejunio animam meam, et factum est in opprobrium » mihi. Et posui vestimentum meum saccum. » Patrem itaque rogabat hæc ut respiceret, et consideraret quæ pro nobis certamina sustinuerit. Quare dicebat : « Intende » animæ meæ et libera eam[1]. » Deinde vero recte facta ostendens sua, quæ ut ille respiciat obsecrat, pergit : « Propter inimicos meos eripe me. Tu scis improperium » meum et confusionem meam et reverentiam meam[2]. » Quemadmodum enim supra dicebat, « Tu scis insipien- » tiam meam, et delicta mea a te non sunt abscondita; » sic et nunc, tua, inquit, cognitione digna sunt impropera mea. De illis quoque superius agebat dicens : « Op- » probria exprobrantium tibi ceciderunt super me. » Quandoquidem igitur ex judicio tuo et nutu opprobria sustinui et ignominia plenam passionem, ideo dico, « Tu » scis improperium meum et confusionem meam et re- » verentiam meam. » Confusionem nosti meam, non indignam notitia tua; et reverentiam seu pudorem, quem sustinui, cum « dorsum meum dedi ad flagella, et faciem » meam ad alapas. » Neque pari atque ego ratione cruciantes me nosti : neque enim illi cognitione tua digni. Quare de illis dico : « Contra te sunt omnes qui tribulant » me[3]. » Ita porro contra te sunt, ut contraria tibi eligentes : meque cruciant, nihil utilitatis ex ministerio meo nacti, atque in suam perniciem cruciant. Addit postea : « Improperium expectavit cor meum et mise- » riam. » Quod clarius interpretatus Symmachus est dicens : « Improperium confregit cor meum, et dolebam ; » Aquila vero, « Improperium, *inquit*, contrivit cor » meum, et desperatus sum. »

« Et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit; et

[1] Psal. LXVIII, 19. — [2] Ibid. 20. — [3] Ibid. 21.



» qui consolaretur, et non inveni. Et dederunt in escam » meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto. » Secundum Symmachum autem : « Et expectabam qui simul contristaretur, et non fuit, et consolantem, et non » inveni. Et injiciebant in cibum meum fel, et in siti mea » potaverunt me aceto[1]. » Discipulos ejus tempore passionis, ipso derelicto, effugisse, neque tamen dolore vacuos fuisse, docet Evangelium. Cum enim Petrus flevisse amare scribatur, ac reliqui congregati in domo una latuisse propter metum Judæorum ferantur, nequaquam dolore vacui erant. Hæc igitur de choro Apostolorum dicta fuisse putare consentaneum non est; sed de cruciantibus illum de quibus dictum : « Contra te sunt omnes qui » tribulant me. » Ego quippe omnia pro illorum salute agebam, operiens in jejunio animam meam, sacco utens indumenti loco; illi vero iis contraria perpetrabant, modo exprobrantes traducentesque jejunia mea, mox in compotationibus suis contra me psallentes, ac omnia potius agentes, quam ut mecum contristarentur. Ego vero pro illis dolore afficiebar; illi vero non una mecum dolebant et angebantur : nec quispiam inter illos fuit qui me consolaretur. Sed nihil contra me non aggredientes, in escam meam fel injecerunt, etiamsi ego lautos illis cibos apposuissem; sitienti vero mihi acetum pro potu offerebant. Hujusmodi vero mihi fel miscebant, quale declarat propheticus sermo dicens : « Quomodo conversa es in » amaritudinem vitis aliena[2]? » Quomodo autem alatur Servator noster, intelliges si ipsum audias dicentem : « Esurivi, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis » mihi bibere[3]. » Quod si pro fructibus ad alendum opportunis, per piam vitam præbitis, acerbas contra ipsum blasphemias quis proferat, et doctrinæ ejus athea et falsa

[1] Psal. LXVIII, 22. — [2] Jerem. II, 21. — [3] Matth. XXV, 42.



dogmata admisceat, is ad escam ejus fel injicit, et sitienti vinum, vappam a recta via deflectentem offert. Hæc autem de Judaïco populo Moyses in magno cantico prophetice vaticinatus est, hæc vociferans : Nam « ex vinea So» domorum vinea eorum, et palmes ejus ex Gomorrha. » Uva eorum, uva fellis, botrus amaritudinis eorum[1]. » Hinc similiter Spiritus eos per Hesaïam arguit dicens : « Expectavi ut faceret uvam, fecit autem spinas[2]; » et rursum, « Expectavi ut faceret judicium, fecit autem ini» quitatem, et non justitiam, sed clamorem[3]. » Operibus ergo et rebus gestis, acerbo sermone et vita, dederunt in escam Servatoris fel, et in siti ejus potaverunt eum aceto. Quia vero secundum historiam quoque prophetiæ sermonem impleri oportuit, hæc de tempore passionis ejus narrat Evangelista : « Postea sciens Jesus quia omnia con» summata sunt jam, ut consummaretur Scriptura, dixit, » Sitio. Vas erat positum aceto plenum. Illi autem spon» giam plenam aceto cum felle, et hyssopo circumpo» nentes obtulerunt ori ejus. Cum ergo accepisset acetum » cum felle, dixit, Consummata est et hæc Scriptura. Et » inclinato capite tradidit spiritum[4]. » Quoniam vero inclinato capite tradidit spiritum post consummationem Scripturæ, jure in psalmo ad hoc usque tempus cruciatus circumscribit suos. Deinde vero quæ ipsis mala eventura sint vaticinatur : « Fiat mensa eorum coram ipsis in la» queum, et in retributionem et in scandalum[5]. » Quasi ex consuetudine solet Scriptura futura quasi præterita vaticinari; quare jamjam dicebat : « Dederunt in escam » meam fel, » ac si diceret, « dabunt; et in siti mea po» taverunt me aceto, » id est, « potabunt. » Alibi quoque similiter dicitur : « Diviserunt sibi vestimenta mea,

[1] Deut. XXXII, 32. — [2] Isai. v, 2. — [3] Ibid. 7. — [4] Joan. XIX, 28. — — [5] Psal. LXVIII, 23.

» et super vestem meam miserunt sortem[1] ; » ac rursum, « Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in » unum adversus Dominum et adversus Christum ejus[2]. » Nam similiter hæc quæ futura erant, quasi jam præterita prænuntiabantur. Pari ratione quæcumque putantur imperando aut optando dici, prophetico more prænuntiari putandum est : qualia sunt hæc quæ tractamus. Illud enim : « Fiat mensa eorum, » intelligas, « fiet : » et illud, « Obscurentur oculi eorum, » pro, « obscurabuntur[3]; » et sequentia similiter. Non enim consentaneum est, eum qui nobis præcipit ut malum pro malo non reddamus, sed precemur pro iis qui nobis molestiam creant, et ut benedicamus, nec execremur, inimicosque diligamus, hujusmodi mala aliis imprecari. Non optativo igitur, neque imperativo modo, sed secundum traditam rationem hæc prophetice prænuntiata sunt. Pro iis enim quæ contra me ausi perpetrarunt, hæc ipsos excipient : mensa eorum illis non ad suppeditandum cibum erit, sed in laqueum, et in retributiones et in scandalum : quia dederunt in escam meam fel. Mensam porro Judaïci populi quam dixeris esse, nisi divinitus inspiratas Scripturas, quas meditari et memoriter proferre solent. Quarum contemplatio et intelligentia animarum rationabilium escam complectitur; dictio autem mensæ loco est.

Hanc itaque mensam eorum, nempe obviam divinarum Scripturarum lectionem, ipsis in laqueum, et in retributiones et in scandalum fore prænuntiat; atque non natura talem esse, sed ipsis hujusmodi futuram. Id enim his verbis significatur : « Coram ipsis fiat mensa eorum » in laqueum et in retributiones et in scandalum. » Hoc autem opere in illis completur. Divinas namque Scripturas legentes, exinde laqueis complicantur : earum quippe

[1] Psal. xxi, 19. — [2] Psal. ii, 2. — [3] Psal. lxviii, 24.

dicta præter veram sententiam excipientes, rectumque verborum sensum evertentes, iis ad non credendum Servatori seducti sunt. Imo etiam mensa eorum ipsis in retributiones vertitur. Quod enim lectiones non intelligant, vel inde facinorum suorum in ipsum pœnas luunt. Quare Symmachus pro illo, « et in retributiones, » vertit, « et » in supplicium, » Quinetiam in scandalum coram ipsis mensa eorum vertitur. Nuda quippe verba legentes impingunt, arcanum eorum sensum non capientes. Exempli causa, cum audiunt, ut adveniente Christo, simul pascet lupus cum agno, et pardus cum hœdo accubabit, leo et bos comedent paleas; hæc et similia non intelligentes, adveniente Christo in hæc impingunt; quia hæc non sensibili modo in ejus adventu contigerunt[1]. Sic ergo prædicta eorum mensa fuit coram ipsis in laqueum, et in retributiones et in scandalum. Hæcque passi sunt, quia obscurati sunt oculi eorum ut non viderent, quia respuerunt lucem illuminantem omnem hominem, et quia oculos habentes non videbant, et aures habentes non audiebant. « Incrassatum » enim « est cor eorum, » secundum Hesaïam, « et oculos obturarunt, auresque ag» gravarunt[2]. » Quare hic prænuntiatur : « Obscurentur » oculi eorum ne videant. » Alium quoque casum eorum clare vaticinatur his verbis : « Et dorsum eorum » semper incurva, » id est, « incurvabis. » Et, « Effunde » super eos iram tuam, » scilicet, « effundes; Et furor » iræ tuæ comprehendat eos, » nimirum, « comprehen» det[3]. » Quomodo autem isthæc post Judæorum contra Servatorem nostrum audax facinus genti contigerint, non difficile intellectu est. Nam olim quidem idololatriæ suæ causa, inimicorum et hostium servituti ad breve tempus tradebantur; deinde in pristinam libertatem restitue-

[1] Isai. XI, 6. — [2] Ibid. VI, 10. — [3] Psal. LXVIII, 25.

bantur, ac sui juris suisque regibus subditi degebant, templum, cultumque ibi ex Moysis lege præscriptum frequentabant; post insidias vero contra Servatorem nostrum structas, omnibus confertim privati sunt : atque obsidione et servitute a Romanis oppressi, sic abjecti, ne quidem caput erigere audentes, remanserunt. Quod hac prophetia significatur his verbis : « Et dorsum eorum » semper incurva. » Attende vero ad illud, « semper. » Non enim ad breve tempus ut olim, sed « semper, » ait. Pro quo Aquila interpretatus est : « Et dorsa eorum in» desinenter enerva; » Symmachus vero, « Et lumbos » eorum semper debilita. » Quod etiam accidit illis, ira quippe Dei non cum mensura quadam, ut antiquitus, invasit eos; sed tota confertim effusa est. Quamobrem additur : « Effunde super eos iram tuam, et furor iræ tuæ » comprehendat eos. » Hoc in alio item psalmo enuntiatur his verbis : « Ut quid Deus repulisti in finem[1]? His etiam affinia habet divinus Apostolus : « Pervenit in » eos ira in finem[2]. » Primo itaque mensa eorum fuit ipsis in laqueum; deinde oculi eorum obscurati sunt; postea dorsum eorum semper incurvatum est, effusa scilicet in illos ira Dei.

Sub hæc autem aliud ipsis eventurum vaticinatur dicens : « Fiat habitatio eorum deserta ; » id est, « fiet : et » in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet; scilicet, » non erit[3]. » Etenim propheticam notitiam id præterire non oportuit, quod nempe habitatio eorum deserta futura sit; sive secundum Symmachum, « inhabitabilis; » vel secundum Aquilam, deleta. Habitationem eorum vocat Jerosolymam, quæ non ultra civitas Dei est, sed eorum habitatio. Quare desertam fore dicit; quod ipso opere comprobatur. Subdit postea : « Et in tabernaculis eorum

[1] Psal. LXXIII, 1. — [2] 1 Thess. II, 16. — [3] Psal. LXVIII, 26.

» non sit qui inhabitet, » ex priscis scilicet incolis; quod ipsum etiam oculis rei veritas offert. Si quis enim loca adeat, extremam ibi solititudinem conspiciet; Judæorum nullo audente in urbem accedere, nedum isthic habitare; imo etiam nullum ibi Judæorum habitaculum relictum est, ubi Græcorum quispiam habitare possit. Quapropter dictum est : « Et in tabernaculis eorum non sit » qui inhabitet; » vel secundum Symmachum, « In ta» bernaculis eorum non sit qui inhabitet. » Radicitus enim et a fundamentis omnia tabernacula et domicilia eorum excisa sunt. Animadverte igitur quot et quanta hic memorentur, sancti loci solitudo, evulsio tabernaculorum ipsorum, extrema gentis abjectio, mentis eorum obscuratio, ignorantia divinarum Scripturarum, quæ non alio completa sunt, quam post impia sua in Christum Dei gesta. Quare horum causam secundum hæc prophetia narrat his verbis : « Quoniam quem tu percusisti, » persecuti sunt, et super dolorem vulnerum meorum » addiderunt, etc[1].» Omnia superius enarrata ipsis eventura esse dicit, non propter idolorum cultum; sed « quo» niam quem tu percussisti persecuti sunt. » Tu namque secundum hanc prophetiam, « Percutiam pastorem, » et dispergentur oves gregis[2],» rationibus abs te cognitis percussisti. Unde apud Apostolum dicitur : « Si enim » proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus » tradidit illum[3]. » Cui tradiderit eum, Hesaïas docebit his verbis, « Et Dominus tradidit eum peccatis nostris[4] : » quare factus est pro nobis maledictum. Nam cum peccatum non nosset, Deus illum pro nobis effecit esse peccatum, ut nos simus justitia in ipso. Sed et « homo fuit in » plaga constitutus, et sciens ferre infirmitatem : et vi-

[1] Psal. LXVIII, 27. — [2] Zach. XIII, 7. — [3] Rom. VIII, 32. — [4] Isai. LIII, 6.

» bice ejus nos sanati sumus.[1] » Plagas itaque et vibices accepit, et hæc omnia, Patre volente et permittente, passus est. Quamobrem in Zacharia propheta dictum est: « Framea suscitare super pastorem meum, et super vi- » rum civem ejus. Percute pastorem, et dispergantur » oves gregis[2]. » In Evangelio autem ipse Servator noster passioni vicinus Discipulis prænuntiabat dicens: « O- » mnes vos scandalizabimini in me. Scriptum est enim, » Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis[3]. » In hoc similiter psalmo iis affinia dicuntur, nempe, « Quoniam quem tu percussisti persecuti sunt. » Pater igitur proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Vi etiam et ratione quadam ipse est qui percussit, quia permisit ipsum talia perpeti. Illi vero non percusserunt, sed abs se abjecerunt et procul persecuti sunt eum : cum par fuisset saltem percussum excipere, et nosse Christum pro nobis mortuum esse, factum pro nobis maledictum; quem, cum non nosset peccatum, Deus pro nobis peccatum effecit, ut nos efficiamur justitia Dei in illo. Meminisse item oportet Hesaïæ vocum quæ sic habent : « Homo in plaga constitutus, et sciens » ferre infirmitatem : et Dominus tradidit eum peccatis » nostris[4].» Et, « quoniam ipse peccata nostra portat, et » pro nobis cruciatur[5]. » Quoniam vulneratus est, non alia de causa nisi propter peccata nostra, et infirmatus est propter iniquitates nostras. Illi vero nihil eorum cogitarunt, sed ejecerunt eum et ab se repulerunt, postulantes homicidam, ac vitæ principem negantes. Ideo hic ait « Quoniam quem tu percussisti persecuti sunt, et su- » per dolorem vulnerum meorum addiderunt. » Ego quidem pro ipsis vulnera excepi, purgatio eorum effectus, et

[1] Isai. LIII, 5. — [2] Zach. XIII, 7. — [3] Matth. XXVI. 31. — [4] Isai. LIII, 6. — [5] Ibid. 4 et 5.

redemptio pro peccatis eorum : illi vero mala sua mihi addiderunt. « Dederunt « igitur» in escam meam fel, et in » siti mea potaverunt me aceto : » non solum tempore passionis meæ, sed in sequentibus blasphema contra me dicta proferre perseverantes. Quare secundum Aquilam, pro illo, « addiderunt, » dicitur, « enarrabunt; » secundum Symmachum vero, « enarrabant. » Non enim sat illis fuit quod semel ipsum vulnerassent, et talia contra eum ausi fuissent; sed quasi re bene gesta gloriosi, ausus suos filiis enarrabant. Quoniam igitur illi talem portionem cooptarunt, quem tu percussisti persequentes, iniquitates autem et impietates in se et in filios suos coacervantes; jure adjicitur : « Appone iniquitatem super » iniquitatem ipsorum[1]; » id est, « appones : » ipsis namque malorum accessio erit. Alia enim nobis hominibus ex interioribus eveniunt; alia vero aliunde ex sequentibus interiora nostra. Quare alicubi Deo dicitur : « Cum sancto sanctus eris, et cum perverso perverteris[2]. » In lege quoque ex ipsius persona dicitur : « Si veniatis » ad me obliqui, accedam et ego ad vos animo obli- » quo.[3] » Quia igitur illi quasi funiculo oblongo peccata sua trahebant, jure tu quoque justus judex appones iniquitatem super iniquitatem ipsorum; ad priorem illam, aliam imputans. Imo quoque ait : « Non intrent in justi- » tiam tuam. » Nam justitia quidem tua justos advocat, omnesque ad intima regni tui secundum promissionem recipit. Qui vero talia ausi sunt, non intrabunt cum iis qui una cum justitia tua ingressuri sunt : sed neque in libro viventium scribentur; imo contraria iis qui descripti sunt patientur. Etiamsi enim gratia donati mea aliquando in libro viventium, patrum suorum apud Deum viventium causa, conscripti fuerint; ita ut et ipsis promissa

[1] Psal. LXVIII, 28. — [2] Psal. XVII, 26. — [3] Levit. XXVI, 13.

oblata sint; at quoniam talia sunt ausi, « Deleantur de » libro viventium[1]. » Libri autem viventium rationem explicans, subdit postea, « Et cum justis non scri- » bantur. » Electione quippe facta eorum qui in mundo erant hominum, alii quidem vita quæ apud Deum est digni, ob propriam justitiam apud ipsum describentur; qui autem ex libro delebuntur, ii erunt qui vitæ principem repudiarunt. Et hic finis erit eorum qui jam memorata contra Servatorem nostrum aggressi sunt. Quæ sequuntur autem, in lætiorem formam mutantur : nam inde Evangelicæ gratiæ initium ducitur.

« Ego sum pauper et dolens, salus tua Deus suscepit » me[2]. » Quin in Evangeliis dixit : « Discite a me » quia mitis sum et humilis corde[3], » in præsenti se pauperem et dolentem dicit. Pauper autem erat, depositis æterni regni divitiis. Quamobrem ait Paulus : « Je- » sus Christus cum dives esset, propter nos inops effectus » est, ut nos ejus inopia divites essemus[4]. » Sed etiam dolens fuit; quare supra dicebat : « Et super dolorem » vulnerum meorum addiderunt. » Dolebat enim pro iis qui in perniciem ibant, et patiebatur eorum causa qui ad salutem abs se procuratam non accederent. Ideo ceu dolens clamabat : « O generatio incredula et perversa, » quousque vobiscum ero? quousque vos patiar?[3] » Ideo dicit : « Ego sum pauper et dolens, salus tua Deus sus- » cepit me[5]. » His porro salutem subindicat qua post mortem donandus est. Nam cum pridem infixus in limo profundi, venerit in altitudinem maris, ut in prophetia dicebat; jam vero dicat, « Salus tua Deus suscepit me : » aperte declarat se, postquam in altitudinem maris venerat, postquam memorata superius passus fuerat, patrocinium

[1] Psal. LXVIII, 29. — [2] Ibid. 30. — [3] Matth. XI, 29. — [4] 2 Cor. VIII, 9. — [5] Matth. XVII, 16.

consecutum esse. Quare in vigesimo primo psalmo hymnum pro susceptione matutina emittit. Deinde vero, ut patrocinium consecutus, ad jucundiora sermonem convertit hymnis Patrem celebrans, cum ait : « Laudabo » nomen Dei cum cantico[1]. » Cum melodia autem et cantico sermones proferre, id signum gaudii et lætitiæ erat. Sed etiam « magnificabo eum, » inquit scilicet Patrem suum. Qui magnificabit postea subjicit, « in laude; » sive secundum Aquilam, « in gratiarum actione. » Gratiarum vero actionem et laudem qua Patrem Filius magnificat intelliges, si novi Testamenti mysteriis animum adhibeas, ubi Ecclesia Dei per totum orbem ad gratiarum actiones, ad rationabilem et sine fumo cultum Deo offerendum instituta est. Laus isthæc et gratiarum actio corporeis hostiis, quæ olim secundum legem Moysis offerebantur, multo præstantior est. Quamobrem adjicit : « Et » placebit Domino super vitulum novellum, cornua pro» ducentem et ungulas[2]. » Si namque de iis Judæi glorientur, sciant utique longe meliorem Deoque acceptiorem meam gratiarum actionem et laudem supra memoratis esse. Quamobrem secundum Symmachum dicitur, « Et placebit Domino magis, quam bos taurus, ungulas » diffindens, cornutus. » Cur hic vitulum dicat, non aliud animal in sacrificio offerri solitum, non sine examine prætermittendum. Nam ex animalibus secundum legem Moysis immolari jussis, alia ex armento bovum, alia ex grege ovium adducebantur, alia ex volatilibus; quorum alia masculi, alia fœminæ erant; alia spontanea ex arbitrio, alia ex debito; alia sacrificium salutaris, alia pro peccato vocabantur; alia pro summo sacerdote, alia pro universo populo, alia pro principe peccante offerebantur. Cum magnum itaque in his discrimen esset;

[1] Psal. LXVIII, 31. — [2] Ibid. 32.

nunquam tamen pro principe quolibet vel pro quopiam privato vitulus offerebatur. Vitulus masculus aliquando immolabatur; aliquando vero, cum tota synagoga in peccatum lapsa esset, sacerdos, qui universi populi ceu caput erat, ut peccati consors vitulum offerebat. Hæc porro in Levitico deprehendas, in quo scribitur : « Et » locutus est Dominus ad Moysem dicens : Loquere ad » filios Israël, dicens : Si sacerdos qui unctus est pecca» verit, ut peccare faciat populum, offeret pro peccato » suo quo peccavit, vitulum ex bobus immaculatum » Domino[1]; » ac deinde : « Quod si omnis synagoga Is» raël ignoraverit, et latuerit verbum ex oculis synagogæ : » aut fecerit unum ex omnibus præceptis Domini; aut » non fecerit, et deliquerit et cognoverit peccatum suum » quo peccavit; offeret synagoga vitulum ex bobus pro » peccato[2]. » Sub hæc autem pro sacerdote inducitur in sacrificium vitulus, nam dicitur : « Et obtulit Moyses » vitulum pro peccato : et imposuit Aaron et filii ejus » manus super caput vituli pro peccato, et immolavit » eum[3]. » Vides quibus de causis vitulus offerretur, pro universa synagoga Israëlis peccante, et pro summo sacerdote peccante; nec modo peccante, sed etiam populum in peccatum inducente; dicit enim : « Si summus » sacerdos, qui unctus est, peccaverit, ut peccare faciat » populum. » Pro quo Aquila sic interpretatus est, « In » delictum populi. « Quia igitur tempore passionis Domini summi Sacerdotes et principes Judaïcæ gentis convenerunt in unum adversus Christum ejus, totique populo perversionis auctores fuere, scriptum est enim : » Principes sacerdotum et concilium totum quærebant » falsum testimonium contra Jesum, quomodo morti » traderent eum[4]; » ac rursum, « Principes sacerdotum

[1] Levit. IV, 1. — [2] Ibid. 13. — [3] Levit. VIII, 14. — [4] Matth. XXVII, 1.

» et seniores persuaserunt turbis ut peterent Barrabam, » Jesum vero perderent [1]. » Iis porro qui talia ausi fuerant purgatione opus erat, et sacrificio, non alio quam vituli, ut Scriptura superius allata testificatur. Jure hic Servator noster ait : Non sensibilem ego vitulum profero, sed puram et incruentam hostiam, quam ego ipse in Ecclesia mea constitui, per incruentum et igne vacuum ministerium, quod laude persolvitur; quod sane Deo longe acceptius et gratius erit, quam ille Moysis lege assignatus vitulus. Quapropter dictum est : « Magnificabo eum in » laude. Et placebit Deo, laus scilicet, « super vitulum » novellum, cornua producentem et ungulas. » Et sane veniam purgationemque cum principes sacerdotum, tum populus omnis consecuti essent, si novum et salutare Testamentum suscipientes, tali sacrificio fuissent usi.

Deinde mendicus illi orationem effundit pro pauperibus sui similibus, de quibus hæc tradit : « Beati pau- » peres spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlo- » rum [2]. » In oratione vero sua ait : « Videant pauperes » et lætentur. » Jam autem precatur ut quæ supra dicta sunt eveniant; ita ut pauperes isti, scilicet Discipuli et Apostoli sui, videant. Precatur vero ut laudem illam vitulo novello cornua producente et ungulas gratiorem conspiciant. Et sane quoniam oratio ejus diuturnis postea temporibus effectum consecuta est, beatos prædicabat eos qui talium rerum spectaculo dignati essent : quare in Evangeliis Discipulis suis dixisse scribitur : « Vestri autem beati oculi, quia vident; et » aures vestræ, quia audiunt [3]. » Hæc quippe affinia huic dicto erant, « Videant pauperes, et lætentur : » quærite Deum, et vivet anima vestra. » Cum pro pauperibus rogasset, ipsos demum alloquitur, ipsisque

[1] Matth. xxvii, 20. — [2] Matth. v, 3. — [3] Matth. xiii, 16.

vitam denuntiat, non corporum, sed animarum : quam au ipsis Deum quærentibus reperiendam esse pollicetur, talia fatus : « Quærite Deum, et vivet anima vestra. » Fons quippe vitæ penes illum est. Quamobrem iisdem pauperibus præcipit, ut omnia postponentes, illum fide bonaque spe muniti perquirant; ita enim eos vita animæ victuros pollicetur : de qua vita hæc Apostolus docuit : « Nam vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. » Cum autem Christus apparuerit vita vestra, tunc et » vos cum illo apparebitis in gloria[1]. » Postea subdit : « Quoniam exaudivit pauperes Dominus, et vinctos suos » non despexit. » Hic rursum, « exaudivit, pro, exau- » diet; et, non despexit, pro, non despiciet, » dictum est. Cum jam enim dixisset, « Quærite Deum, et vivet » anima vestra; » fidenter ait, quærite, quoniam exaudiet pauperes. Neque enim voluptariorum, superborum et arrogantium Deus est; sed humilium et pauperum. Quapropter dicitur : « In quem respiciam, nisi in man- » suetum et humilem et quietum et trementem sermones » meos[2]? » Fiducia igitur instructi quærite Deum, gnari Dominum vos pauperes exauditurum, et vinctos suos non despecturum esse; sive secundum Symmachum, « Et vinctos suos non parvi faciet. » Quo pacto autem hi pauperes, vincti et compediti fuerint intelliges, si Paulum audias dicentem : « Paulus vinctus Jesu Chris- » ti[3] : » ac similiter reliqui Discipuli pro Christi vinctis habendi. Quinetiam ii qui in tabernaculo (corporis) quasi in vinculis sunt, lugent supplicantes a vinculis eripi : quare dicunt, « Infelix ego homo, quis me libe- » rabit ex corpore mortis hujus[4]? » Qui ergo corruptibili corpore onusti sunt, et corruptionem aversantur, gementes in hac corruptibili vita, vincti Dei sunt, et

[1] Coloss. III, 3. — [2] Isai. LXVI, 2. — [3] Philem. I, 1. — [4] Rom. VII, 24.

compediti ejus, quorum deprecationes non despiciet neque aversabitur. Qui vero vincula sua impinguant, et nimia voluptate fovent, vincti corruptionis et mortis jure dicantur.

« Laudent illum cœli et terra, mare et omnia rep- » tilia in eo[1]. » Quoniam regnum cœlorum pauperibus pollicitus est his verbis, « Beati pauperes spiritu, quo- » niam ipsorum est regnum cœlorum[2]; » admodum consequenter postquam de pauperibus locutus est, infert, « Laudent illum cœli. » Quia vero futurum erat, ut per totum orbem in terra et in mari Ecclesiæ Deo ex memoratis pauperibus constituerentur, secundum hæc additur, « et terra et mare et omnia reptilia in » eis. » Quæ reptilia in terra et in mari una cum terra et cœlo laudare jubentur, gentes sunt, quæ olim in mortali hominum vita reptilium instar supra pectus et ventrem gradiebantur. In Hesaïa quoque feræ, et reptilia allegorico more gentes vocantur, cum dicitur : « Et pascet lupus cum agno, et pardus cum hædo accu- » babit, et leo quasi bos comedet paleas. Et puer infans » in foveam aspidum, et in cubile filiorum aspidum » manum injiciet; et nihil lædent eum[3]. » Quæ sub hæc explicans infert : « Et erit radix Jessæ, et qui » surgit ad imperandum gentibus, in eum gentes spe- » rabunt[4]. » Tanta igitur gentium mutatione in adventu Christi effecta, jure cum cœlo et iis qui in cœlo sunt Angelis prædicta reptilia Deum laudare jubentur. Quare dictum est : « Laudent illum cœli et terra, mare et » omnia reptilia in eis. » Quomodo possunt reptilia Deum laudare, nisi prudentia et cognitione Dei instructa? An reptilia sacrificium laudis offerent? Quod reptilibus illis homines subindicentur, docet Evangelium his ver-

[1] Psal. LXVIII, 35. — [2] Matth. v, 3. — [3] Isai. XI, 6. — [4] Ibid. 10.

bis : « Genimina viperarum, quis vos docuit fugere a » ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ[1]. »

« Quoniam Deus salvam faciet Sion, et ædificabun- » tur civitates Judææ[2]. » Causam effert cur cœli, terra, mare et omnia quæ in eis sunt Deum laudatura esse dicantur. Ea vero est, « Quoniam Deus salvam faciet » Sion, et ædificabuntur civitates Judææ. » Quam Sionem dicit, nisi Ecclesiam Servatoris nostri in toto orbe fundatam? Civitates autem Judææ ne cuncteris dicere divinitus afflatas Scripturas, queis Judæorum respublica informatur. Sed hæ quidem civitates, quantum ad Judæos spectat, de medio sublatæ sunt; sed denuo ædificatæ per novam in Christo doctrinam fuere, qua et vera circumcisio consistit, necnon spiritualia Sabbata, spirituales hostiæ et omnia quæ hæc consequuntur secundum interpretationem spiritualis legis. Sic itaque ædificantur civitates Judææ, in eisque inhabitabunt cives et hæredes promissorum quæ in divinis Scripturis feruntur. Quare dictum est : « Et hæreditabunt illam. » Sed etiam « semen servorum ejus possidebit eam[3]. » Servi autem ejus qui fuerint, nisi haud dubie Salvatoris nostri Discipuli, et semen in universo orbe sparsum, quod hæreditatem in divinis Scripturis promissam obtinebit? Imo, « qui diligunt nomen ejus habitabunt in ea, » id est, in ea hæreditate. Quibus dicetur : « Venite be- » nedicti Patris mei, percipite regnum vobis paratum » a constitutione mundi[4]. » Quod si cœlestis sit Dei civitas Sion, de qua Apostolus hæc docuit : « Ea vero » quæ sursum est Jerusalem libera est, quæ est mater » nostra[5]; » et, « Accessistis ad Sion montem, et civi- » tatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem[6]; » fuerit

[1] Luc. III, 7. — [2] Psal. LXVIII, 36. — [3] Ibid. 37. — [4] Matth. XXV, 34. — [5] Galat. IV, 6. — [6] Hebr. XII, 22.

ne Judææ civitas? sed consequenter dicamus esse cœlestem Sion ubi mansiones apud Patrem multæ[1] : quas incolent et hæreditate accipient omnes servi ejus, sive illi olim Prophetæ et religiosi viri, sive qui postea ministri Evangelii ipsius fuere. Imo etiam semen eorum, scilicet qui ab illis secundum Deum orti sunt, profectu aucti et ad perfectam Dei caritatem progressi, hoc munus condignumque præmium ab ipso recipient, quod inhabitent in promissa sibi hæreditate.

PSALMUS LXIX.

In finem, ipsi David in rememorationem[2].

« Deus in adjutorium meum intende[3]. » Neque canticum, neque psalmus, neque quid simile his, quos tractamus, sermones sunt : cæterum ad finem remittunt, quia de futuro supplicationem habent. Dicuntur autem, » ipsi David in rememorationem; » utpote qui ideo dicti fuerint, ut posset eos in promptu ore proferre, utque iis pro remedio in casibus variis uteretur. Duo autem sunt « in rememorationem » inscripti ; hic quem tractamus, et XXXVII qui item « in rememorationem » inscriptus est. Sed ille non ad finem remittit, sed est « psal- » mus Davidi in rememorationem ; » hic vero « in finem » inscriptus est. Nam XXXVII non futura prænuntiabat, sed præteritarum rerum memoriam refricabat : quamobrem eodem quo sextus exordio utitur, nempe, « Do- » mine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua cor-

[1] Joan. XIV, 2. — [2] Psal. LXIX, 1. — [3] Ibid. 2.

» ripias me. » Et eodem uterque argumento erant. Siquidem sextus in sequentibus ait : « Laboravi in gemitu » meo : lavabo per singulas noctes lectum meum, lacry- » mis meis stratum meum rigabo. » Trigesimus vero septimus similia docet his verbis : Non est pax ossibus meis » a facie peccatorum meorum : Quoniam iniquitates meæ » supergressæ sunt caput meum, sicut onus grave grava- » tæ sunt super me. Putruerunt et corruptæ sunt cicatri- » ces meæ a facie insipientiæ meæ. » Hæc porro et similia ad memoriam admissi sceleris referebat. Quare « in » rememorationem inscriptus est, frequenti confessione præterita repetens. Quæ item causa est, ut « in finem » non inscribantur. Hic vero « in finem » dicitur, quia expectatarum rerum precatio est, prævertente Propheta ac rogante; ut si quando contingant inimicorum insultus et insidiæ in se paratæ, his remediis usus, ea quasi antidota quodvis perniciosum amuletum depellentia afferat. Num etiam hæc dicta ad personam Servatoris nostri prophetice referantur? Quandoquidem in præcedenti psalmo clare passionem ejus vaticinanti ex ejus persona dicebatur : « Ego sum pauper et dolens, salus tua Deus suscepit » me; » similiter in præsenti postea dicit : « Ego vero » egenus et pauper sum, Deus adjuva me. » Ita ut ea de causa « in finem » necessario inscribatur. Quod si ex persona Davidis proferatur, dicas licet ipsum magnæ gentis regem, ac ditissimum, non ignorasse tamen dictum illud: « Quanto major es, tanto magis teipsum humilia, et in » conspectu Domini invenies gratiam[1]. » Quare moderate et humiliter sentiens, vereque sese parvum reputans, ac respiciens magnitudinem divitiarum bonitatis Dei, egenum se et pauperem in præsenti vocavit : atque sermonem ordiens, ac si divitiæ, regnum, totius populi

[1] Eccli. III, 20.

auxilia, itemque justitia per exercitationem comparata, nihil sibi conferrent, solius Dei auxilium expetebat dicens : « Deus in adjutorium meum intende, Domine ad » adjuvandum me festina. » Animadvertens autem plurimos esse qui suo secundum Deum profectui, livore ducti, ac saluti animæ suæ inviderent, illud adjecit : « Con- » fundantur et revereantur qui quærunt animam meam. » Avertantur retrorsum et erubescant qui volunt mihi » mala [1]. Avertantur statim erubescentes qui dicunt » mihi, Euge, Euge [2]. » His confitetur se non sibi satis esse, sed Dei auxilio egere. Futurum quippe erat, si id non consequeretur, ut desertus esset, ac infirmus nihilque magis quam mortalis homo deprehenderetur; inimicique alienis malis gaudentes, lapsum se invasuri essent. Si vero adjutorem Deum nancisceretur, superiorem se fore animæque suæ inimicos pudore suffusum iri sperabat. Hi enim ad singula gesta ejus e vestigio incedentes observabant, ipsumque comprehendere studentes dicere solebant, « Euge, euge, » quasi re bene gesta et pro voto succedente, cum lapsum eum putarent. Quod si quis hæc ad Salvatorem ob supra traditam causam referat, is dicet, ipsum cum cerneret eos qui verbo et doctrinæ suæ magnoque Ecclesiæ suæ corpori insidiabantur, insurgere ac frequentes adversus illam persecutiones excitare; eorum malitiam execratum, hanc prophetice orationem emisisse, hocque orandi institutum Ecclesiæ suæ tradidisse.

« Exultent et lætentur super te omnes qui quærunt » te [3]. » Priora quidem ad inimicos avertendos dicta sunt; secunda vero pro domesticis supplicant. Et sane quidem David orationem justo congruentem emisit, precatus ut universi qui Deum requirunt, ex quorum ille

1 Psal. LXIX, 3. — 2 Ibid. 4. — 3 Ibid. 5.

numero erat, inimicis pudore suffusis, exultationis et gaudii participes sint. Ii vero qui diligunt salutare Dei, jure dixerint, « Magnificetur Dominus; » idque non semel, sed omni tempore, quia ipse Dominus in ipsis ipsorumque opera genus omne adversariorum Dei profligat. Quod si Salvator prædictis verbis usus sit, consequenter de omnibus gentibus in se credentibus dixerit : « Exultent et lætentur in te omnes qui quærunt te. » Non enim Judæi solum, neque ii qui se ex Abrahamo ortos gloriantur; sed universim et indefinite omnes prorsus qui quærunt te, ex quovis genere fuerint, « exultent et lætentur in te, et dicant, Magnificetur Deus : idque omni tempore dicant qui diligunt salutare tuum, scilicet Salvatorem, qui sæpe in Scripturis salutare vocatur; quem diligunt ii, qui doctrinam ejus in dilectione pura operibus fovent. « Ego vero egenus et pauper sum : Deus adjuva me[1]. » David quoque, dives cum esset, humiliter sentiebat, gnarus scilicet magnitudinis Dei, et quod se nihil esse videret. Quare solius fortis [Dei] opem implorabat dicens : « Deus adjuva me : adjutor meus et liberator meus es tu, Domine ne moreris. » Christus quoque cum dives esset, propter nos egenus factus est, ut docuit divinus Apostolus[2]. Quamobrem seipsum Spiritus auxilio commendabat, pro populo suo deprecans, et pro Ecclesia; ne diutius tempore persecutionum impugnata, gravi hinc detrimento adficeretur. Quamobrem ait : « Adjutor meus et liberator meus es tu, Domine ne moreris. » An porro hæc ad tempus passionis Servatoris referantur, tu ipse consideres velim. Quandoquidem enim in præcedenti illatas sibi vexationes descripsit; quomodo intraverint aquæ usque ad animam suam, qui infixus sit in limo profundi, venerit in altitudinem maris, multiplicati sint su-

[1] Psal. LXIX, 6. — [2] 2 Cor. VIII, 9.

per capillos capitis sui qui se gratis oderunt, et alia multa ibidem allata perpessus sit; jure hanc supplicationem Patri suo emittit dicens : « Deus in adjutorium meum in» tende, Domine ad adjuvandum me festina, » et cætera. Quia Apostolorum suorum ordinem amoris sui causa magna in confusione versantem videbat, secundas pro illo voces edebat; ut accepto resurrectionis suæ, quam ejus videndi cupidi expectabant, nuntio, exultatione et lætitia repleti semper dicerent, « Magnificetur Dominus : » ipsi quippe erant qui diligebant salutare ipsius.

PSALMUS LXX.

In vulgata titulus, Filiorum Jonadab et priorum captivorum. [1]

« In te Domine speravi, non confundar in æternum, » in justitia tua libera me et eripe me. » His similia trigesimus quoque psalmus circumfert, hoc item modo orsus : « In te Domine speravi, non confundar in æternum » in justitia tua libera me. Inclina ad me aurem tuam [2]. » Sed ille quidem, « In finem, » et « Psalmus Davidi, » inscriptus est; hic autem titulo caret. Ille confessionem cum supplicatione continet, hic vero prophetia videtur esse ex persona Servatoris prolata. Quare « Davidis » consueto more non inscriptus est. Dixerit fortasse quispiam oportere illum præcedentibus conjungere, quod magnam cum illis habeat affinitatem. Nam in præcedenti diceba-tur : « Deus in adjutorium meum intende, Confundantur

[1] Psal. LXX, 1. — [2] Ibid. 2.

» et revereantur qui quærunt animam meam. Avertan-
» tur retrorsum et erubescant qui volunt mihi mala. «
In hoc vero, quem nunc tractamus, ipsissimæ voces in sequentibus usurpantur. « Deus in adjutorium meum in-
» tende, confundantur, » et cætera quoque eidem sententiæ insistunt; sed hic fusius res enarrantur, quas Patri convenire non abs re quispiam dixerit. Cum item in hoc psalmo dicatur, « Quoniam tu es patientia mea Domine,
» Domine spes mea a juventute mea; hoc ipsum in psalmo XXI, ex eadem persona dicitur : « Quoniam tu es qui
« extraxisti me de ventre, » et sequentia. Sed etiam quod in hac prophetia subjungitur, « Deus meus ne derelinquas
» me, donec annuntiem brachium tuum generationi omni quæ ventura est; simile videtur illi XXI, psalmi dicto, « Annuntiabitur Domino generatio ventura[1]. »
Attendas quippe velim, quomodo in illo quidem dicatur, « Annuntiabitur Domino generatio ventura; » in hoc autem, « Donec annuntiem brachium tuum generationi
» omni quæ ventura est. » Quin etiam ejus ex mortuis resurrectionem aperte declarat hæc prophetia, ex ejus persona dicens : « Deus quis similis tibi? Quantas osten-
» disti mihi tribulationes multas et malas, et conversus
» vivificasti me, et de necessitatibus terræ iterum re-
» duxisti me? » Sive igitur ex persona Servatoris, sive ex persona cujuslibet justi hæc accipienda sunt. Doctrinam enim complectuntur, quæ nos instituit ut ex bono proposito omnia post ducamus, in unoque Domino spem statuamus nostram, ita ut sincero affectu dicamus : « In
» te Domine speravi, non confundar in æternum. » Qui enim in divitiis ac in copiosis vitæ facultatibus, sive in mundanis dignitatibus, sive in principum favore et patrocinio, sive in alia quapiam mortalium et fluxarum

[1] Psal. XXI, 32.

rerum spem reponunt, ignominiæ obnoxii erunt. « Ma-
» ledictus » enim « homo qui spem habet in hominem, et
» firmat carnem brachii sui[1]. » Clamat item Scriptura,
« Nolite confidere in principibus, neque in filiis homi-
» num, in quibus non est salus[2]; » et rursum, « Divitiæ si
» affluant, nolite cor apponere[3]. » In aliis item ad hæc
dicenda instituimur : « Dominus mihi adjutor, non ti-
» mebo quid faciat mihi homo. Bonum est confidere in
» Domino, quam confidere in homine. Bonum est spe-
» rare in Domino, quam sperare in principibus[4]. » Qui
autem bonorum sibi conscius est, Domino dixerit illud :
« In justitia tua libera me et eripe me. » Multa quippe fi-
ducia repletur, quia justissimo secum judicio Deus agens,
non damnatione, neque repulsa, sed auxilio et patroci-
nio dignum comperiet : quare ait, « In justitia tua libera
» me et eripe me. » Puraque conscientia supplices voces
ad Deum emittens id quoque dicebat : « Inclina ad me
» aurem tuam, et salva me. » Imo quasi ex necessitate
Deum ita rogabat : « Esto mihi in Deum protectorem et
» in locum munitum, ut salvum me facias[5]. » Nam cum
Deus protegit et propugnat, non pro nullius pretii homine
id agit : solusque perfectus id Deo dicere valeat, « Quo-
» niam firmamentum meum et refugium meum es tu. »
Pro quo Aquila, « Quoniam petra mea et præsidium
» meum, » interpretatus est; Symmachus vero, « Quo-
» niam petra mea et refugium meum es tu. Deus meus
» eripe me de manu peccatoris, et de manu contra legem
» agentis et iniqui[6]. Quoniam tu es patientia mea Do-
» mine; spes mea a juventute mea[7]. » Vir perfectus quasi
propria possessionem Deum invocat dicens, « Deus meus : »
quia promissio dignis a Deo data est his verbis : « Ero il-

[1] Hierem. XVII, 5. — [2] Psal. CXLV, 2. — [3] Psal. LXI, 11. — [4] Psal. CXVII, 7.
— [5] Psal. LXX, 3. — [6] Ibid. 4. — [7] Ibid. 5.

» lorum Deus, et ipsi erunt mihi populus[1]. » Qui vero dicit, « In te Domine speravi, » et omnia post putavit ut uni Deo se committeret, jure dicat, « Deus meus. » Eripi vero se de manu peccatoris rogat, ne gestis suis peccatori vel iniquo similis evadat : quare addit, « De manu pec- » catoris et de manu contra legem agentis et iniqui; » ac ne iis subjectus sit; sed merito Deum, non solum ob allata superius sed etiam ob subsequentes causas, sibi Deum appellet. Nam, inquit, tu mihi patientia es, tu spes mea a juventute. Nunquam enim te expectare destiti, neque fuit tempus quo non te mihi in spem proponerem. Quamobrem rogo ex manu peccatorum et iniquorum eripi.

« In te confirmatus sum ex utero, de ventre matris » meæ tu es protector meus[2]. » De David quoque dici valeat quod a tenera juventute in Deo speraverit. Nam juvenis cum esset, et pasceret oves Jessæ patris sui, fide ac spe in Deum, in leones et ursos irruebat, ut servaret oves : bonum pastorem imitatus, de quo dicitur : « Quemadmodum cum extraxerit pastor ex ore leonis duo » crura, aut particulam auriculæ[3]. » Sed etiam cum puer esset, spiritum malignum ex Saüle pellebat, idque vi fidei et spei in Deum. Etenim id quoque juveni cuilibet, qui Dei electione dignatus sit, qualis erat Timotheus qui a puero sacras litteras edidicerat, dicere competit, « Spes » mea a juventute mea. » Illud autem, « In te confirma- » tus sum ex utero, de ventre matris meæ tu es protec- » tor meus, » soli conveniat Salvatori nostro, qui immaculatus et nihil inquinatus erat quo tempore in utero gestabatur. Nam reliqui homines omnes, dum utero gestantur et primam corporis constitutionem accipiunt, quasi ritu plantarum viventes, neque sensibus neque

[1] Ezech. XXXVII, 23. — [2] Psal. LXX, 6. — [3] Amos. III, 12.

mente sensus sequente utuntur; sed etiam ipsa principe animi parte et mente demersi nihil a verme differant. Qui autem Deo dicit, « In te confirmatus sum ex utero, » non modo se Dei cognitione imbutum fuisse ostendit, sed etiam magnam se virtutem, vimque amoris erga Deum, qua in ipso confirmabatur, habuisse demonstrat. Talis autem in utero et in ventre matris conclusus ille erat. Illud vero, « De ventre matris meæ tu es protector, » omnibus convenire possit. Nisi enim Dei virtus custodiret ac servaret fœtum uteri, neque formaretur, neque vitæ particeps esset, cum nec respirare, nec reliquis sensibus uti valeret. Rursumque cum dicit, « Tu es protector » meus, » se aliquid præstantius reliquis hominibus in ventre matris conceptis habuisse commonstrat. Fortasse quippe in reliquorum hominum generatione Angeli quidam adsunt singulorum ad vitam ingressui ministrantes; in generatione vero Servatoris ipse Pater protector ejus erat; quare in ipso confirmabatur. Sic semper « cantatio» nem » habuit in Patris laudem. Quare subdit : « In te » cantatio mea semper[1]. » Nullum enim prætermisit tempus, quin vel Patrem hymnis celebraret, vel ab ipso pro tanta obsequentia celebraretur. Verum ait, Laus sive cantatio mea in te fuit semper. Hominum vero multi horum ignari, tanquam prodigium me habuerunt. Prodigiosum ergo quidpiam multis effectus sum, ita ut in varias de me sententias abirent; et alii quidem Deum carne vacuum et incorporeum, sola specie visum in terra putarent; alii nudum hominem, nihil plus quam alii habentem; alii execrationibus et convitiis me subjicerent; alii colerent et adorarent. Mors vero mea omnibus prodigium plane fuit. Nam eum qui Deus esset crucem sustinere, et talia pati eum qui aliis vitam impertiret, vere

[1] Psal. LXX, 7.

prodigium erat. Quamobrem ait : « Tanquam prodigium » factus sum multis. » Sed in his omnibus tu mihi, inquit, « adjutor fortis » fuisti. Neque enim mihi alius adjutor extitit. Omnia quippe virtuti meæ inferiora et imparia erant : tu vero solus, quem mihi in spem ascripsi, fuisti mihi « adjutor fortis. » Secundum Symmachum item similiter dicitur : « Tibi confirmatus sum ex ventre, » ex visceribus matris meæ tu respexisti me. In te pa» tientia mea perpetuo, tanquam prodigium factus sum » multis : tu vero fiducia mea fortis.

« Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, » tota die magnitudinem tuam[1]. » Jam præterito, inquit, tempore cantatio mea in te fuit semper : cæterum pro futuro quoque supplico, ut ad ultimam vitæ horam os meum laude tua repleatur, et ita repleatur, ut aliud quidpiam loquendi, vel cum hominibus versandi nullus supersit locus : meque quotidie et toto vitæ meæ decursu ita comparatum esse rogo, ut tali gratia orbatus nunquam nec depulsus sim : utque etiamsi ad limen senectutis devenero, nihil aliud ad mortem usque peragam, quam quo repleatur os meum laude et magnificentia tua. Pro illo autem, « tota die, » Symmachus, « per o» mnem diem, » edidit. « Repleatur, » inquit, « os meum » laude tua, per omnem diem, in decore tuo ne abjicias » me tempore senectutis[2]. » Nam si ad senectutem usque vitam devenire meam oporteat, non abnuo : id supplico tantum, ut os meum nunquam finem faciat celebrandi laudem tuam et magnificentiam tuam. Quod si senectutis causa aliquando vires me deficiant, ne tunc quidem me derelinquas. Hæc in oratione dicere convenit tum Davidem, tum quemvis hominem religiosum. Animadverte porro quomodo de Salvatore ab Apostolo dica-

1 Psal. LXX, 8. — 2 Ibid. 9.

tur : « Crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute » Dei[1]. » Etsi enim ex infirmitate crucifixus sit; at non ab aliis superatus : ipse quippe sese infirmum effecit, seque dedititium hominibus obtulit. Quod etiam ipse docet his verbis : « Nemo tollit animam meam a me : sed ego » pono eam a meipso. Potestatem habeo ponendi eam, » et potestatem habeo recipiendi eam[2]. » Quemadmodum igitur humiliavit semetipsum, formam servi accipiens; sic sese infirmum effecit, ut ab hominibus capi posset, utque crucem subiret, « factus obediens » Patri « usque ad mortem, mortem autem crucis[3]. » Quare ait, « Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me. » Deinde cum passionem memorasset, passionis auctorum mentionem facit dicens : « Quia dixerunt inimici mei mihi et » qui custodiebant animam meam; » sive secundum Symmachum, « Et qui observabant animam meam, con» silium inierunt simul dicentes, Deus dereliquit eum : » persequimini et comprehendite eum, quia non est qui » eripiat[4]. » Hæc quippe dicebant principes sacerdotum et qui cum iis erant, in tempore passionis moventes capita sua et sic loquentes : « Qui destruit templum et in » tribus diebus excitat illud, alios salvos fecit, seipsum » non potest salvum facere. Si rex Israël est, descendat » nunc de cruce, et credemus ei[5]. »

« Deus ne elongeris a me, Deus in auxilium meum » respice[6]. » Inimici mei supra memorati dicebant, « Deus dereliquit eum : » ego autem rogo deprecorque te Deum meum, ut adsis semper mihi, neque procul a me recedas, sed ad auxilium meum respicias. Te quippe adjutorem nactus, probe scio me omnes inimicos meos pudore suffusos visurum esse. Illud autem, « confundantur »

[1] 2 Cor. XIII, 4. — [2] Joan. X, 18. — [3] Philip. II, 8. — [4] Psal. LXX, 10. — [5] Ibid. 11. — [6] Ibid. 12.

pro consueto in divina Scriptura more, nunc quoque pro « confundentur » dictum est; illud item, « et deficiant, » pro, « deficient detrahentes animæ meæ[1], » positum est; sive secundum Symmachum, « adversarii animæ meæ. » Quomodo autem pudore suffusi defecerint qui necem ejus moliti sunt, non longo nobis sermone disquirere opus est : nam ex eo tempore princeps sacerdotum apud eos penitus defecit, Pharisæorum vero ne nomen quidem superest, neque memoria ulla dignitatum eorum. Defecerunt quippe principes ex Juda et duces ex femoribus ejus, cum advenisset expectatio gentium, secundum prophetiam hæc vaticinantem[2]. Ac neque reges, neque duces, neque ulli penes eos magnates sunt, non ordo quispiam priscorum magistratuum illis superstes est; sed omnes qui detrahebant animæ ejus, confusi defecerunt. Quanta vero in confusione versantur hodieque, qui Judæis præesse putantur, videntes se passim in Scripturis idololatriæ nomine accusari, omnes vero per orbem gentes per Christi doctrinam a paterno errore descivisse : ac in quibus locis jam degunt, nec sine confusione cernentes, se quidem regia sua metropoli extrusos ac dejectos, Græcos autem alienigenas et extraneos locum suum incolentes; gentesque in omnibus provinciis, regionibus et urbibus propheticas Servatoris voces prædicantes? Confusio revera et ignominia animas eorum invasit : videntes eum qui ab ipsis hesterna die ad crucem traditus est, per totum orbem adorari Deumque prædicari : quæ sane impleta sunt consequenter ad hanc prædictionem sic habentem : « Induantur confusione et reverentia qui » quærunt mala mihi. » Et illi quidem talia patientur : « ego vero, » ait, tot malis affectus ab illis, « semper spe» rabo, et adjiciam super omnem laudem tuam[3]. » Cum

[1] Psal. LXX, 13. — [2] Gen. XLIX. 10. — [3] Psal. LXX, 14.

autem ab omnibus interpretibus « adjiciam » dicatur, et Aquila sic habeat, « Adjiciam super omnes hymnos, » Symmachus vero, « Et adjiciam hymnis; » vide num hymnis Patris sui additamentum fecerit, novum Testamentum veteri addens. Neque enim priora sustulit, cum secunda adjecit, sed additamentum effecit. Quod etiam in ejus doctrina reperire est, ubi ait : « Dictum est an-» tiquis, Non occides; ego autem dico vobis, Ne irasci-» mini. Dictum est antiquis, Non mœchaberis; ego au-» tem dico vobis, ne concupiscatis[1], » et si qua similia, quæ spirituali sensu et interpretatione intellecta, et additamentum legi inferentia, in Ecclesia ejus tradita sunt. Sed etiam, inquit, « os meum annuntiabit justitiam » tuam. » Siquidem justitiam Dei exhibet Evangelium, non Judæis duntaxat destinatum, ut lex per Moysem data. Quamobrem ait Apostolus : « Non enim erubesco » Evangelium. Virtus enim Dei est in salutem omni cre-» denti, Judæo primum et Græco[2]. Justitia enim Dei in » eo revelatur[3]. » Idcirco hic dicitur : « Os meum an-» nuntiabit justitiam tuam, tota die salutem tuam; » sive secundum Symmachum, « Per omnem diem salu-» tem tuam. » Idque per totum orbem impletum videre est : in quo os Salvatoris nostri per divinas Scripturas omnibus hominibus quotidie salutem ab se omnibus procuratam prædicat. His adjicit, « Quoniam non cognovi » litteraturam. » Qui clavibus regni acceptis, neque ipsi ingrediebantur, neque alios ingredi concedebant, litteraturam detinebant. Ego vero, inquit, qui Moysis scriptis non attendo, neque corpoream legis litteraturam Discipulis meis tradidi, non cognovi litteraturam. Quid autem nosti? Id postea declarat dicens : « Introïbo in potentias » Domini Domini, et memorabor justitiæ tuæ solius[4]. »

[1] Matth. v, 27. — [2] Rom. I, 16. — [3] Psal. LXX, 15. — [4] Ibid. 16.

Nam litteratura Judæis solis competebat, qui ter in anno Jerosolymam adire jubebantur, eaque multa alia ardua nec necessaria continebat. Ego vero in potentia Domini Domini in Ecclesias meas introïbo, et memorabor justitiæ tuæ solius. Justitia namque Patris erat, ut omnes homines Græcos simul et Barbaros sua cognitione donaret, et ut in omni loco, neque in uno ut olim coli se præciperet; ita ut ab oriente sole usque ad occidentem nomen ejus celebraretur in gentibus [1].

« Deus docuisti me a juventute mea, et usque nunc » pronuntiabo mirabilia tua [2]. » Solus Servator Patrem sibi magistrum ascribit : quare contribules ejus dicebant : « Unde huic sapientia tanta, et virtutes? Nonne hic est » fabri filius [3]? » Probe quippe sciebant ipsum non magistris hominibus operam dedisse. Quia igitur forma servi accepta, et habitu iuventus ut homo, puerilem emensus est ætatem, ac perinde atque nos juventutis annos decurrit, illoque tempore non disciplinis, non magistris operam dedit; sed virtute divina proficiebat ætate et sapientia et gratia apud Deum et homines; jure hic ait : « Deus » docuisti me a juventute mea, et usque nunc pronun- » tiabo mirabilia tua : » quod etiam penes Discipulos meos servetur usque ad consummationem sæculi : et, ut dixerit quispiam, usque ad senectutem, et ad usque postremam consummationem, te rursum deprecor, Deus, ne me derelinquas; sed mihi adsis ac per me mirabilia tua opereris, « donec annuntiem brachium tuum generationi » omni, quæ ventura est [4]. » Nam præsens, inquit, generatio tortuosa est et perversa, generatio mala et adultera. Quapropter in futura generatione annuntiabo « po- » tentiam tuam et justitiam tuam Deus usque in altissi-

[1] Malach. I, 11. — [2] Psal. LXX, 17. — [3] Matth. XIII, 55. — [4] Psal. LXX, 18.

» ma, et quæ fecisti magnalia[1]. » Tu ipse Pater per me hæc omnibus, qui post futuri sunt, hominibus et venturæ generationi annuntiabis, et prædicabitur justitia tua usque in altissima. Nam cum ii qui in terra sunt salutem consequentur, gaudium erit in cœlis Angelis qui in altissimis habitant, hominum saluti gratulantibus. Senectam vero et senium ne cuncteris dicere, esse Discipulorum et Ecclesiæ ipsius perfectionem. Si namque corpus ejus Ecclesia est, ut docuit Apostolus dicens : « Vos au» tem estis corpus Christi et membra ex parte[2]; » pars Ecclesiæ et senium ejus opportune dicatur esse, ejus in præsenti vita secundum virtutem consummatio, post quam exuta mortali ac terrena vita, cœlesti mansione dignata, et conjuncta Ecclesiæ primogenitorum descriptorum in cœlis, renovabitur. Sic item intelligas quod superius dicitur : « Ne projicias me in tempore senectutis, » cum deficiet virtus mea, ne derelinquas me. » Nam secundum aliam expositionem pro Ecclesia sua precatur, ut ne in tempore terrenæ illius diuturnitatis projiciatur. Quod si tunc deficiat virtus ejus, rogat ut ne sic quidem derelinquatur. Contingit enim plerumque, ut persecutionum tempore deficiat, cum multi ex Ecclesiæ corpore ob fidei infirmitatem, eam abjurant. Num forte hæc referenda ad tempus defectionis, de quo Apostolus hæc docuit : « Nisi venerit defectio primum, et revelatus fuerit » homo peccati, filius perditionis[3]. » Hoc vero tempus Servator declaravit his verbis : « Num veniens Filius ho» minis inveniet fidem super terram[4]? » et rursum, « Et » quoniam abundavit iniquitas, refrigescet caritas mul» torum[5]. » Tunc enim corpus Ecclesiæ senio confectum et infirmum erit. Verum ne illo tempore desertus popu-

[1] Psal. LXX, 19. — [2] 1 Cor. XII, 27. — [3] 2 Thess. II, 3. — [4] Luc. XVIII. 8. — [5] Matth. XXIV, 12.

lus ejus relinquatur, necessario has profert voces : « Deus » quis similis erit tibi? Quantas ostendisti mihi tribula- » tiones multas et mala? » et cætera. Nam accuratam rationem cur Deus Filio suo non pepercerit, sed pro nobis omnibus tradiderit illum; ac cum peccatum non nosset, peccatum eum pro nobis effecerit, nemo præter ipsum solum enarrare potest. « Quis enim novit sensum » Domini, qui instruat eum? » Neque enim quis in Dei judicium sese immittere audeat, neque consilia deprehendere possit, queis Unigenito suo ostendit tribulationes et multa mala. Neque in iis ipsum deseruit, sed conversus vivificavit eum, et de abyssis terræ iterum reduxit eum. Accuratissime autem dictum fuit illud, « Ostendisti mihi » tribulationes multas et mala[1]. » Cum prospiceret enim tribulationes, et multa illa quæ vocantur mala, non captus ab illis neque victus est; sed omnibus superior effectus, contemplabatur ea; ita ut his vocibus plusquam omnes alii usus sit : « In omnibus tribulationem patimur, » sed non angustiamur : aporiamur, sed non destituimur : » dejicimur, sed non derelinquimur[2]. » Hæc quippe Paulus, et qui parem atque magister ille utilitatem perceperant dicebant. Abyssos terræ hic inferorum regionem vocavit : quod Apostolus explicat dicens : « Ne » dicas, quis descendet in abyssum; id est, Christum ex » mortuis reducere[3]? » Et in Job quoque Dominus qui in ipso oracula fundebat, hæc protulit : « Venisti vero in » fontem maris, in vestigiis autem abyssi ambulasti. Ape- » riuntur vero tibi timore portæ mortis : ostiarii autem » inferni videntes te conterriti sunt[4]. » Qui porro hic ait, « Et de abyssis terræ iterum reduxisti me, » clare docuit se in abyssos terræ descendisse, ac rursum ascendisse. Nec scio utrum quis valeat hæc alio accipere mo-

[1] Psal. LXX, 20. — [2] 2 Cor. IV, 8. — [3] Rom. X, 7. — [4] Job. XXXVIII, 16et ·

do, quam ad Servatorem et Dominum nostrum referendo prophetiam. Is ipse vero subjungit : « Multiplicasti magni- » ficentiam meam, et conversus consolatus es me[1]. » Quomodo autem Pater multiplicaverit magnificentiam Unigeniti sui, nisi cum ostendit illi tribulationes multas et mala? Quemadmodum enim agonotheta quispiam, cum adversum multos athletam exercet suum, ejus liquidius virtutem ostendit, quando eum omnium victorem prædicat; eodem modo Pater Filii magnificentiam ut omnibus palam faceret, multis ipsum tribulationibus et malis circumdedit; ut parta contra omnes victoria, apud omnes prædicaretur. Quare ait : « Multiplicasti magnifi- » centiam meam ; » sed post hæc omnia, inquit, « con- » versus consolatus es me. » Quo pacto consolatus eum est, superius docuit his verbis : « Et conversus vivificasti » me, et de abyssis terræ iterum reduxisti me. » Hæc quippe consolatio erat, quam Apostolus his declaravit : « Propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi no- » men, quod est super omne nomen; ut in nomine Jesu » omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infer- » norum[2]. »

« Nam et ego confitebor tibi in vasis psalmi veritatem » tuam[3]. » Tu mihi quidem hæc Pater præbuisti, inquit. Post multas enim illas tribulationes, post prædicta mala, « conversus vivificasti me, et de abyssis terræ iterum re- » duxisti me, » et consolatus me es, multiplicans magnificentiam meam. Ego vero pro collatis abs te mihi beneficiis vicem rependens, « confitebor tibi in vasis psalmi : » nam « quid retribuam Domino pro omnibus quæ retri- » buit mihi[4]? » Imo vero apparatis vasis tibi congruentibus, concinnatisque psalmodiæ instrumentis te dignis, per hæc veritatem tuam cantabo tibi, talesque excitabo

[1] Psal. LXX, 21. — [2] Philip. II, 9. — [3] Psal. LXX, 22. — [4] Ps. CXV, 12.

citharas, quæis labia mea exultabunt, nec non « anima » mea quam redemisti, reducens eam de abyssis terræ, et vivificans eam postquam mortem sustinuerat. Vasa autem et instrumenta Deo grata, quibus hodieque Christus Dei per totum orbem psalmos, hymnos et laudes Patri emittit, quæ dixeris esse, nisi populos in singulis Ecclesiis consistentes? quorum animas componens Dei Verbum, ipsasque uno symphoniæ et harmoniæ vinculo Patri colligans, amabilem dulcemque modulationem emittit. Si quis ergo animi gratia, instrumenta illa Judæorum veterum, inanimitatis ex chordis conflata, ac non articulatam vocem proferentia, cum hymnis in Christi Ecclesia a rationabilibus animabus Deo emissis contulerit; nihil in his simile deprehendet. Quovis enim corporeo psalterio præstantior est multitudo, quæ per totum orbem uno concentu, harmonia una, Deum qui super omnia est celebrat. Cujus ministerio Filius se Patri psallere confitetur dicens : « Nam et ego confitebor tibi in » vasis psalmi veritatem tuam, Deus. » Non ultra enim figuras, non umbras, non symbola qualia apud Moysem erant, sed veritatem tuam hominibus declarabo, et « psal» lam tibi in cithara sanctus Israël. » Sive secundum Aquilam, « Modulabor tibi in cithara, sancte Israël. » Sed etiam « exultabunt labia mea, cum cantavero tibi [1]; » sive secundum Symmachum, « Celebrabunt labia mea » cum modulabor tibi, et anima mea, quam redemisti. » Sed et lingua mea tota die meditabitur justitiam » tuam [2]. » Labia autem et linguam ejus meditantem justitiam Patris, non aberraveris si dicas eos esse qui in Ecclesia ipsius exercitationi divinæ Scripturæ sese consecrarunt. Et hæc omnia, inquit, faciam, « cum confusi » et reveriti fuerint qui quærunt mala mihi; » sive se-

[1] Psal. LXX, 23. — [2] Ibid. 24.

cundum Symmachum, « Quia confusi sunt, aut quia ef-
» fossi sunt qui quærunt afflictionem meam; » sive secundum Aquilam, « Quia confusi sunt qui quærunt mi-
» seriam meam. » Hæc porro opere completa videre licet. Nam cum ubique terrarum Ecclesiæ Servatoris justitiam Dei enarrent, ipseque Servator vasa electionis, qualia supra dicta sunt, et instrumenta rationabilia Patri præparet, semperque Deum qui supra omnia est iis concelebret, inimici ejus confusione induuntur, ac confusi et reveriti sunt qui quærunt ipsi mala. Hi vero sunt qui omnes occasiones venantur, contumelias, calumnias et blasphemias contra eum excogitant, nullamque reperiunt vel in ipsum vel in Ecclesiam ipsius calumniæ causam. Quare pudore suffunduntur et reverentur, quod ultra non audeant quidpiam calumniæ proferre. Et hæc omnia opere complentur, secundum prophetiam quæ in præcedentibus sic habet, « Cum confusi et reveriti fue-
» rint qui quærunt mala mihi. » Tunc enim, inquit, cum inimici confundentur, ego psallam tibi, tibique Patri meo confitebor. Insuperque « lingua mea tota die
» meditabitur justitiam tuam.

PSALMUS LXXI.

In Salomonem [1].

« Deus judicium tuum regi da [2] » Reliqui, « Salomo-
« nis, » interpretati sunt. Est autem et alius ejusdem in canticis graduum, cujus initium : « Nisi Dominus
« ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædi-

[1] Psal. LXXI, 1. — [2] Ibid. 2.

« ficant eam[1]. » Ex quibus videtur Salomonem in constructione domus, quam excitavit in Jerusalem, nam ipse primus templum illic extruxit, hoc canticum edidisse : quo docemur, sola Dei ædificia æternum permanere, humana quippe pro tempore solum consistunt : quod etiam in ejus extructione actum est; non diu enim postea templum ab eo ædificatum, a Babyloniis dirutum fuit. Præsens vero prophetia, sive in Salomonem dicta est, sive secundum reliquos interpretes, ipsius Salominis est. Series certe sermonis alium quempiam vaticinio enuntiatum declarare videtur. Quare neque psalmus, neque canticum, neque hymnus, neque quidpiam simile inscriptus est. Sed est prophetia prænuntians quemquam hominibus adventurum pauperum et inopum Servatorem, qui ex alto sensim et sine strepitu accessurus est : « Descendet » enim « sicut pluvia in vellus. » Atque justitiam deinceps in adventu ejus in genere hominum versaturam, ipsumque non Judææ modo, neque duabus tribusve gentibus, sed omnibus per orbem dominaturum, omnes gentes subigendas ipsi fore, celebrandum ipsum esse omnibus, non brevi tempore, sed per omne sæculum. In summa quid aliud hic sermo recenset, nisi talem esse qui in vaticinio fertur, qualem nemo unquam, nec in Judæorum gente, neque in aliis fuisse memoravit? Neque enim ipse Salomon, neque David, neque quispiam successorum is videbatur esse; cui ea quæ in prophetia feruntur aptari possint. Perpende igitur num præmissis de Servatoris nostri passione prædictionibus hæc, qua regnum ejus describitur, consequenter adjiciatur. Par erat enim nos quæ ad illud quoque attinent edoceri. Cum autem plurimæ prophetiæ Christum, qui ex Davide originem ducturus erat, celebrarent; quia

[1] Psal. CXXVI, 1.

verisimile erat, nonnullos iis Salomonem indicari suspicaturos esse; nam is solus ex filiis Davidis in regno maxime claruit, Deo templum excitavit, et sapientia ornatus fuisse memoratur : necessario « in Salomonem » hæc prophetia inscribitur, sive ipsius Salomonis esse fertur, ut non ultra putaretur ipsum esse ex Davidis semine qui expectabatur : ex ipso quippe Salomone alius venturus speratur, ut ipsi promissum est. Si itaque secundum Septuaginta interpretum titulum in ipsum Salomonem dictum fuisse psalmum intelligamus, dicemus utique Spirtum sanctum, cum pro ipso orationem Deo emisisset in primo versu, qui sic habet, « Deus judicium tuum » Regi da, » id est Salomoni, quæ sequuntur de illo qui ex ipso nasciturus erat dixisse his verbis, « Et justitiam » tuam filio Regis, » id est, ipsi Jesu qui ex semine ejus venturus erat. Vel horum quæ tractamus talis mens fuerit : Decretum a deitate tua editum fuit, atque edictum et judicium regium ex Spiritu tuo constitutum est, ut ex Salomonis prole Servator mundi secundum carnem gignatur. Hoc igitur judicium tuum, Deus, nunc tandem regi da, scilicet Salomoni, ut verba opere compleantur, ipsique Regi memoratum judicium præbeas; justitiam vero tuam filio Regis, qui ex semine ejus proditurus est; ut qui ex Spiritu gignetur successor ejus, accepta justitia tua, « judicet populum tuum in justitia, et pauperes « tuos in judicio. » Et hæc quidem, si in ipsius Salomonis personam referatur inscriptio Septuaginta interpretum, quæ « in Salomonem » habet. Sin secundum reliquos interpretes Salomonis prophetia dicatur esse, dicemus ipsum Salomonem Spiritu repletum, tres hic personas declarare; Deum, cui orationem emittit, Regem, quem in universa regnaturum credebat, videlicet Filium Dei, tertio hominem, quem assumpsit ex semine David,

ex ipsoque Salomone nasciturum, alium ab illo rege qui in psalmo ait : « Ego autem constitutus sum rex ab eo su-
» per Sion montem sanctum ejus, prædicans præcep-
» tum Domini. Dominus dixit ad me, Filius meus es tu,
» ego hodie genui te. Postula a me, et dabo tibi gentes
» hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos
» terræ[1]. » His enim aperte constitutus, hæc a Patre audit : « Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a
» me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam. » Novit porro et ipse Salomon Filium Dei, qui ipsum sapientiam vocat in Proverbiis, ubi ex ejus persona sic loquitur :
» Ego sapientia inhabitavi consilium, et scientiam, et
» cogitationem ego invocavi. Per me reges regnant[2]; » ac deinde, « Dominus creavit me initium viarum sua-
» rum in opera sua : ante sæculum fundavit me, ante-
» quam montes collocarentur : ante omnes colles gignit
» me[3]. » Proles igitur Dei est sapientia et Filius ejus unigenitus : neque illo Salomon hanc fundit orationem dicens : « Deus judicium tuum Regi da, » scilicet Unigenito Verbo tuo. Quia enim judicasti ut in terra videretur, ut non modo cœlestibus, sed etiam terrenis regnaret, hoc judicium jam demum ad terminum deducatur. Justitiam item tuam filio Regis, o Deus, concede : hic vero filius Regis intelligitur secundum carnem ex semine David, quem Dei Verbum, quod antea existebat, sibi ex Spiritu sancto et ex sancta Virgine constituit : quem item puto Salomonem in Proverbiis subindicare his verbis : « Quis ascendit in cœlum et descendit? Quis con-
» gregavit ventos in sinu? Quis convertit aquam in ves-
» timentum ? Quis dominatus est omnium finium terræ?
» Quod nomen ejus, et quod nomen filio ejus[4]? » Sic enim interpretati sunt reliqui, Aquila scilicet dicens :

[1] Psal. II, 6. — [2] Prov. VIII, 12. — [3] Ibid. 22. — [4] Prov. XXX, 4.

« Quod nomen ipsi, et quod nomen filio ejus? » Theodotio similiter, « Quod nomen ejus, et quod nomen filio » ejus? » Clare enim qui hic fertur terræ imperasse, descendisse et ascendisse in cœlum, et reliqua peregisse, quæ nonnisi per otium explicari possunt, nullus alius quam Filius Dei fuerit, qui hæc ipsa docebat his verbis : « Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit » filius hominis[1]. » Qui autem hic filius ejus dicitur, secundum carnem intelligatur, quam ex semine David et Salomonis factam accepit.

Sed quia Judæi has Proverbiorum voces universorum Deo referent, nescientes, Filium Dei hisce verbis quasi vere Filium Dei demonstrandum ipsis esse, id clare et aperte Scriptura declarat his verbis : « Quod nomen « ejus, et quod nomen filio ejus? » Cum autem Scriptura in Psalmo dicit, « Deus judicium tuum Regi da, » diversum esse judicium a judicatione docet. Nam judicium est quod semel Deo placitum et judicatum est; judicatio vero est eorum quæ judicantur examen, quod sequitur pro merito singulis data retributio. Quare hic non judicationem postulat Regi dari, sed judicium, sive sententiam et placitum Patris de divino Filii sui ad homines adventu. Judicium itaque Regi, justitia vero filio Regis datur. Ipse quippe rex justitia erat, ut declarat Apostolus dicens : « Qui factus est nobis sapientia a Deo, justi- « tia item et sanctificatio et redemptio[2]. » Hec itaque Patris justitia filio Regis data est ex semine David secundum carnem facto; in quo ceu in templo habitavit Dei verbum et sapientia et Justitia. Causam vero cur justitia memorato filio Regis data sit, deinde docet his verbis : « Judicare populum tuum in justitia, et pauperes tuos » in judicio. » Oportebat enim pauperes Dei, et populum

[1] Joan. III, 13. — [2] I Cor. I, 30.

ejus in hominibus a filio Regis in justitia judicari; quia alio modo regem suscepturi non erant. Quamobrem formam servi accipiens et habitu inventus ut homo, per filium hominis quem assumpsit ex omnibus gentibus secundum* hoc justi viri dictum, « elegit sibi populum pe» culiarem[1]; » necnon eos qui hic pauperes ejus vocantur, quos ille beatos prædicat his verbis : « Beati pauperes spi» ritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum[2]. » Et alias de justitia hæc docet Apostolus : « Non enim erubesco » Evangelium : virtus enim Dei est in salutem omni cre» denti, Judæo primum, et Græco : Justitia enim in ipso » revelatur[3]. » De pauperibus item hæc ipse declarat : « Videte enim vocationem vestram, fratres, quia non » multi sapientes secundum carnem, non multi nobiles, » non multi potentes : sed quæ stulta sunt mundi elegit » Deus, ut confundat sapientes; et infirma et contempti» bilia elegit, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrue» ret; ut non glorietur omnis caro in conspectu Dei[4]. »

« Suscipiant montes pacem populo, et colles justi» tiam. » Præter priora hæc quoque Spiritus propheticus precatur, ut montes quondam populo infesti, posita inimicitia, pacem cum eo haberent, et ut colles prædictam justitiam eidem populo annuntiarent. Jam pridem enim montes cum populo inimicitias gesserunt, et colles similiter. Cum autem filius Regis populum olim extraneum, proprium sibi facit, tunc montes, ut hic vocantur, pacem cum populo habent. Montes autem et colles pacem cum populo habentes quos esse dixeris, nisi Angelorum chorum, et his superiores divinas virtutes? quæ cum olim populus extraneus Deo esset, inimicitias cum eo gerebant; nunc autem cum in possessionem filii Regis

* Vel, secundum justitiæ rationem.

[1] Deut. XIV, 2. — [2] Matth. V, 3. — [3] Rom. I, 16. — [4] I Cor. I, 26.

venerit, posita inimicitia, amicæ ejus effectæ sunt. Qui sit vero populus ex omnibus gentibus coactus intelliges, si his conferas Zachariæ prophetiam, quæ sic habet : « Gaude et lætare filia Sion. Ecce rex tuus venit, et ha- » bitabit in medio tui, dicit Dominus. Et confugient » gentes multæ ad Dominum, et erunt mihi in popu- » lum, et ego ero eis in Deum. Et cognoscent quia Do- » minus omnipotens misit me ad te[1]. » His quippe Dominus, ex gentibus se, non ex Jadaïca gente, sibi populum congregaturum esse perspicue denuntiat. Huic sane populo virtutes quæ supra mundum et Angelicæ sunt, hic montes et colles vocatæ, ad pacis conditiones venerunt; quæ olim, cum populus impie idololatriæ hæreret, infestæ erant. Hæ vero ipsæ justitiam eidem populo annuntiant, videlicet Christum Dei, qui vere justitia est; sive salutare Evangelium, cujus causa dictum est : « Suscipiant montes pacem populo, et colles justi- » tiam. » Hec porro invenient, quia memoratus filius Regis « judicabit pauperes populi, et salvos faciet filios » pauperum[2]; « nam cum prius salute dignos judicasset, sic eis salutem impertit. Non enim sine prævio judicio, sed præmisso examine, salutem præbet pauperibus suis et filiis pauperum, quorum prophetia meminit dicens : « Evangelizare pauperibus misit me : predicare captivis » dimissionem, et cæcis visus restitutionem[2]. » Mendicos vero quos ait, nisi eos qui perinde atque Paulus dicere valent, Usque in hanc horam et esurimus et siti- » mus, et nudi sumus, et colaphis cædimur et instabiles » sumus[4] : » atque eos qui cum Petro hæc effati possunt, « Argentum et aurum non est mihi[5]. » Tales sibi pauperes paravit, præcipiens illis ut non possiderent aurum neque argentum in zonis, neque peram ad viam, neque

[1] Zach. II, 10. — [2] Psal. LXXI, 4. — [3] Isai. LXI, 1. — [4] 1 Cor. IV, 11. — [5] Act. III, 6. — [6] Matth. X, 9.

duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam[1]. Hujusmodi item erant illi olim « circumeuntes in melotis, » in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, in » solitudinibus errantes, in montibus, in speluncis et in » foraminibus terræ[2]. » Sed si hosce solum sermo commemorasset, exclusus sane foret quisquis iis non similis esset. At jam alium ordinem enumerat dicens, « Et sal- » vos faciet filios pauperum. » Filii vero pauperum erant Apostolorum et dispulorum Servatoris nostri noti, quos Apostolus hisce verbis indicavit : « Nam etsi mul- » tos pædagogos habeatis in Christo, sed non multos » patres : in Christo enim Jesu ego vos genui[3]; » ac rursum, « Filii mei, quos rursum parturio, donec formetur » Christus in vobis[4]. » Verum pauperes suos et filios pauperum cum justitia et recto judicio salute donat. Calumniatoris autem, qui in animum induxit populum et Ecclesiam ejus impugnare; (nam sexcenti sycophantæ sunt qui Ecclesiam ejus calumniantur;) imo etiam aliorum qui probi instituti viros in Ecclesia ejus sycophantiis impetunt, vitæ exitum perpendens, probe intelliges cur dicatur, « Et humiliabit calumniatorem. » Quis enim eorum, qui tyrannice in Salvatoris nostri Ecclesiam egerunt, eamque blasphemis dictis et Sycophantiis traduxerunt, dejectus fuit? qui ex sapientibus hujus sæculi linguam suam exacuit contra divinam Scripturam, quin sycophantiæ suæ pignora retulerit? Sed cum bene multi sycophantæ contra Ecclesiam ejus insurrexerint, omnesque prorsus dejecti et humiliati fuerint, ipse tamen una cum sole permansurus, ac perinde atque sol doctrinæ suæ radiis totum orbem illustraturus prædicitur, et ante lunam futurus prænuntiatur; sive secundum Aquilam, « Et in faciem » lunæ; » aut secundum Symmachum, « Et in conspectu » lunæ permanebit[5]. » Non enim, ante luna, id est, ante-

[1] Hebr. xi, 37. — [2] 1 Cor. iv, 15. — [3] Gal. iv, 19. — [4] Psal. lxxi, 5.

quam luna fieret; sed coram, id est, in conspectu lunæ est reputandus. Quemadmodum enim sol diem efficit cum super terram advenit, luna vero lumine suo noctis tenebras solvit; eodem modo qui in vaticinio fertur, perinde atque luna animas in tenebris et nocte versantes illuminat, atque veluti sol totum illustrat orbem, ac permanet et perseverat usque ad consummationem sæculi. Quamdiu enim sol totum orbem lætificat, tamdiu et ille una cum sole permanens et perseverans hominum animas illuminat, ac perinde atque luna plena in generationes generationum perdurare dicitur.

« Descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia » stillantia super terram [1]. » Descensum Dei Verbi intelligas, si consideres depressionem et attemperationem qua se hominum parvitati adaptavit, cum « humiliavit » semetipsum formam servi accipiens, et habitu inven- » tus ut homo [2]. » Quare dicitur, descendet. Necesse vero fuit ut exemplo prophetia uteretur dicens, « Sicut » pluvia in vellus. » Quod similiter reliqui omnes ediderunt, Aquila scilicet, « Et descendet sicut pluvia in » pellem; Symmachus, Descendet sicut ros in vellus; » parique modo reliqui interpretes, declarantes Verbi, quod in prophetia fertur ex sublimi, sive ex ipsis cœlis, descensum in terram : ipsumque quiete ac sensim, advertente nemine, descendisse subindicantes. Pluvia quippe in vellus insensili modo sine strepitu demittitur. Quia igitur Servatoris nostri generatio secundum carnem tali dispensatione facta est, ut ne ex vicinis quidem ullus conceptionis et partus sanctæ Virginis mysterium vel cogitaret vel audiret; quod ipsum præsens sermo subindicavit dicens, « Descendet sicut pluvia in vellus ; » et alias, quia vellus ovium pellis est, si cogites Servatorem

[1] Psal. LXXI, 6. — [2] Philip. II, 8.

ipsum ita docuisse, « Non veni nisi ad oves quæ perierunt domus Israël[1]; » præsens dictum hujusmodi voci coaptabis. Non enim ad aliam gentem descendit, sed ad solam Judaïcam, penes quam commoratus est. Primus ergo ejus descensus talis fuit, qualis pluviæ in vellus secundum jam traditam rationem. Post hæc autem, non ultra sicut in vellus, sed magno cum motu, sonitus sive doctrina ejus per totum orbem ad omnium aures pervasit. Quare additur deinde, « et sicut stillicidia stillantia » super terram. » Stillicidia namque, sive « guttæ ro- » ris » secundum reliquos interpretes, stillantes super terram, non prorsus sine strepitu, sed magno cum sonitu descendunt. Id vero tum finem accepit, quando in omnem terram exivit sonus Apostolorum ejus, et in fines orbis terræ verba eorum.

Sub hæc dicitur : « Orietur in diebus ejus justitia et » abundantia pacis[2]; » secundum Aquilam vero, « Germinabit in diebus ejus justus, et abundantia pa- » cis; » secundum Symmachum vero, « Florebit in » diebus ejus justus. » Dies autem Servatoris nostri ab adventu ejus usque ad consummationem sæculi intelligendi sunt. Qua ratione enim audimus, « In diebus » David; in diebus Jeroboam; » eodem prorsus modo dies Servatoris nostri excipiendi sunt. Sed illi quidem cum ad breve tempus superstites fuissent, brevi extincti sunt : quare dies illorum defecerunt. Dies vero Servatoris nostri quot sint, supra declaratum his verbis est: « Permanebit cum sole et ante lunam, in generationes » generationum. » Consequenter ad hæc verba Discipulis suis hæc pollicitus est : « Ecce ego vobiscum sum » usque ad consummationem sæculi[3]; » ita enim cum sole permansurus erat. Itaque in diebus ipsius, queis

1 Matth. xv, 24. — 2 Psal. LXXI, 7. — 3 Matth. XXVIII, 20.

cum sole permanebit, et simili quo luna modo, animas in tenebris positas illuminabit, justitia lucebit in universa terra; sive secundum Aquilam, *justus*. Nec ultra apud Judæos tantum unus aut alter justus nominabitur; sed per totum orbem infiniti in Christo justificabuntur. Multitudinem autem justorum, qui in diebus Servatoris nostri floruerunt, et qui luminis instar, perinde atque ipsorum luminare, exorti sunt, intelliges ex multitudine martyrum ejus per universam terram, eorumque qui in Ecclesia ejus Angelicam vitam cum omni castitate duxerunt. Quod si dictum est, futurum esse ut justitia in diebus ejus efflorescat, et hoc quo pacto eveniat hinc edisces, quod non tantum Judæi, sed etiam omnes gentes ad divinam fidem vocatæ sint, ac servi pariter et liberi Deum colant, pauperes perinde atque divites, principes cum subditis, cum multa Dei justitia [pie vivant]. Quo pacto autem abundantia pacis in memoratis Salvatoris nostri diebus orta sit, probe intelligitur ex rerum ante primum ejus adventum conditione. Quo tempore totum humanum genus ceu ex uno corpore in infinita membra hinc inde dispersa divisum erat. Nam gentes aliæ alio modo a priscis jam temporibus divisæ fuerant, bellumque inter se gerebant, ab aliisque impugnabantur: et alii quidem tyrannis subditi erant, alii democratia, alii paucorum dominatu regebantur, toparchæ et tyranni varii imperium obtinebant; ut vicinis non facultas esset ad finitimas regiones commeandi, quia nulla esset societas, bellaque inexpiabilia et implacabiles inimicitiæ jamdiu usque ad Servatoris nostri tempus perdurarent. Ex quo autem sublatis regulis, monarchia gentibus multis imperavit, vere fuit abundantia pacis, et commercium universarum gentium; ita ut opere comprobetur hoc testimonium soli Servatori nostro con-

venire. Hanc autem abundantiam pacis permansuram ait « donec auferatur luna, » sive secundum Aquilam, » usquequo luna ; » vel secundum Symmachum, » donec antiquetur luna. » Quandonam antiquabitur luna? In consummatione sæculi, qua hæc prophetia implebitur : « Sol et luna obscurabuntur; » ac rursum, » Non erit tibi sol in lucem diei, neque luna illuminabit » te noctu[1]. » Itaque quemadmodum superius eum qui in vaticinio fertur cum sole permansurum declarabat, sic jam abundantiam pacis ab eo hominibus procurandæ, usque ad consummationem duraturam esse vaticinatur : quod scilicet quiete ac sine strepitu in Judaïcam gentem ventura sit, et quod impletura sit totum orbem instar stillicidiorum stillantium super terram. Quod item futurum sit ut justitia oriatur in diebus ejus atque abundantia pacis, jam superius commonstratum est.

Sub hæc docet, non quodam angulo terræ circumscribendum dominatum ejus esse ; sed dominaturum ipsum esse omnibus gentibus. Quamobrem dictum est, « Et » dominabitur a mari usque ad mare[2]. » Nam si termini quidam terræ sunt, qui ipsam circumquaque ambiant, videlicet maria Oceanusque qui ab hominibus præternavigari nequit, sane id quod ab omnibus undique maribus continetur, Domino, qui prænuntiatur, confitebitur. Quocirca dicitur : « Et dominabitur a mari usque ad » mare. » Dictum autem impletum noveris, si perpendas Dei Ecclesias ubique terrarum Christum ejus, Dominum prædicare. Sed etiam a flumine usque ad terminos orbis terrarum dominaturum eum necessario pronuntiat. Nos quippe ediscere opus erat undenam doctrinæ initium ducturus sit : significat autem principium ipsi futurum esse a flumine. Quod flumen indicat Evangelium

[1] Joel. II, 10. — [2] Isai. LX, 19. — [3] Psal. LXXI, 8.

dicens : « Tunc accedit Jesus a Galilæa in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo. Ille autem prohibebat » eum dicens : Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad » me. Ille autem respondens dixit ei : Sine modo, sic » enim decet nos implere omnem justitiam[1]. » Quando postquam baptizatus fuisset, « Aperti sunt cœli, et vidit » Spiritum Dei descendentem sicut columbam et ve- » nientem super ipsum. Et vox de cœlis audita est di- » cens : Hic est filius meus dilectus, in quo mihi com- » placui[2]. » Ex illo namque tempore dominatus ejus agnosci cœpit. Miro quoque modo hujus fluminis mentionem Hesaïas propheta facit, evangelizans desertum in quo prædicabat Joannes baptista. Sic ille clamabat : « Lætare desertum sitiens, exultet solitudo et floreat » sicut lilium : et florebunt et exultabunt deserta Jor- » danis[3]. » Quare non alius fluminis mentionem tantus Propheta facit, quam Jordanis, et solitudinis circumpositæ ; lætitiamque et exultationem deserto Jordanis annuntiat, non autem Jerosolymæ, nec reliquæ Judææ. Adest sane apud ipsum Hesaïam declaratio fluminis, de quo hic dicitur, « Et a flumine usque ad terminos orbis
5 terrarum » dominaturum esse eum qui in vaticinio fertur. Licetque prædictionem vel ipsis oculis completam deprehendere, cum videamus Christum Dei usque ad terminos terræ in Ecclesiis ejus ut Dominum celebrari.

« Coram illo procident Æthiopes, et inimici ejus ter- » ram lingent[4]. » Admodum consequenter, postquam dixerat, « Dominabitur a mari usque ad mare, et a » flumine usque ad terminos orbis terrarum, » Æthiopas memoravit, qui orbis nostri extrema incolunt, tum ea quæ ad orientem, tum ea quæ ad occasum solis sita

[1] Matth. III, 13. — [2] Ibid. 16. — [3] Isai. XXV, 1. — [4] Psal. LXXI, 9.

sunt. Unde apud exteros, dictis nostris consona secundum rei naturam habentur in illo,

Æthiopas qui bifariam divisi sunt ultimi hominum[1],
Alii quidem ad occidentem, alii ad orientem solem.

In alio quoque psalmo dictum est : « Æthiopia por-» riget manum suam Deo[2]; » ac iterum in alio Propheta : « Ex terminis fluminum Æthiopiæ ferent sub-» stantiam mihi[3]. » In his item consona voce vaticinatur ille, « Coram illo procident Æthiopes. » Queis omnibus significatur futurum, ut termini terræ ejus qui in prophetia enuntiantur cognitionem recipiant, ac procidentes et genua flectentes, adorent ipsum. Quamobrem secundum Aquilam dicitur : « Ad faciem ejus » curvabunt se Æthiopes; » secundum Symmachum autem, « In conspectu ejus procumbent Æthiopes. » Per Æthiopes autem qui extrema terræ incolunt, gentes etiam quæ intra orbem sunt indicantur. Manifestumque est, ubique terrarum, qui in ipsum credunt, genua flectentes et in terram procumbentes, per eum adorationem suam universorum Deo emittere. Imo etiam ait, « Inimici ejus terram lingent, » patri suo serpenti similes, qui in pectore et ventre graditur, et terram comedit, secundum inflictam sibi a principio pœnam. Sic videas inimicos Ecclesiæ Christi terram et corporeas voluptates lingere. Si enim corpus, cui inest anima, pulvis dictum est secundum hanc Scripturæ vocem, « Accepit Deus pulverem ex terra, et effor-» mavit hominem[4], » qui terram lingunt, carnalibusque voluptatibus addicti sunt, jure, utpote salutaris verbi inimici, male audiunt. Sed hi quidem tales : alius autem ordo eorum qui regnum Christi cognoscunt, dona

[1] Hom. Odyss. I. — [2] Psal. LXVII, 32. — [3] Soph. III, 10. — [4] Gen. II, 7.

ipsi afferet, ut in prophetia fertur his verbis : « Reges » Tharsis et insulæ munera offerent, Reges Arabum et » Saba dona adducent [1]. » In his autem dum in duas partes orbis dividitur, aliud ad occasum solis assignatur, quod primum declaratur his verbis : « Reges » Tharsis et insulæ munera offerent; » queis mare Occidentale significat, necnon insulas ibidem sitas. Sic ergo olim Jonas propheta surrexit ut fugeret in Tharsis, et descendit Joppen, conscenditque navem ut fugeret in Tharsis, quam esse dicunt Tharsum. In Ezechiele vero Tharsis vocabulum, Carthaginem LXX. expresserunt. Aliud clima ad orientem solem his significatur, « Reges Arabum et Saba. » Nam Arabum genus orientale est, ulterius autem Persica regio necnon Sabaïtarum terra posita dicitur. Pro illo autem, « Reges Arabum » et Saba, » Aquila et Symmachus ac cum iis Hebraïcum exemplar, « Reges Saba et Saba habent. » Ita ut pronuntiando quidem idipsum sint, elementorum varietate differant. Nam primum Saba per litteram *Sen* ab Hebræis dictam; secundum vero per *Sade* scriptum in Hebraïco est, unde interpretationis ortum discrimen est. Servator sane hoc nomen commemorat dicens : « Regina Saba surget in die judicii, et condemnabit » generationem hanc, quia venit a finibus terræ, ut » audiret sapientiam Salomonis [2] : » aperte declarans in terminis terræ sitam gentem Saba dictam. Hæc porro tertius Regnorum liber de ista gente narrat : « Et Re- » gina Saba audivit nomen Salomonis, et venit ut ten- » taret eum in ænigmatibus. Et venit in Jerusalem » in potestate gravi valde. Et cameli ferentes delicias » et aurum multum valde, et lapidem pretiosum [3]. » Vocabatur porro regio atque gens illa Saba, a proavo

[1] Psal. LXXI, 10. — [2] Luc. XI, 31. — [3] 3 Reg. X, 1.

Saba, qui filius Chus fuisse scribitur. Ait ergo Mosis Scriptura : « Filii autem Chus, Saba et Hevila et Sa- » batha[1]. » Chus vero explicatur Æthiops. Gens igitur quæ Saba vocatur, Æthiopica videtur esse. Secundum item Saba memoratur, de quo ait Scriptura : « Filii » Regmas Saba et Dadan[2]. » Congruenter itaque in psalmo secundum reliquos interpretes scribitur : « Reges Saba » et Saba dona adducent » Cæterum his prophetia significat, regna ad orientalem plagam sita, itemque regna occidentis, ei qui in vaticinio fertur dona oblatura esse; nam sic indicantur gentes regibus subditæ. Num fortasse reges dicantur Angeli, qui gentibus præsunt, Deo sacra facientes, eique Ecclesias gentium quarum præfecti sunt in donum offerentes? Quare deinde vaticinatur futurum, ut adorent eum omnes reges. Neque enim dumtaxat prædicta dona allaturos prænuntiat, sed eum etiam adoraturos esse. Quod item Moyses in magno cantico docuit de Christo talia fatus : « Lætamini cœli » cum ipso, et adorent eum omnes Angeli Dei[3]. » Hi scilicet reges, occulti et invisibiles gentium principes Dominum suum adorantes, animas sibi commissas ipsi in dona offerebant : quare sub hæc adjicitur, « Omnes » gentes servient ei. » Quod sane huic dicto affine est : « Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie » genui te. Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem » tuam, et possessionem tuam terminos terræ[4]. » Quod sane eventurum esse credendum, quando plenitudo gentium ingressa fuerit, maximeque in secundo et divino Servatoris nostri adventu. Tunc omnes reges adorabunt eum, et omnes gentes servient ei. Et hic omnium finis erit, cum tradiderit regnum Deo et Patri, cum destruxerit omnem principatum et omnem potes-

[1] Gen. x, 7. — [2] Ibid. — [3] Deut. xxxii, 43. — [4] Psal. ii, 7.

tatem et virtutem. Oportet enim eum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus suis, et novissima inimica destruatur mors.

« Quia liberavit pauperem a potente, et pauperem cui » non erat adjutor [1]. » Pro illo, « Quia liberavit pau- » perem a potente, » Symmachus, « Quia eripiet pau- » perem ejulantem. » Hæc quippe non quasi jam evenerint, sed ut futura vaticinatur. Animadvertas velim quoties pauperem memoret; primo cum ait, « Judicare » populum tuum in justitia, et pauperes tuos in ju- » dicio; » secundo, « Judicabit pauperes populi, et » salvos faciet filios pauperum; » et nunc iterum, « Quia » liberavit pauperem a potente, et pauperem cui non » erat adjutor; » ac rursum, « Parcet pauperi et inopi, » et animas pauperum salvas faciet [2]. » Arbitror porro his omnibus in locis ipsum Apostolos et Discipulos Servatoris nostri, pauperes et inopes vocare, qui propter ipsum paupertatem subeuntes, philosophiam illam ad virtutis fastigium evehentem colebant. Quamobrem hæc de illis Hesaïas prænuntiabat : « Evangelizare pauperibus » misit me [3]. » Ipse vero Dominus eos alloquens dicebat : « Beati pauperes, quoniam ipsorum est regnum » cœlorum. Omnes ergo gentes servient ei, quia libe- » ravit pauperem a potente, et pauperem cui non » erat adjutor [4]. » Nam illud, *Quia*, apud omnes interpretes, et in ipsa Hebraïca Scriptura positum, causam denotat, docens cur futurum sit ut omnes gentes serviant Salvatori; id namque fiet, inquit, « quia libe- » ravit pauperem a potente; » ac si clarius diceret, quia Apostolorum suorum, qui propter ipsum pauperes et inopes erant, ordinem liberabit ab omni potente. Cum multi enim potentes visibiles et invisibiles adver-

[1] Psal. LXXI, 12. — [2] Ibid. 13. — [3] Isai. LXI, 1. — [4] Matth. V, 3.

sum insurgent, eosdem ipse pauperes et inopes occulta virtute proteget, exque omnibus liberabit, ut ne quod ipsi obeunt Evangelicæ prædicationis ministerium præpediatur. Idque ipse præsens efficiet, secundum ab se tradendam promissionem, qua dicit : « Ecce ego vobis» cum sum omnibus diebus usque ad consummationem » sæculi[1]. » Sic itaque pepercit pauperi et inopi, et animas pauperum salvas fecit : hæcque omnia Apostolis suis præbuit, ut in omnem terram exiret sonus eorum et in fines orbis terræ verba eorum. Horum vero pauperum et inopum animas ex usuris et iniquitate redemit, ut nemini quidpiam deberent. Quod si quandoque fœnus acceperint, ita ut veterum peccatorum rei existant, at ipse pretioso sanguine pro illis tradito redemit animas eorum : unde divinus Apostolus hæc docuit : « Christus » nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis male» dictum[2]. » Nam quia debitores erant legi Moysi, et quæ scripto tradita sunt non impleverant, sub maledicto deinde erant, quod non totam legem servassent. Scriptum quippe erat : « Maledictus omnis qui non ma» nebit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, ut » faciat ea[3]. » Merito ereptos illos ex tali maledictione, ex usuris et iniquitate redemit, factus pro illis maledictum ; traditoque eorumdem gratia pretioso sanguine, sic sibi pretiosos effecit. Quare sub hæc dicitur, « Et » pretiosum nomen eorum coram illo ; » ideo illos sic allocutus scribitur : « Nolite gaudere quoniam dæmo» nia subjiciuntur vobis : gaudete autem et exultate » quia nomina vestra scripta sunt in cœlis[4]. » Cur autem nomen eorum pretiosum erat coram illo, nisi quia ipse nomina illis indere dignatus est, Simonem, Petrum nuncupans ; Thomam, Didymum ; filios Zebedæi,

[1] Matth. xxviii, 20. — [2] Gal. iii, 13. — [3] Deut. xxvii, 26. — [4] Luc. x, 20.

Boanerges, quod explicatur filii tonitrui? Imo vero universim omnium nomen pretiosum erat coram illo. Idque significat Evangelii Scriptura dicens : « Hos duo» decim elegit Jesus, quos Apostolos nominavit[1]. » Pro illo autem, *nomen eorum*, Hebraïca Scriptura, *sanguis eorum*, circumfert; atque reliqui sic interpretati sunt, Aquila scilicet, « Et honorabitur sanguis eorum in oculis » ejus; » Symmachus vero, « Et pretiosus erit sanguis » eorum coram illo. » Queis aperte necem illorum subindicavit, qua singuli vario martyrii genere affecti sunt, ac alius alio modo ob testimonium de illo datum sanguinis agonem subiit; ita ut de illis dicatur : « Pre» tiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus[2]. » Isti enim simile hoc quoque dictum est, « Et pretiosum » nomen eorum coram illo. »

« Et vivet et dabitur ei de auro Arabiæ, et orabunt » de ipso semper. » Hic videtur mihi illud, *et vivet*, voci Servatoris Discipulos alloquentis accinere, « Ecce » ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consum» mationem sæculi[3]. » Ut enim ejus qui in vaticinio fertur permansionem, et vitam in infinitum durantem declararet, hac usus voce est, *et vivet*. Diuturna quippe vita opus erat ad prædicta opera edenda. Si itaque is qui in prophetia fertur judicabit populum suum in justitia et pauperes suos in judicio, et humiliabit calumniatorem, et permanebit cum sole, dominabiturque a mari usque ad mare et a flumine usque ad terminos orbis terrarum, jure ipsi longa vita opus. Alias enim quo pacto ipsi subditi fuissent Æthiopes, necnon reges Tharsis et insulæ, qui adorassent eum omnes reges terræ, et omnes gentes servissent ei? Horum enim omnium causa perenni vita ipsi opus erat. Quapropter sub hæc

[1] Luc. vi, 13. — [2] Psal. cxv, 15. — [3] Matth. xxviii, 29.

omnia probe ac necessario affertur illud, *et vivet:* sic namque ejus qui in vaticinio enuntiatur vita, immortalis et æterna fore prædicitur. Deinceps additur : « Et » dabitur ei de auro Arabiæ. » Pro illo autem, *Arabiæ*, rursum Hebraïca scriptura *Saba* circumfert; ac reliqui interpretes simili voce sunt usi. Dixerit quispiam, hic aurum tropice indicare purissimam in hominibus mentem. Secundum historiam autem impletum illud fuit, quando Magi ab Oriente venerunt, et Servatorem tunc puerum adoraverunt, obtuleruntque ei aurum, thus et myrrham. Num forte illud, *Vivet,* in id tempus referatur, quo infanti Jesu insidias parans Herodes, « mit- » tens occidit omnes pueros, qui erant circa Bethlehem » a bimatu et infra, secundum tempus quod exqui- » sierat a Magis[1]. » Tunc enim responso accepto Joseph, assumpsit Mariam conjugem suam et puerum, et secessit in Ægyptum. Quare hæc prophetia vaticinando prænuntiat, « Vivet et dabitur ei de auro Arabiæ, » seu de Saba; ac si apertius diceret, *electo*. Nam hæc regio Saba et gens Sabaïtarum, dicitur esse Arabiæ, quam Felicem vocant : ex qua Salomoni quoque allatum cum aliis fuisse aurum electum enarratur. Et alias quoque in Ecclesiis Christi infinita videmus ex auro puro cimelia in ejus honorem consecrata. Merito igitur horum memoria nequaquam prætermissa fuit. Mox subjungitur, « Et orabunt de ipso semper, tota die singuli bene- » dicent eum. » Non multis verbis opus ad declarandum quo pacto omnes qui in Christum Dei crediderunt, indesinenter preces efferant *de illo,* ut illum semper secum habeant, et adjutorem in omnibus nanciscantur. Quod autem quotidie singuli benedicant ei, quis dubitaverit? nam nocte et die animæ omnium in ipsum

[1] Matth. II, 16.

sincere credentium frequentius, quam respirent, nomen ejus colunt ac venerantur, ipsique benedicunt : certæ in se reflecti talem benedictionem, secundum hoc in personam Christi dictum : « Qui benedicunt tibi, bene- » dicti sunt, et qui maledicunt tibi, maledicti[1]. » Quamobrem quotidie crescit et augetur Christianorum genus, quod benedictionis Dei consors est; ea quippe fruitur, quia semper Christo ipsius benedicit, secundum hanc Scripturam dicentem, « Tota die benedicent ei. » Horumque causam declarat dicens : « Erit firmamentum » in terra in summis montium[2]. » His autem indicat Ecclesiam ejus in firma virtutis ipsius petra fundatam firmatamque, elatam item et exaltatam, et quasi in cacumine montium sitam, in propheticis scilicet et Apostolicis verbis, queis Ecclesia Servatoris nostri construitur.

« Superextolletur super Libanum fructus ejus, et flo- » rebunt de civitate sicut fœnum terræ. » Qua ratione Servatoris, qui in prophetia enuntiatur, fructus super Libanum exaltatus sit, intelliges, si colligas ea quæ in Prophetiis de Libano dicuntur. Dictum quippe est in Hesaïa : « Ecce Dominus Sabaoth conturbat gloriosos » cum fortitudine[3]; » et postea : « Libanus autem cum » excelsis cadet[4]. » In Zacharia vero fertur : « Aperi » Libane portas tuas, et devoret ignis cedros tuas[5]. » Dictum item fuit in vigesimo octavo psalmo : « Con- » fringet Dominus cedros Libani, et comminuet eas » tanquam vitulum Libanum[6]. » Has porro voces sane obscuras explicat Scriptura in Ezechiele dicens : « Aquila » grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, » plena unguibus, ductumque habens ut ingrediatur in

[1] Num. XXIV, 9. — [2] Psal. LXXI, 16. — [3] Isai. X, 33. — [4] Ibid. 34. — [5] Zach. XI, 1. — [6] Psal. XXVIII, 5.

» Libanum, et exsecuit tenera cedri[1]; » quibus subdit : « Cum venerit rex Babylonis, et ingressus fuerit » in Jerusalem, assumet principes[2]. » His quippe clare prophetia aquilam grandem magnarum alarum, regem Babyloniorum interpretatur; Libanum vero Jerusalem. Reliquorum item Prophetarum dicta, ceu de Libano prolata, Jerosolymæ aptabis. Enimvero nemo ex circumcisione fateri dubitet, iis quæ de Libano dicuntur Jerosolymam adumbrari. *Superexaltabitur*, ut fert sermo præsens, « super Libanum fructus ejus, » scilicet Servatoris de quo prophetia loquitur. Fructus autem ejus quis fuerit, nisi Ecclesia ipsius per totum orbem firmata, de qua dicebatur, « Erit firmamentum in terra » in summis montium? » Hanc itaque super Libanum exaltandam esse in prophetia dicitur. Licet enim Libanus ille, nempe Jerosolyma, olim gloria affici et florere visus sit, at præstantiori incomparabilique modo super exaltatus fuit Servatoris nostri fructus, seu Ecclesia per totum orbem constituta. Sub hæc autem populos in singulis urbibus collectos multitudinemque magnam indicat his verbis : « Et florebunt de civitate sicut » fœnum terræ. » Illud porro, *de civitate*, dictum est, quasi singulis in civitatibus et omnibus in locis. Imo etiam Ecclesia ipsius, ob politica et Evangelica, queis utitur, instituta, civitas Dei vocatur. Quare dictum est : « Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei[3]; » et rursum, « Fluminis impetus lætificant civitatem Dei[4]. » Quia ergo civitas illa Dei fluvio in se exundante, seu verbo, irrigata, magnam profert turbæ in Ecclesia collectæ multitudinem; jure adjicitur : « Et florebunt de civitate » sicut fœnum terræ. » Præmittitur sane multitudini, quæ instar fœni efflorescit, memoratus fructus ejus,

[1] Ezech. xvii, 3. — [2] Ibid. 12. — [3] Psal. lxxxvi, 3. — [4] Psal. xlv, 5.

longe præstabilior meliorque fœno terræ; quamobrem præpositum fuit illud, « Superexaltabitur super Libanum fructus ejus. » Post fructum autem illum præcellentem, videlicet post eos qui in Ecclesia fructificant, reliquam multitudinem enumerat, sic dicens, « Et florebunt de civitate sicut fœnum terræ. » Secundum hæc dicitur : « Erit nomen ejus in sæcula[17]. » Cum porro nomen Christi perpetuo maneat, consequenter sane Christianorum nomen tantumdem temporis permanebit. Hoc autem nomen quod est super omne nomen ante mundi constitutionem erat : quare dictum est : « Ante solem permanet nomen ejus[1]. » Superius quoque dicebatur, permansurum esse cum sole et ante lunam in generationes generationum. Quod vero illud mortali naturæ coaptari nequeat, jam comprobare occupavimus. Sub hæc autem dicitur : « Et benedicentur in ipso » omnes gentes terræ[2]. » Quibus conferas velim hoc oraculum ad Abraham datum : « Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ[3]. » Et perpende, quæso, promissionem ad Abrahamum factam, subsequenti tempore servatam, ac per singulos Prophetas renovatam fuisse. Etenim Abrahamo primum dictum fuit : « Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. » Post hæc Jacob de Christo vaticinans dixisse scribitur : « Non » deficiet princeps ex Juda, donec veniat cui repositum est : et ipse erit exspectatio gentium[3]. » Secundum hæc tempora rursum a Balaam dictum est : « Egredietur homo ex semine ejus, et dominabitur gentibus multis[4]. » Moyses item in magno cantico gentium meminit dicens : « Lætamini gentes populus ejus : » et adorent eum omnes filii Dei[5]. » Sic igitur hoc

[1] Psal. LXXI, 17. — [2] Gen. XXII, 18. — [3] Gen. XLIX, 10. — [4] Num. XXIV, 7. — [5] Deut. XXXII, 43.

loco quæ per oraculum Abrahamo prænuntiata fuerant resumuntur, dum ea non ab alio quam a Christo implenda esse docemur his verbis : « Et benedicentur in » ipso omnes gentes terræ. » Deinde vero ait : « Omnes » gentes beatum prædicabunt eum. » Quomodo beatum prædicabunt eum omnes gentes? per beatitudinem suam gratiam ejus declarantes.

« Benedictus Dominus Deus Israël, qui facit mirabilia » solus[1]. » Cum gentes in eo, quem prophetia indicat, benedictionem acceperint, prout superius habetur, « Et » benedicentur in ipso omnes gentes; » accessione crescunt secundum Deum, multiplicantur et terræ dominantur. Quapropter ait divinus Apostolus : « Benedictus » Deus, qui benedixit nos in omni benedictione spi» rituali[2]. » Cum ita porro se res habeat, benedictionis auctorem e converso benedicunt. Quare primo quidem beatum prædicant eum; deinde benedicendi rationem edocentur his verbis : « Benedictus Dominus Deus Is» raël, qui facit mirabilia solus. » Observa porro singulas libri psalmorum partes similem in finem desinere. Nam primæ partis postremus psalmus erat quadragesimus, qui sic in fine habet : « Benedictus Dominus Deus » Israël ex nunc et in sæculum, fiat, fiat. » Secundæ partis ultimus est hic psalmus, qui similiter in fine dicit : « Benedictus Dominus Deus Israël, qui facit mi» rabilia solus. Et benedictum nomen gloriæ ejus, et » cætera. » Tertiæ partis postremus est LXXXVIII. cujus finis est : « Benedictus Dominus in sæculum, fiat, fiat. » Item quartæ partis ultimus est CV. hujus vero finis : « Benedictus Dominus Deus Israël a sæculo et usque » in sæculum et dicet omnis populus, fiat, fiat. » Quinta pars autem in *alleluia* terminatur, quo totus

[1] Psal. LXXI, 18. — [2] Ephes. I, 3.

liber circumscribitur. Cæterum præsens psalmus post memoratam de Christo prædictionem, adjicit illud, « Benedictus Dominus Deus Israël, subditque, qui facit » mirabilia solus. » Quæ mirabilia nisi ea quæ superius allata sunt : quod scilicet descensurus sit sicut pluvia in vellus, humiliaturus sit calumniatorem, quod permansurus sit cum sole, quod in diebus ejus oritura sit justitia, quod dominaturus sit a mari ad mare, quod futurum sit ut Æthiopes procidant coram illo, quod dona ipsi ex omnibus gentibus afferenda sint, quod etiam ipse firmamentum futurus sit in terra, et fructus ejus super Libanum exaltandus sit, et similia quæ sub hæc enumerantur. Quibus omnibus ad hæc dicenda instituimur. « Benedictus Dominus Deus Israël, qui facit » mirabilia solus. Et benedictum nomen gloriæ ejus in » æternum[1]. » Nomen autem gloriæ ejus est deitas ejus. Si enim quod natum est ex sancta Virgine, Jesu nomine dignatum est secundum Gabriëlem, qui ait ad Joseph : « Et pariet filium, et vocabis nomen ejus Jesum : ipse » enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum[2]; » hinc sequitur nomen gloriæ ejus accipiendum esse de Theologia ipsius, qua Deus Verbum et unigenitus Deus, qui est in sinu Patris, intelligitur. Quare dehinc adjicitur : « Et replebitur gloria ejus omnis terra. » Nam olim quidem « in mundo erat et mundus per ipsum » factus est, et mundus eum non cognovit[3]. » Quoniam vero ne Judæi quidem, queis tanta prodigia ostenderat, cognitionem ejus recipiebant, jure ad Moysen dicit : « Sine me, et ira accensus conteram eos, et faciam » te in gentem magnam[4]; » atque subdit : « Vivit » nomen meum quia replebitur gloria mea universa » terra. » Quamvis enim hi, inquit, gloriam meam

[1] Psal. LXXI, 19. — [2] Matth. I, 21. — [3] Joan. I, 10. — [4] Exod. XXXII, 10.

depellant, sed futuro quodam tempore totus orbis replebitur gloria mea. Quod in præsenti docetur his verbis : « Et replebitur gloria ejus universa terra. » Quod ipsum Hesaïas vaticinando declarabat, dicens Seraphim circa Dominum Sabaoth clamare ac dicere : « Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Sabaoth : plena est omnis terra » gloria ejus[1]. » Verum hæc quidem olim ex præscientia divina prænuntiabantur : opere autem complebantur prius quam Servator et Dominus noster Jesus Christus humano generi illuceret : sese namque tempore nostro eversus est omnis diabolicus error, totam vero terram replevit Ecclesia Christi, Deum Israël in toto orbe gloria afficiens. Et quia hæc Spiritus sanctus prophetice futura prædixerat, chorus Angelorum respondet una deprecans pro rei consummatione, illaque confirmans ac dicens, *fiat, fiat;* sive secundum Aquilam, *fideliter, fideliter*, aut secundum Symmachum, *Amen, Amen.* Queis deinde additur : « Defecerunt » hymni David filii Jessæ[2]. » Pro quo Symmachus sic interpretatur : « Perfectæ sunt orationes David filii Jes» sæ ; » Theodotio autem et Quinta editio : « Recognitæ » sunt orationes David filii Jessæ. » Qui lectionis accurationem ignorant, hæc verba, « Defecerunt hymni » David filii Jessæ, » pro parte psalmi non habent; sed quasi rem extra prophetiam et adjectitiam legunt. Verum reliquæ interpretationes, et ipsa Hebraïca Scriptura clare commonstrant hæc quoque totius psalmi partem esse. Quia enim David rex in orationibus suis semper insistebat, ut ortus Servatoris, qui ex semine suo proditurus erat, illucesceret ; quia cum ad effectum perductus esset, futurum erat ut omnia quæ in prophetiis feruntur implerentur, jure post prædictorum

[1] Isai. vi, 3. — [2] Psal. lxxi, 20.

complementum additur, perfectas et completas superius esse Davidis orationes. Potest etiam illud, « perfectæ sunt aut defecerunt » prophetice intelligi de futuro tempore : nam singula quæ superius enumerantur tunc evenient, cum orationes Davidis filii Jessæ perficientur et re ipsa implebuntur. Opportunissime autem propter Christum Dei qui in vaticinio fertur, non *Davidis* tantum dixit, sed cum hoc additamento, *filii Jessæ;* ut huic Scripturæ, Hesaïæ prophetiam subjungamus, quæ similia de Christo vaticinatur, cum ait : « Egredietur virga de radice Jessæ, et flos de radice » ejus ascendet, et requiescet super eum Spiritus » Dei[1], » et cætera, quibus adjicitur : « Et erit radix » Jessæ, et qui exsurget imperare gentibus, in ipso » gentes sperabunt[2]. » Vides enim quo pacto hic per radicem Jessæ vocatio gentium annuntietur; ita ut additamentum illud, *filii Jessæ*, non frustra in hac prophetia jaceat. Cum autem Christi regnum et gentium vocatio annuntiata fuerint, hic peropportune terminatur secunda pars libri psalmorum, quæ a quadragesimo primo incipit, et in præsentem psalmum desinit

---

Argumenta psalmorum qui Asaphi inscribuntur.

I. Psalmi qui Asaphi inscribuntur duodecim numero sunt, quorum unus a reliquis undecim sejunctus, ac ante quinquagesimum constitutus est. XLIX[3]. itaque psalmu Asaphi inscriptus est : cujus rei causam qualis tum succurs rebat, in ejus expositione retulimus. Primus autem Asaphi psalmus, de quo jam agitur, Prophetam inducit in-

[1] Isai. XI, 1. — [2] Ibid. 10.
[3] Vide supra ad psal. XLIX initio.

genti admiratione captum de longanimitate optimi Dei, deque ejus erga impios tolerantia, itemque de venia peccantibus concessa. Qua de re obtupescens, sese, ut pusillanimem ac pene commotum, atque animæ gressu eversum coarguit; quod videret impiorum et atheorum hominum res prospere cedere. Cæterum postquam in principio rem ægre ferre visus fuerat, in sequentibus infaustum eorum exitum vaticinatur dicens : « Dejecisti eos dum extollerentur. Quomodo facti sunt » in desolationem subito? defecerunt, perierunt propter » inconsiderationem suam, » et quæ sequuntur.

II. Secundus de qua rerum conditione in primo dictum sit edocet, deplorans postremam Romanorum tempore Jerosololymæ obsidionem, obsidentiumque motus et gesta declarat his verbis : « Ut quid Deus repulisti in finem, » iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ? » quibus adjecit, « Quasi in sylva lignorum securibus exciderunt » januas ejus in idipsum, in securi et ascia dejecerunt » eam. Incenderunt igne sanctuarium tuum; » quibus iterum subjungit, « Signa nostra non vidimus, jam non » est propheta, et nos non cognoscet amplius. » Nam quod dicit, tempore obsidionis istius Prophetas non extitisse, id sane prostremi eorum excidii argumentum est. Hæc vero congruenter post prædictiones de Christos superius enuntiatas posita sunt. Quia enim ipsum venientem non acceperunt, necessario eam, quæ post tanta in Christum facinora ipsos invasit, ultionem vaticinatur.

III. Tertius Asaphi psalmus in finem remittit eum qui priora legerit, hortaturque « ne disperdat. » Ad hæc autem titulus psalmum et canticum ipsum esse declarat, quia eorum qui in Christum crediderunt gratiarum actionem complectitur. Divinum item judicium memorat, narratque quomodo constituerit diem judicii, quo reddet

unicuique secundum opera ejus; ita ut qui in præsenti vita ærumnis afflicti fuerint, futura in Deo reposita spe non excidant; qui vero hoc tempore elati contra Christum arroganter egerint, ultionem in futura vita non declinent. Quapropter ex persona Apostolorum, Discipulorum et Evangelistarum Salvatoris nostri hæc pronuntiat: « Confitebimur tibi Deus, et invocabimus nomen tuum. » De iis vero qui in Salvatorem nostrum talia ausi sunt sub hæc adjicit: « Dixi iniquis, Nolite inique agere; et de- » linquentibus, Nolite exaltare cornu. Nolite extollere » in altum cornu vestrum, nolite loqui adversus Deum » iniquitatem. » Deinde vero ex persona ipsius Christi addit: « Ego autem annuntiabo in sæculum, cantabo » Deo Jacob. Et omnia cornua peccatorum confringam, » et exaltabuntur cornua justi. »

IV. Præsens quoque psalmus « in hymnis » dicitur; quin etiam canticum est ad finem remittens. Describit vero Apostolorum Servatoris et Ecclesiæ ipsius securitatem; ipsius vero Christi pacificam mansionem et statum, ejusque in Judæam adventum. Narratque veram ejus civitatem, et Sion montem, ejus verum domicilium, in pace semper versari, neque unquam in hostium ditionem venturum esse. Quod sane his verbis significat: « Notus » in Judæa Deus, in Israël magnum nomen ejus. Factus » est pax locus ejus, et habitatio ejus in Sion. » Sub hæc inimicorum ejus, necnon Ecclesiæ ejus hostium ruinam declarat his verbis: « Ibi confregit potentias arcuum, » telum, gladium et bellum; « ac rursum, « Turbati sunt » omnes insipientes corde. Dormierunt somnum suum, » et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus » suis. Ab increpatione tua Deus Jacob dormitaverunt » omnes qui ascenderunt equos. » Quibus gloriosum Servatoris adventum subjicit dicens: « De cœlo auditum

» fecisti judicium, terra tremuit et quievit, cum exur-
» geret in judicium Deus, ut salvos faceret omnes reges
» terræ. »

V. Hic item psalmus Asaphi est : titulus autem ejus est, « pro Idithum; » de quo jam superius edisseruimus. Videturque sermonem texere pro Idithum, qui audito populi statu, multum, ut par erat, ingemiscebat, jamque animo deficiebat, atque ob populi scelera, ac futuras ideo universæ genti calamitates pene desperabat. Quare in principio quidem, quasi ex persona ipsius sic habet : « Voce mea ad Deum clamavi, voce mea ad » Deum, et intendit mihi. » Deinde vero suum animi deliquium subindicat his verbis : « Renuit consolari ani- » ma mea, exercitatus est, et defecit spiritus meus. » Turbatus sum et non sum locutus. » His subjungit : « Nocte cum corde meo exercitabar et scopebam spiri- » tum meum. Numquid in æternum proficiet Dominus, » aut non apponet ut complacitior sit adhuc? aut in » finem misericordiam suam abscondet a generatione in » generationem? Aut obliviscetur misereri Deus, aut » continebit in ira sua misericordias suas? » Hæc erant quæ Idithumi animam affligebant. Quare se animo defecisse fatebatur. Sed Spiritus sanctus per Prophetam Asaph ejus dolori deinde medetur, dum ait : « Quis Deus » magnus sicut Deus noster? tu es Deus qui facis mira- » bilia. Notam fecisti in populis virtutem tuam, rede- » misti in brachio tuo populum tuum, filios Jacob et » Joseph; » ac rursum, « Viderunt te aquæ Deus, vide- » runt te aquæ, et timuerunt, turbatæ sunt abyssi : mul- » titudo sonitus aquarum; » ac sermonem his obsignat : « Deduxisti sicut oves populum tuum in manu Moysi et » Aaron. » Hæc necessario Asaph ipsi Idithum commemoravit, ut ne ultra diceret, « exercitatus est et defecit

» spiritus meus; » sed mirabilibus Dei per Moysem olim gestis, queis populum suum redemit, fidem habens, pro futuro quoque tempore similia eventura speraret.

VI. Sextus, neque psalmus est neque canticum, neque hymnus, neque in finem remittit. Quare hujusmodi nihil in titulo habet : sed nos ad eorum quæ hic feruntur intelligentiam excitat. Cur autem nihil eorum quæ diximus fert inscriptio, nisi quia totus hic sermo Judaïcam gentem incusat, pristinas eorum impietates enumerans? Quod ad justi judicii Dei defensionem Propheta concinnavit : vaticinaturus enim ea, quæ ante Servatoris adventum populo eventura erant, necessario docet ipsos non modicarum impietatum causa isthæc passuros. Quamobrem recenset ille quoties peccaverint, et quoties Dei patientia peccata eorum tulerit, ac quomodo demum cum implessent impietatum mensuram, eos ipsos admodum juste ira Dei invaserit. Ut hæc itaque cognoscamus, necessario sic inscribit, « Intellectus Asaph, » ac in sequentibus omnia eorum scelera recenset.

VII. Postquam multitudinem peccatorum Judaïci populi compendio retulerat, et ceu in cippo crimina eorum insculpserat, consequenter hic irruptionem, quæ tempore Antiochi Syriæ regis facta est, vaticinatur. Qui Jerosolymam ingressus, templum non evertit, sed prophanavit, atque gentem ad idola colenda compulit. Quarum rerum historiam liber Macchabæorum inscriptus complectitur. In quo occisorum numerus, variique modi queis pro pietate martyrium perpessi sunt, describuntur. Quare Spiritus propheticus has supplices voces pro universo populo effundit : « Deus, venerunt gentes in hære-
» ditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum,
» posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam. Posue-
» runt morticina servorum tuorum escas volatilibus cœ-

» li, carnes sanctorum tuorum bestiis terræ. » Hæc ad gloriam gentis vergebant, quare magna cum fiducia dicta sunt. Verum non talia erant in Septuagesimo tertio, in quo dicebatur : « Ut quid Deus repulisti in finem, iratus » est furor tuus super oves pascuæ tuæ [1]? » Illis quippe abjectio populi in finem usque declarabatur, necnon postrema Jerosolymæ ruina : in illo item non faustus finis, non promissio, quæ recensitis malis medeatur, affertur; at in præsenti post tristia illa hæc in fine sermonis adjicit : « Redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum, » improperium ipsorum, quo exprobraverunt tibi, Do- » mine. Nos autem populus tuus et oves pascuæ tuæ, » confitebimur tibi in sæculum. In generationem et ge- » nerationem annuntiabimus laudem tuam. » Hæ quippe vere justorum voces sunt.

VIII. Octava Asaphi prophetia multa in titulo simul indicat : nam dicitur, « in finem, et pro iis qui commu- » tabuntur, et, psalmus : » ad hæc autem omnia observatur hunc solum psalmum, ex iis qui in toto libro feruntur, « testimonium » inscribi. In finem itaque remittit quia futura vaticinatur : est vero, « pro iis qui com- » mutabuntur, » ob mutationem eorum qui in prophetia indicantur : « testimonium » autem dicitur, quia testimonium præbet viro ibidem prænuntiato, et ei qui vocatur filius hominis. Nam quemdam filium hominis hic inducit, et virum dexteræ Dei eumdem nuncupat. Primo itaque Judaïci populi ex Ægypto exitum, atque habitationem in Palæstina allegorico more declarat dicens : « Vineam de Ægypto transtulisti, ejecisti gentes et plan- » tasti eam, » et cætera. Deinde futuram ejus desolationem his indicat : « Ut quid destruxisti maceriam ejus, » et vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viam? »

1 Psal. LXXIII, 20

De obsidentibus autem eam hæc tradit : « Exterminavit » eam aper de sylva, et singularis ferus vastavit eam. » Quibus verbis eam gentem a duobus obsidendam significat. Quod evenit Babyloniorum tempore : nam Assyrius prior invadens, decem tribus Israëlis captivas abduxit; deinde vero Babylonius incensis cum templo Jerosolymis, reliquos cepit. Quod hic sermo vaticinatur his verbis : « Incensa igne et suffosa : » idipsum quoque Romanorum tempore accidit; primo quidem obsidente Tito, qui post eorum contra Salvatorem nostrum facinora, templum quoque incendit; deinde vero Hadriano imperante, qui Judæis urbis aditum lata lege interclusit. Sed postquam isthæc de obsidione gentis vaticinatus fuerat, in sequentibus de divino Servatoris adventu hæc precando dicit : « Fiat manus tua super virum dextera tuæ, et » super filium hominis quem confirmasti tibi. » His autem rogat, ut vir dexteræ Dei in terra appareat. Per ipsum enim, inquit, nos qui suscepimus eum, non discedemus a te, sed etiam per ipsum nos vivificabis : quamobrem his verbis supplicamus : « Domine virtutum » converte nos, et ostende faciem tuam » per prædictum virum, « et salvi erimus. »

IX. Admodum consequenter ad prædicta, hæc, quam tractamus, prophetia, « pro torcularibus » inscripta est, et ad finem remittit. Torcularia porro hic vocat Ecclesias Dei per totum orbem constitutas, in quibus sanctæ illius vineæ vindemia colligitur. Stupendo autem modo « pro torcularibus, » post destructam priorem vineam, inscribitur. Illa namque ab agresti apro vastata, atque materia ejus destructa, hic multorum torcularium, non unius tantum, mentio habetur. Torcular autem primum illud, quod unum erat, declarabat Hesaïas his verbis :

« Et ædificavi turrim, et protorcular fodi in ipsa [1], » scilicet vinea. At postquam primæ turris ruinam atque protorcularis destructionem, itemque totius vineæ desolationem illic enarraverat, jure in præsenti omnium gentium vocationem denuntiat, cum « pro torcularibus » prophetiam inscribit. Quamobrem ad gaudium et lætitiam eos, quibus Evangelium prædicatur, invitat dicens : « Exultate Deo adjutori nostro, jubilate Deo Ja- » cob. Sumite psalmum, et date tympanum, psalterium » jucundum cum cithara. » Et hæc quidem iis qui digni Evangelio sunt, quique propriis fructibus torcularia replent. De Judaïca vero gente clare subjungit : « Et non » audivit populus meus vocem meam, et Israël non in- » tendit mihi. Et dimisi eos secundum desideria cordis » eorum. » Hæc porro opportunissime præcedenti prophetiæ cohærent. Quemadmodum enim illic vineæ ruinam declarabat, ita etiam hoc loco eorumdem hominum inobsequentiam coarguit; et sicut in illo virum dexteræ Dei, et filium hominis confirmatum induxit, sic illi hanc subjunxit prophetiam, inscriptam « pro torcularibus, » id est, Ecclesiis Dei, quas filius hominis constituit.

X. Hic Asaph deos inducit, et Deum in medio deorum, eos, qui dii vocantur, dijudicantem, et quidem necessario : nam quia superius totam Judaïcam gentem incusabat, consequenter in præsenti eorum principes speciatim coarguit. Deinde quia in præcedenti psalmo Christum Dei, virum dexteræ ejus et filium hominis confirmatum vocaverat, ejus in carne adventum his significans, ne quis ipsum merum hominem, et multis aliis similem arbitraretur; ipsum hic Deum prædicat his verbis : « Deus stetit in synagoga deorum. » Ac ne quis ob monarchiæ, sive unius principii rationem turbaretur, Chris-

[1] Isai. v, 2.

tum Dei Deum esse audiens, congruenter hic multos deos nominat eos qui sub hæc incusantur, tantum non præcipiens ut ne cunctemur Filium quoque Dei Deum vocare. Si enim gentis principes, qui male audiebant, Dei nomine dignati sunt, quod quæso, periculum fuerit si virum dexteræ Dei et filium hominis confirmatum, Deum fateamur ? Deinde vero in fine psalmi orationem Propheta profert pro gentium vocatione, dicens : « Sur- » ge Deus, judica terram, quoniam tu hæreditabis in » omnibus gentibus. » Videtur huic psalmo, quadragesimus nonus affinis esse, in quo etiam dicebatur : « Deus » deorum Dominus locutus est [1] : » nam in utroque Deus deorum inducitur, rursumque in ambobus judicare scribitur; in præsenti quippe dicitur, « Surge Deus, ju- » dica terram quoniam tu hæreditabis in omnibus gen- » tibus; » in quadragesimo autem nono, valde consentanea huic ratione, quo pacto surgens judicet terram describitur his verbis : « Deus deorum Dominus locutus » est, et vocavit terram a solis ortu usque ad occasum; » ac deinceps, « Deus manifeste veniet, et non silebit. » Ignis in conspectu ejus exardescet, » et cætera : queis quomodo judicaturus sit enarrat. Et quia in præsenti dictum est, « Quoniam tu hæreditabis in omnibus genti- » bus; » opportune in quadragesimo nono Moysis de sacrificiis leges abrogat, aliumque rationabilis sacrificii ritum tradit, quod per totum orbem in omnibus gentibus persolvitur. Quare dictum est, « Quoniam tu hære- » ditabis in omnibus gentibus. »

XI. Hic sermo qui postremus Asaphi est, supplicationem ac deprecationem pro populo admodum opportune complectitur. Quia enim in primis postremam loci obsidionem vaticinabatur, deinde vero quoad tempus retrogressus,

[1] Psal. XLIX, 1.

secundam posuit ab Antiocho illatam cladem, ac sub hæc tertio loco posuit eam quæ tempore præcurrebat, videlicet quæ sub imperio Assyriorum et Babyloniorum accidit; consequenter in præsenti supplicationem offert, pro obsidione quæ tempore prior erat, in qua omnes Judææ finitimi dexteras suas Assyriis adversum illos porrexerunt. Quod his significat: « Tabernacula Idumæorum et » Ismaëlitæ, Moab et Agareni, Gebal et Ammon et Ama- » lec, alienigenæ cum habitantibus Tyrum. Etenim Assur » venit cum illis, facti sunt in adjutorium filiis Lot. » Quibus deinde finem quo excipiendi sunt describit dicens: « Deus meus pone illos ut rotam, sicut stipulam ante fa- » ciem venti, sicut ignis qui comburet sylvam, sicut flam- » ma comburet montes, » et reliqua. Cum huc autem deveneris observa quæso, eum ubi illius Assur memenit, (erant autem ii Assyrii,) necnon prædictarum gentium, supplicationem adversus eos emittere, ac exinde infaustum eorumdem finem vaticinari: quod itidem in LXXVIII præstitit, ubi item quæ Antiochi tempore acciderunt prænuntiat, qui Judæos compulit ut Græcorum ritum observarent, paternasque leges transgrederentur. Nam illic quoque infelicem inimicorum finem prædixit. At non in LXXIII ubi postrema Judæorum abjectio declaratur.

Hi igitur Asaphi numero undecim conjuncti sunt. Duodecimus vero ante psalmum L. collocatus est, ob causam quam illum explicantes attulimus. Verum post hoc compendium, primum repetentes, ejus sententiam minutatim explorabimus.

Psalmus Asaph. LXXII [1].

« Quam bonus Israël Deus iis qui recti sunt corde! » Tertia pars libri psalmorum a præsenti incipit, et in LXXXVIII desinit, ita ut psalmos complectatur septemdecim, quorum undecim consequenter ipsius Asaph sunt: hinc filiorum Core quatuor, Davidis unus, postremusque omnium Ethan Esdraïtæ. Hic vero quem tractamus Asaphi est, qui propheta Davidi coætaneus erat; psalmusque inscribitur, quia ad calcem cum impiorum infaustum exitum, tum piorum in Deo reconditum optimum finem complectitur. Quæ his declarat: « Quia » ecce qui elongant se a te peribunt, perdidisti omnes qui » fornicantur abs te. Mihi autem adhærere Deo bonum » est. » Init autem a doctrinæ præceptis, queis impiorum ad quoddam tempus felicitatis rationem affert: hujusce quippe rei causam esse ait, quod Deus bonus patiensque sit. Idipsum sane docet divinus Apostolus dicens: « An » divitias bonitatis ejus et longanimitatis contemnis, igno- » rans quod clementia Dei ad pœnitentiam te adducit? et alibi dictum est: « Deus judex justus, bonus et patiens, » numquid irascitur per singulos dies [2]? » Utpote bonus igitur, « Solem suum oriri facit super justos et injustos, » et pluit super malos et bonos [3]. » Unde Servator hanc sententiam de Patre protulit: « Nemo bonus nisi unus » Deus [4]. » Quod si de Filio perquisieris, comperies qua ratione et ipse bonus sit; quia scilicet splendor est lucis sempiternæ, et speculum sine macula paternæ virtutis, et imago bonitatis illius [5]. Talis itaque Deus est; sed illud

[1] Ps. LXVII, 1. — [2] Ps. VII, 12. — [3] Matth. V, 45. — [4] Marc. X, 18. — [5] Hebr. I, 3.

non omnibus notum, verum soli Israëli, viro scilicet perspicaci et internoscendi vi prædito. qualem sub hæc declarat his verbis, « rectis corde. » Qui enim in mente nihil tortuosum habet, sed recta et sincera cogitatione providentiæ rationem contemplatur, ipse scilicet Israël fuerit, cui Deus bonus esse cognoscitur, quia ob bonitatis excellentiam omnes tolerat. Sed Deus quidem hujusmodi est. Ego vero homo qui veritati studeo, mentis meæ stoliditatem enarro [1]. Etenim firmitate mea et gressu, sive ut metaphorice loquar, animæ pedibus et fulcris commotus pene et eversus sum a spe mea in Deo reposita; idque ob prosperas atheorum impiorumque res. Verum id quidem pene perpessus sum; at Dei gratia concussus non fui, neque a tali cogitatione superatus : alias vero periissem, et effusi essent gressus mei : nam, « pene » effusi sunt gressus mei; » sed non revera effusi sunt. Quomodo autem gressus animæ effundantur intelliges, si perpendas, qua ratione multi pietatis exercitatione jam provecti, temperantia et castitate diuturno tempore fulgentes, demum ad molliorem vitam allecti et prolapsi sint; sive etiam penitus a scopo defecerint, et quasi naufragium in bonis jam collectis operibus fecerint. Hos si pedibus animæ commotos dixeris, imo vero si penitus prolapsos, atque gressus eorum, diuturnumque in via Dei profectum vacillasse et effusum esse affirmaveris, nutiquam aberres. Sed hæc, inquit, fere pertuli; nec pertuli tamen per misericordiam Dei. Cæterum tanti mihi periculi in causa fuit zelus quo iniquorum causa accendebar, dum viderem pacem ipsorum, necnon eorum in divitiis, voluptate, dominatu, dignitatibus felicitatem[2]. Hæc respiciens dissecabar, ita ut pene in impias labi cogitationes periclitarer : in quas tamen, rectis firmatus

[1] Psal. LXXII, 2. — [2] Ibid. 3.

institutis, Deum bonum patientem et tolerantem esse commonentibus, neutiquam decidi. Quamobrem præcellentiam bonitatis ipsius demirans ac stupens, sic sermonem orsus sum : « Quam bonus Israël Deus rectis corde ! » Pro illo autem, « Quam bonus ; » Symmachus : « Sane, *inquit*, vere bonus Deus Israëli, puris corde. » Quis vero esset Israël his additis verbis declaravit, « puris corde. » Illi namque vere Israël sunt; quare a Servatore quoque dictum est : « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum » videbunt[1] : » Israël autem « videns Deum » explicatur.

« Quia non est respectus morti eorum, et firmamen- » tum in plaga ipsorum[2]. In laboribus hominum non » sunt et cum hominibus non flagellabuntur[3]. Ideo » tenuit eos superbia in finem[4]. » Historiæ more quæ animam turbant suam enarrat, ut sciamus non parva de causa pene commotos ejus pedes, neque ob res parvi momenti pene effusos gressus ipsius fuisse. Quænam illa erant ? Impii, inquit, et qui Deum non norant, tam felici vitæ decursu, tantaque voluptate degebant, et usque ad extremum vitæ halitum tot deliciis fruebantur, ut nemo non optaret paria consequi, ac non solum vitæ eorum, sed etiam morti invideret, tali scilicet qualem abnuere ac horrendam putare nemini liceret. Sic non erat respectus morti eorum. Sed etiam si quando contingeret eorum aliquem in plagam et flagellum, videlicet in ærumnam et calamitatem incidere, sive morbo affici vel detrimento, non erat firmamentum in plaga ipsorum. Non enim firma permanensque talis ipsorum plaga erat, sed brevis superficiemque carptim attingens. Neque item in laboribus hominum versabantur, terram colendo, vel manibus victum parando; non pauperie afflicti erant ;

[1] Matth. v, 8. — [2] Psal. LXXII, 4. — [3] Ibid. 5. — [4] Ibid. 6.

verum e contrario divitiis affluentes, in delicias immergebantur, nihilque patiebantur ut reliqui homines, qui quotidie laboriosa ærumnosaque vita macerantur. Quare « in labore hominum non sunt, et cum hominibus non » flagellabuntur. » Symmachus autem sic interpretatus est : « Quia non cogitabant de morte : firma namque erant » vestibula eorum : » ac deinceps, « in miseria, inquit, » viri non erant, neque cum hominibus percutiebantur. » Quia igitur tali in conditione erant, « ideo tenuit eos su- » perbia. » Cum par fuisset enim, ut illi vere impii, secundum humanum cogitandi morem, condignas impietatibus pœnas luerent, illi certe in deliciis vitæ versabantur dum Deo bellum moverent. Quare dum adtererentur seipsis pejores evadebant, « Et operti sunt iniquitate et » impietate sua ; » pro quo Symmachus [1], « Superbia, » *inquit*, induti sunt, quasi horrea ex iniquitate haben- » tes. » Ad hæc autem, « Prodidit quasi ex adipe ini- » quitas eorum. » Cujus loci clariorem extulit sententiam Symmachus his verbis, « Prociderunt ex pinguedine oculi » eorum : » similiter Aquila interpretatus est dicens : « Ex erunt ab adipe oculi eorum. » Præter hæc, *inquit*, » transierunt in affectum cordis : cogitaverunt et locuti » sunt in iniquitate : » quæ sic interpretatur Symmachus : « Prætergressi sunt quæ apparebant, corde irridentes. » Nam ipsa opera Dei quæ omnium oculis conspiciuntur, et aperta providentiæ miracula prætergrediebantur, cum tamen ipsi ea intelligerent et caperent, sed ob stultitiæ vim illudebant et irridebant. Insuper « locuti » sunt in malitia, et iniquitatem in excelsum locuti » sunt [2]. Posuerunt in cœlum os suum, et lingua eo- » rum transivit in terra [3]. Hæc porro Symmachus sic explicavit : « Loquebantur cum multa calumnia, contra

[1] Psal. LXXII, 7. — [2] Ibid. 8. — [3] Ibid. 9.

» excelsum loquebantur. Posuerunt in cœlum os suum : » lingua autem eorum obambulationes in terra. » Blasphema quippe dicta proferentes contra Deum, quasi non videret, neque curaret; imo quasi omnino non existeret, iniquitatem in excelsum locuti sunt, ac usque ad cœlum os suum extenderunt ; etsi viles essent et linguam suam in terra haberent. Hæc sane sunt quorum causa meam fateor infirmitatem ; ac velut in cippo accusationem inscribo meam, quia « pene moti sunt pedes mei, » et pene effusi sunt gressus mei, quia zelavi super ini» quos, pacem peccatorum videns. »

« Ideo convertetur populus meus hic, et dies pleni » invenientur in eis[1]. » Athea illa impiorum dicta et eorum superbia, quæ rerum potiebatur, talis erat quasi commonstrata est. Nec ignorandum hæc ipsa populo meo in bonum vertisse. Etiamsi enim ad quoddam tempus populus meus impiis illis ad peccatorum expiationem traditus sit , sed stultitiæ eorum exsuperantia, quæ ruinæ ac perniciei ipsis causa fuit, quiescendi ac respirandi locum populo meo dabit. Nam cum illi ob impietates suas prolapsi perierint, « convertetur populus meus » hic ; » id est, in præsenti vita : « et dies pleni inve» nientur in eis ; » id est, in iis e populo meo qui digni fuerint. Dies pleni autem sunt ii, qui omnis boni repleti sunt, et qui justum vitæ spatium complent. Sic alicubi dicitur : « Mortuus est plenus dierum[2]. » Meus ergo populus ab iis utilitatem accepit. Illi vero prædicti impii et athei eo usque impietatis proruperunt, ut qui videbant stupore perculsi dicerent : « Quomodo scit Deus, » et si est scientia in Altissimo[3] ? » Nam si in Altissimo scientia exsistat isque talia videat, terrigenasque curet, quare illi talia edentes facinora prospere agunt, et in

[1] Psal. LXXII, 10. — [2] Gen, XXV, 8. — [3] Psal. LXXII, 11. — [4] Ibid. 12.

sæculum usque divitias obtinent? Hæc vero conspicatus ego, cogitationibus turbabat, ita ut penes me cogitarem, « Numquid sine causa justificavi cor meum, et lavi inter » innocentes manus meas[1]? Et fui flagellatus tota die, » et castigatio mea in matutinis[2] » Si enim iis qui hæc minime peragunt tanta insit prosperitas, in vanum ergo laboro, superflue justitiæ studeo, frustra et in cassum manus et actus meos iniquis operibus puros servavi; frustra jejuniis et ærumnis me quotidie flagellavi et maceravi; incassum laboravi, cum aurora surgens et in orationibus meis peccata mea confitens ac deplorans, atque in confessionibus Deo emissis accusationes adversum me proferens. Hæc erant quæ dum cogitarem pene effusus sum. Pro illis vero Symmachus sic interpretatus est : « Fortassis igitur et ego frustra purgavi animam » meam, et lavi in innocentia manus meas, et perseveravi delusus singulis diebus, et reprehensus singulis » matutinis. »

« Si dicebam, narrabo sic, ecce generationem filiorum » tuorum reprobavi[3]. Et suspicabar me cognoscere hoc, » labor est ante me[4]; donec intrem in sanctuarium » Dei, et intelligam in novissimis eorum[5]. » Prædicta in cogitationibus tantum meis versabam, quod periculum esset ne commoveret; neque tamen aliis enarrabam. Nam si hac admissa opinione, impiam hujusmodi doctrinam aliis protulissem, temeratæ piæ doctrinæ reus effectus essem, atque pacta generationis filiorum tuorum violassem. Omnes quippe sancti ac Dei amantes viri, tui, Deus, filii sunt. Generatio autem eorum, successio sanctorum est, quorum disciplinas et dogmata adulterassem, si prædictas cogitationes meas aliis protulissem. Sed si animo institissem ad cognoscendum quæ causa sit cur

[1] Psal. LXXII, 13. — [2] Ibid. 14. — [3] Ibid. 15. — [4] Ibid. 16. — [5] Ibid. 17.

peccatores prospere agant, et in sæculum divitias obtineant, justi vero humilientur, neque ita arcana hac de re judicia comperissem, sed laborem dumtaxat mihi intulissem; in dubitationem solum animique defatigationem delapsus. Quamobrem ait : « Etsi suspicabar me » cognoscere hoc, labor est ante me. » Sive secundum Symmachum, « Si putabam me cognoscere hoc, » labor videbatur mihi [8]. » Quamobrem videns rem esse hominibus incomprehensibilem, pio usus ratiocinio, mecum reputabam satius esse ut me continerem, atque opportunum huic cognitioni tempus exspectarem. Illud autem erat, « Donec intrem in sanctuarium Dei, et in» telligam in novissimis eorum; » sive secundum Symmachum, « Donec intrem in sanctuaria Dei, intelligam » novissima eorum. » Cum hoc mihi commodum effugium ad quæstionis solutionem reperissem, videlicet eam ad vitæ mortalis exitum, et ingressum in promissiones Dei remittendo, hinc curationem ac consolationem mutuatus sum : gnarus me cum istuc devenero, quæstionis rationem intellecturum, atque impiorum novissima cogniturum esse. Non convenit enim præsentem solum vitam et voluptatem respicere; sed novissima eorum consideranda sunt.

« Verumtamen propter dolos eorum posuisti eis ma» la [1]; dejecisti eos dum allevarentur [2]. Quomodo facti » sunt in desolationem subito? defecerunt, perierunt » propter inconsiderationem suam velut somnium sur» gentium [3]. » Tribus admissis in quæstionem ratiociniis; aliud impium et atheum esse comperi, nempe illud, « Ergo sine causa justificavi cor meum; » aliud vero, nempe de intelligenda quæstione, plenum labore et defatigatione deprehendi, ob profunditatem scilicet

[1] Psal. LXXII, 18. — [2] Ibid. 19. — [3] Ibid. 20.


divitiarum scientiæ Dei, et quod incomprehensibilia sint judicia ejus, et investigabiles viæ ejus; in tertio autem substiti, ac decrevi gradum sistere atque exspectare, omniumque finem considerare. Cum huic cogitationi agquievissem, utpote quæ pia veraque sit, ex fide hujusmodi utilitatem accepi. Nam Spiritu sancto afflatus novi quomodo propter dolos eorum non diu postea dejecturus sit eos Deus, postquam elati in sublimeque evecti fuerant. Sub hæc autem illuminatus, ac prophetica virtute ruinam ipsos in fine excepturam prospiciens, jure dico: « Quomodo facti sunt in desolationem subito? defece- » runt, perierunt propter inconsiderationem suam, » facti sunt item velut somnium surgentis. Dum quis enim in somnis quædam imaginatur, somnii phantasia deceptus, se putat aliquid agere; experrectus vero cum est excussoque somno, commenta omnia abscedunt. Sic impiorum in hac vita commentitia felicitas, divitiæ, superbia finem sortientur similem somniantibus, qui postea experrecti, nullam rem earum quas videre se ac tenere opinabantur, præ manibus retinent. Secundum Symmachum autem illius loco, « Verumtamen propter » dolos posuisti eis, » sic dicitur: « Vere in lapsu po- » suisti eos, dejecisti eos in perditiones: subito defece- » runt, consumpti sunt, ac si non exstitissent, quasi » somnium expergiscenti. » Huic vero voci, « repente » et subito, » hanc Servatoris vocem conferas: « Vigi- » late quia nescitis qua die et hora Dominus vester » veniet[1]; » ac rursum, « Veniet Dominus ejus in die » qua non exspectat, et in hora qua non novit[2]. »

« Domine in civitate tua imaginem ipsorum ad nihi- » lum rediges. » Superius dicebat, « Donec intrem in » sanctuarium Dei; » nunc vero quodnam sit hujusmodi

[1] Matth. XXIV, 42. — [2] Ibid. 51.


sanctuarium edocet his verbis, « Domine in civitate tua » imaginem ipsorum ad nihilum rediges. » Unde merito divinus Apostolus, ut qui cœlestem Dei civitatem nosset, dicebat : « Accessimus ad Sion montem, et civitatem » Dei viventis Jerusalem cœlestem ; » ac rursum : « Illa » vero quæ sursum est Jerusalem, libera est[1]. » Hanc itaque Dei civitatem Propheta qui jam loquitur sic indicat : « Domine in civitate tua imaginem ipsorum ad » nihilum rediges[2]. » Nam si, inquit, imaginem conservassent tuam, merito civitate quoque tua donati essent : at quia « homo cum in honore esset, non intellexit, » comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus » est illis[3], » atque modo malitiæ suæ congruenti sese in agrestis feræ morem transmutavit, factusque est equus emissarius, aut lupus rapax, aut serpens et genimen viperarum, sive quid iis simile ; ideo talem imaginem quasi adulterinum numisma ex civitate sua Deus abjicit, ad nihilum redigit, neque dignam judicat illis civitatis suæ mansionibus. Nam apud Patrem mansiones multæ sunt. Quare dictum est : « Domine in civitate tua ima- » ginem ipsorum ad nihilum rediges. » Hoc itaque prophetice Asaph quasi afflatus numine, ac illuminatis mentis oculis futura contemplatus, locutus est. Causam vero cur illuminatus sit ad civitatem Dei conspiciendam, mox aperit dicens : « Quia inflammatum est cor meum, » et renes mei commutati sunt[4]. » Quia enim « zelo » zelavi Domino[5], » secundum Heliam prophetam, cogitationibusque detrahebar cum cernerem impios prospere agere, imo etiam renes mei necnon profunda occultaque animæ meæ urebantur ; ideo dicebam, « Quia » zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns[6]. »

[1] Hebr. XII, 22. — [2] Galat. IV, 26. — [3] Psal. XLVIII, 11. — [4] Psal. LXVII, 21. — [5] Ibid. 22. — [6] 3 Reg. XIX, 10.



Quare concessum mihi fuit ut illuminarer a Spiritu, et viderem civitatem Dei, necnon eos qui illa sive digni, sivi indigni sunt. Pro illo autem, « Inflammatum est cor » meum, » Symmachus, « Contrahebatur, *inquit*, cor » meum, et intra renes meos ratiocinabar contradi- » cens. » Deinde dicitur, « Et ego ad nihilum redactus » sum, et nescivi ; » quod clarius interpretatus Symmachus est dicens, « Eram inscius et non cognoscens[1]. » Rursum, « Ut jumentum factus sum apud te ; » sive secundum Symmachum, « jumenti instar versatus sum » apud te. Et ego, *inquit*, semper tecum ; » secundum Symmachum autem, « Et una tecum eram semper. » Etsi enim non intelligebam prius quam illuminarer ac ea cognoscerem quæ de civitate tua, necnon ea quæ de imagine impiorum dicta sunt, ac etiamsi instar bruti jumenti prius degerem, insipiens, nec providentiæ tuæ rationem attingere valens, attamen abs te, Deus, non deserebar, neque abs spe mea in te reposita excidebam, tibique semper aderam ; et hoc agebam non mea virtute, sed gratia tua. Tu namque humanitate tua, arrepta manu dextera mea, me detinebas adstringebasque, ut ne effunderentur vestigia mea, neque pedes moverentur a mea apud te statione. Quapropter dico : « Tenuisti ma- » num dexteram meam[2]. » Bonam quippe dexteram habui prævalidam et paternam, dextera omnia et tibi placita peragentem ; quare arrepta illa, « in voluntate » tua deduxisti me : » sive secundum Symmachum, « Consilio tuo duxisti me, » a mortali me vita traducens, et ad tranquillum tutumque requiei tuæ portum deducens ; ita ut si dexteram meam non tenuisses, jam olim quasi a torrente abreptus, pedibusque subversus, in extremam perniciem delapsus essem. Nunc vero tu ipse

[1] Psal. LXXII, 23. — [2] Ibid. 24.



« tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua » deduxisti me : » ac demum post memoratas tentationes et tempestates animam perturbantes meam, sine periculo per vitæ fluctus deductum « cum gloria suscepisti » me, » nihil in tot casibus mali perpessum. Secundum Symmachum autem, « Postremo, *ait*, honor me ex» cepit. »

« Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super » terram[1]? » Tuus, inquit, erga homines amor, misericordia item et gratia tua, omnium mihi bonorum causa fuit. Tua quippe bonitate usus, « tenuisti manum dex» teram meam, » et servasti me, ita ut nec pedes mei moverentur, nec gressus mei effunderentur. Sed etiam « cum gloria suscepisti me. » Quoniam hoc tibi utpote bono Deo inest ; mihi enim nihil in cœlo est, neque ut debita mihi hæc accesserunt : nullus sane mihi in cœlo est, nisi tu solus. Quare nihil in terra volui abs te obtinere, neque optavi mortales fluxasque res consequi. Jure autem nihil a te volui in terra, quia cœlestes mansiones peroptarem, et bona illa consequi expeterem. Ideo tabescebam, vitamque macerabam, cor affligebam ; quia te Deum in spei meæ portionem posueram. Quamobrem dico : « Defecit caro mea et cor meum ; Deus cordis mei » et pars mea Deus in æternum[2]. Quia ecce qui elongant » se a te peribunt : perdidisti omnes qui fornicantur abs » te. Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in » Domino spem meam ; ut annuntiem omnes laudes tuas » in portis filiæ Sion[3]. » Superius quidem dicebam : « Et ego semper tecum ; » sive secundum Symmachum, « Et ego una tecum eram semper[4] ; » nimirum fide, voluntate et dilectione erga te mea : nunc autem causam aperte profero quare una tecum semper fuerim, teque

[1] Psal. LXXII, 25. — [2] Ibid. 26. — [3] Ibid. 27. — [4] Ibid. 28.

portionem meam posuerim. Sciebam enim, ac plane persuasum mihi erat, « Quoniam qui elongant se a te » peribunt : » quare non me abs te amovi, etiamsi œconomiæ tuæ rationem ignorarem, sed una tecum eram semper. Sese porro a Deo amovent quotquot peccatis et atheis impiisque cogitationibus se Deo alienos constituunt : qui quanto longius ab eo discedunt, tanto perniciei propinquius accedunt; ut vice versa, Deo conjuncti, cum vita copulantur, et a pernicie se amovent. Finis porro eorum qui a Deo discedunt, est interitus, utpote qui a Deo ceu fornicati fuerint. Deus namque neminem amovet, neque abs se repellit; sed quisque sese alienum a Deo facit, dum ceu fornicatur, animamque suam dedititiam inimicis Dei tradit. Qui vero proprio delectu sese amovent, exitium sibi attrahunt. Iis vero qui sese perniciei dediderunt, Deus quod superest adjicit. Quid illud est? « Perdidisti, inquit, omnes qui » fornicantur abs te. » Fornicatur a Deo, qui postquam ad eum propius accesserat, ab ipso procul recedit. Ipse namque humanam animam desponsare, et propria semina in illam jacere non dedignatur; illa vero recedens ab eo, seseque aliis admovens qui fornicari cum ea cupiunt, malignis scilicet spiritibus, et impuris dæmonibus, aut impiis cogitationibus, sive fœdis impurisque facinoribus, jure perniciei traditur. Quare dictum est : « Perdidisti omnes qui fornicantur abs te. » Verum ego hæc probe sciens, ac plane de justo judicio tuo persuasus, adversam impiis elegi viam, etiamsi mysteria tua non intelligerem; sed ut jumentum factus essem apud te, attamen una tecum eram semper. Nihil enim pulcrius mihi videbatur esse, quam tibi Deo meo adhærere, illaque deligere quæ tu jussisti ac præcepisti. Ita enim

« qui adhæret Domino unus spiritus est[1]. » Ideo nihil mihi pulcrius, nihil melius videbatur, quam adhærere tibi. Quapropter dico, « Mihi adhærere Deo bonum » est. » Nam si nemo bonus nisi unus Deus, undenam alii cuipiam boni aliquid advenerit, nisi ex eo quod Deo adhæreat? Et jam quidem omni fruebar bono, adhærens et conjunctus Deo; ita ut dicerem : « Adhæsit anima » mea post te[2]. » Itemque ad futurum sæculum bonam mihi spem adscripsi. Et sane aliud quoque mihi bonum aderat, scilicet, « ponere in Domino spem meam. » Nam finis omnis spei mihi erat, « ut annuntiem omnes » laudes tuas in portis filiæ Sion. » Siquidem ingressu in civitatem tuam dignatus, de qua superius dicebatur : « Domine in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum » rediges; » cum etiam ad cœlestes portas conscenderim, tua erga me beneficia omnibus prædicabo. Ubi constitutus promissa consequar tua, « quæ oculus non vidit, » nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt[3]. » Talia quippe Deus « præparavit diligentibus se. »

Cum illud, « In portis filiæ Sion, » neque in Hebraïco, neque apud reliquos interpretes jaceat, sed apud solos Septuaginta interpretes feratur, obelo notatur, quia superfluum est. Bonus quippe omnium finis ad ipsam Sion cœlestem ducit, quæ est illa jam tradita civitas Dei in cœlis. Nam filia Sion Ecclesia nostra esse intelligitur, ut pluribus facile est comprobare.

1 1 Cor. VI, 17. — 2 Psal. LXII, 9. — 3 1 Cor. II, 9.

Intellectus Asaph. LXXIII [1].

« Ut quid Deus repulisti in finem, iratus est furor tuus » super oves pascuæ tuæ? » Ad dictorum intelligentiam nos excitat et invitat Spiritus propheticus. Qui neque psalmum de more, neque canticum, neque hymnum, neque quid simile in titulo indicavit, quia tristia enuntiantur. Ubi videtur supplicatio contineri, de qua divinus Apostolus præcepta dabat, dicens oportere nos omnes emittere obsecrationes, preces, supplicationes, gratiarum actiones. Hic itaque sermo Deum alloquitur, atque futura ut jam præterita prophetice enarrat, prostremam item Jerosolymorum obsidionem, quæ post salutarem adventum a Romanis facta est, significat. Et hæc cum nondum constitutus locus esset prænuntiat. Etenim Asaph, qui hæc vaticinatur, æqualis Davidi erat; Salomon vero post Davidis mortem, templum exstruxit. Cum autem duas loci vastationes prævidisset, priorem scilicet a Babyloniis, et secundam a Romanis factam, priorem quidem in LXXIX. Psalmo, et in LXXXII. significat; posteriorem vero in præsenti prophetia, quam sic orditur: « Ut » quid Deus repulisti in finem, iratus est furor tuus super » oves pascuæ tuæ »? Postremum namque et integrum illorum excidium non alio tempore fuit, quam cum Servator et Dominus noster sententiam contra illos tulit dicens: « Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta [2].» Ac consequenter sacer Apostolus post rerum exitum dixit de illis scribens: « Pervenit ad eos ira in finem [3]. » Hic vero Propheta minutatim ea, quæ huic loco Romanæ obsi-

[1] Psal. LXXIII, — [2] Luc. XIII, 35. — [3] 1 Thess. II, 16.

dionis tempore contigerunt, declarat his verbis, « Quasi » in sylva lignorum securibus exciderunt januas ejus in » idipsum; videlicet Jerosolymæ, in securi et ascia de- » jecerunt eam. Incenderunt igne sanctuarium tuum, » in terra polluerunt tabernaculum nominis tui. » Quod si quis dixerit hæc etiam tempore Babyloniorum gesta esse, advertas velim quæ sequuntur, « Signa nostra non vidi- » mus, jam non est propheta, et nos non cognoscet am- » plius. » Nam signa hæc erant Deum inspicere et curare Judaïcam gentem, cum ipsis Prophetas daret : siquidem etiam cum male se gererent, Prophetas ipsis ceu medicos et servatores constituebat. Sic in prima obsidione magnum Dei Prophetam Jeremiam habuerunt, et Baruch; quinetiam mulier quædam nomine Olda eodem tempore prophetavit. In ipsa quoque Babyloniorum regione aderant ipsis Ezechiel et Daniel, præclari ac conspicui Prophetæ. Postque reditum ex captivitate temporibus Cyri et Darii, Zacharias et Aggæus Prophetæ noti erant. Quomodo igitur illis temporibus aptari possit hæc prophetia, « Signa nostra non vidimus, et jam non est » propheta, et nos non cognoscet amplius? » Verum hæc finem sortita sunt post Salvatoris adventum, et postquam memoratas voces ipse protulerat : non diu enim postea irrumpentes Romani locum deleverunt. Quod etiam ipse Servator futura vaticinans significavit per parabolam istam : « Simile factum est regnum cœlorum ho- » mini regi, qui fecit nuptias filio suo : et misit servos » suos ut vocarent invitatos ad nuptias : illi vero nolue- » runt venire. Iterum misit alios : illi vero præterquam » quod noluerunt venire, etiam captos servos contume- » liis affecerunt, et occiderunt [1]. Quibus subdit : Rex » autem audiens iratus est, et missis exercitibus suis per-

[1] Matth. XXII, 2.

» didit homicidas illos, et civitatem eorum succendit[1]. » Hæc Salvatorem in ipso templo adhuc consistenti dixisse scribitur; quæ non diu postea impleta sunt Vespasiano et Tito locum obsidentibus, quorum tempore nullus Propheta apud illos fuisse narratur. Obsidionem itaque præsens psalmus significat : quare in principio dicit : « Ut » quid Deus repulisti in finem ? » Hinc vero mirari subit divinitus inspiratæ Scripturæ virtutem, quæ diuturnis postea temporibus gesta divina præscientia antevertit. Illud autem. « Ut quid Deus repulisti in finem » dictum est, quia Judaïca gens in impietates et in scelera decidens, finitimis alienigenis gentibus tradi solebat; et modo quidem Moabitæ subigebant illam, modo Ammonitæ, modo Madianitæ. Deinde aurem ad frugem revocans Deus, ipsis patrocinabatur. Subinde vero prævaricantes aliis inimicis tradebat, ac rursus in pristinum statum restituebat; et nunquam in finem usque abjiciebat illos, sed brevi post tempore in salutem revocabat. At post patratum ab eis contra Servatorem execrandum facinus, « pervenit ad eos ira in finem[2] » secundum Apostolicam Scripturam; ita ut post illam calamitatem non hactenus caput extulerint. Quæ significans prophetia dicit : « Ut quid Deus repulisti in finem ? » Per interrogationem vero admissum in Servatorem nostrum facinus subindicatur, quo peracto in finem abjecti sunt. Id sane ipse quoque Servator declarat dicens : « Quoties volui » congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat » pullos suos sub alas, et noluistis? Ecce relinquetur vo» bis domus vestra deserta[3]. » Illud enim. « Quoties » volui, » indicat tolerantiam illam diuturno tempore ipsis exhibitam; illud vero. « Et noluistis, » postremam illorum abjectionem significat, quando iratus est furor

[1] Matth. xxii, 7. — [2] 1 Thess. ii, 16. — [3] Matth. xxiii, 37.

ejus super illas quæ olim erant oves pascuæ ejus. Deinde vero supplicatio emittitur his verbis : « Memor esto Sy- » nagogæ tuæ, quam possedisti ab initio [1]. » Admodum congruenter Synagogam commemorat, aitque illam primam Dei possessionem fuisse ; utpote qui nosset Ecclesiam, ex omnibus gentibus constitutam, quæ non ab initio, sed post Synagogæ ruinam exstitit. Cujus Ecclesiæ alias meminit dicens : « In medio Ecclesiæ laudabo te [1] ; » et rursus, « Annuntiavi justitiam in Ecclesia magna [3] ; » ac iterum, « Apud te laus mea in Ecclesia magna. » Verum non talis illa olim Synagoga erat : illa quippe ideo sic vocabatur quod uno in loco congregaretur ; hæc vero præcellentiam electionis suæ declarans, Ecclesia dicitur. Quod si quis causam requirat cur Synagoga, quam ipse Christus Dei per aliam prophetiam id edocebit dicens : « Circumdederunt me canes multi, Synagoga malignan- » tium obsedit me. Foderunt manus meas et pedes meos, » dinumeraverunt omnia ossa mea. Diviserunt sibi ves- » menta mea, et super vestem meam miserunt sor- » tem [4]. » Hæc causa fuit cur prior illa Synagoga repelleretur. Deinde vero subdit ; « redemisti virgam hæredi- » tatis tuæ. » Id placantis more dictum : Tu enim, ait, hanc Synagogam redemisti, ac dignam habuisti quæ portio et virga hæreditatis tuæ vocaretur ; nam « quando » dividebat Altissimus gentes, portio Domini facta est » Jacob populus ejus, funiculus hæreditatis ejus Israël[5]. » Hujus itaque hæreditatis tuæ memor esto. Pro illo autem. « Virgam hæreditatis tuæ, » Aquila, « Sceptrum » hæreditatis, » interpretatus est ; Symmachus vero, « Sceptrum sortis tuæ. » Quo quidem docetur, homines prorsus omnes Dei esse ; populum autem ipsi segregatum, quasi sceptrum ejus regium fuisse.

[1] Psal. LXXIII, 2. — [2] Psal. XXI, 23. — [3] Ibid. 26. — [4] Psal. XXI, 17. — Deut. XXXI, 8.

« Montem Sion hunc, in quo habitasti. Leva manus » tuas in superbias in finem : quanta malignatus est ini- » micus in sancto [1]. » Quæ esset virga, sive sceptrum secundum reliquos interpretes, his declarat, « Montem » Sion hunc, in quo habitasti. » Nam regius mons erat, et sceptrum regni, in quo constructum fuerat templum et domus habitationis Dei. Quare Metropolis fidelis Sion vocabatur, et civitas Dei Jerusalem, cœlestis illius imaginem ferens, de qua divinus Apostolus hæc docebat : « Accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis » Jerusalem cœlestem [2]. » Postquam hoc dixerat, ea quæ loco isti eventura erant vaticinatur, futura quasi præterita pro consueto more prænuntians. Ait itaque : « Et gloriati sunt qui oderunt te, in medio solemnitatis » tuæ[3]; » sive secundum Aquilam, « Fremuerunt inimici » tui in medio constitutionis tuæ. Posuerunt signa sua » signa, et non cognoverunt sicut in exitu super sum- » mum [4]. » Quod clarius interpretatus est Symmachus dicens : « Posuerunt signa sua manifeste cognita in in- » troitu sursum [5]. » Pro illo item, « Quasi in sylva ligno- » rum securibus excederunt januas ejus in idipsum, in » securi et ascia diruperunt eam ; » rursum Symmachus, « instrumentis ligneis et securibus suis, et portas ejus » cum vectibus et surcis dejecerunt. » Signa autem inimicorum, quæ manifeste ante ingressum posuerant, quænam erant, nisi instrumenta bellica, secures videlicet, sciæ, atque hastæ et arma? Verisimile etiam est his significari vexilla quæ ante exercitus ferebantur. Sed etiam, ait, « Incenderunt igne sanctuarium tuum, et in » terra polluerunt tabernaculum nominis tui [6]. » Ubi sententiam eorum quæ supra dicta sunt aperit. Quia enim prius hæc locutus erat, « Montem Sion hunc in

[1] Psal. LXXIII, 3. — [2] Hebr. XII, 22. — [3] Psal. LXXIII, 4. — [4] Ibid. 5. — [5] Ibid. 6. — [6] Ibid. 7.

» quo habitasti ; » quomodo in eo habitaverit jam declarat dicens, « Tabernaculum nominis tui. » Tabernaculum quippe locus erat, non ipsius Dei, sed nominis ejus. In singulis autem conqueritur adjectis his verbis : In medio, inquit, solemnitatis tuæ sanctuarium tuum et tabernaculum nominis tui. Nam hæ querimoniæ sunt ad excitandam facinorum ultionem, ad quam sub hæc provocat dicens : « Leva manus tuas in superbias eorum in » finem. » Secundum Symmachum vero : « Exaltatio, » *ait*, « pedum tuorum de medio sublata est ad victoriam. » Exaltatio autem pedum ejus, templum erat precibus destinatum. Gloriati sunt qui oderunt Deum in medio solemnitatis ejus, et merito quidem, quia enim ipse primi locum incolentes, in medio solemnitatis ejus impias contra Christum Dei extulere manus, clamoribusque impiis et nefariis ansi, in ipso Paschæ die sanguinem ejus super se et super filios suos expetierunt; jure in medio solemnitatis invadebat eos ira Dei, ita ut alia prophetia impleatur qua de illis dicitur : « Et convertam solemnitates vestras » in luctum, et celebritates vestras in planctum[1]. »

« Dixerunt in corde suo cognationes eorum simul, » Quiescere faciamus dies festos Dei a terra [2]. » Hæc omnia, inquit, impio consilio inimici tui peragebant : nam sanctuarium, inquit, tuum incenderunt, et tabernaculum nominis tui prophanarunt, cæteraque omnia ausi sunt, non hominibus insidias struentes, non locum ipsum obsidere tantum in animo habentes, sed tibi Deo bellum moventes, et festa tua solvere cogitantes. Hæc porro etiamsi non non ore proferrent, sed corde menteque cogitabant. Verum illi Dei hostes talia cogitantes locum olim Deo dicatum excidio tradiderunt : magnus autem ille potensque Deus, pro illo uno loco, ab oriente

[1] Amos. VIII, 10. — [2] Psal. LXXIII, 8.

sole usque ad occasum per universum orbem Ecclesia sibi per omnes gentes constituit. Et vero inimici, inquit, et hostes tui signa sua in alto et in conspicuis locis posuerunt, ad ipsas usque templi valvas, ut omnes qui prætеribant, victoriæ illorum symbola conspicerent; nos autem, ex quorum persona oratio funditur, « Signa nostra » non vidimus [1]. » Quomodo signa nostra non vidimus, nisi quia « jam non est propheta, et nos non cognoscet » amplius? » Olim quidem singulis temporibus, in generationibus et successionibus patrum nostrorum, Prophetæ ipsis obsessis et in captivitatem actis aderant: quod maximum erat argumentum et signum, eos non providentia exclusos tua fuisse; virtus enim illa universis providens, in extremis calamitatibus Prophetas ceu medicos ipsi olim populo constituebat; et hæc erant Dei signa. Nunc autem cum prædicta in nos opere perficiuntur, « Signa nostra non vidimus: quare jam non est » propheta, et nos non cognoscet amplius. » Nam si ad breve solum tempus Prophetæ defecissent, et postea tamen apparuissent, nequaquam dictum esset, « et nos » non cognoscet amplius. » Jam vero quia post ipsorum in Servatorem ausus, irrumpentibus Romanis, locumque a fundamento diruentibus, nusquam Prophetæ obsessis aderant, sed neque sequenti tempore adfuerunt, nec unquam postea surrecturi sunt; admirabili modo prophetia postquam dixerat, « jam non est propheta, » addidit, « Et nos non cognoscet amplius. » Quod sane non Babyloniorum tempore, neque superiori ævo dici poterat. Nam singulis in generationibus penes illos Prophetarum successio floruit, et usque ad Joannem Prophetam permansit.

« Usquequo Deus improperat inimicus, irritat adver» sarius nomen tuum in finem [2]? » In præsenti prophetia

[1] Psal. LXXIII, 9. — [2] Ibid. 10.

illud, « in finem, » plerumque dictum fuit. In principio nemque dicebatur : « Ut quid Deus repulisti in finem? » Deinde vero, « Leva manus tuas in superbias in finem; » tertio, « Irritat adversarius nomen tuum in finem; » rursumque, « Ut quid avertis manum tuam et dexteram » tuam de medio sinu tuo in finem? » Queis postrema loci obsidio significatur. Cum autem percontatur et dicit, « Usquequo Deus improperabit inimicus? » edoceri cupit quousque isthæc perdurabunt, et quænam temporis circumscriptio erit, et usquequo irritabit adversarius nomen tuum, num talia agendo in finem perseveraturus sit. Consequenter horum causam precando sciscitatur dum dicit : « Ut quid avertis manum tuam et dexteram » tuam de medio sinu tuo in finem[1]? » Hæc porto dicti sententia est : sinus Dei bonis repletus est, quare dictum est : « Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris ipse nar» ravit. » Et est hic arcanus paternæ divinitatis thesaurus, et plenitudo bonorum omnium, unde gratiarum dona iis qui se digni sunt largitur. Quoniam igitur de medio sinu dona gratiarum dignis erogat, ac dexteram suam in illos extendit, ab indigno vero dexteram suam avertit, nihilque ex bonis in memorato sinu suo reconditis ipsis elargitur, jure sciscitatur dicens : « Ut quid avertis manum » tuam et dexteram tuam de medio sinu tuo in finem? » Rursumque id adjicit, « in finem, » significans, in finem ipsis dexteræ Dei aversionem futuram esse. Interrogatione autem nos ad causam perquirendam invitat, ut quæramus quare illi in finem abjecti sint. Nam si quis eos de peccato et iniquitate incusaverit, at scimus olim similia cum fecissent non in finem abjectos fuisse; infinita quippe et nefaria eorum opera, adulteria, idololatriam, Prophetarum cædes ennumerant prophetici ser-

[1] Psal. LXXIII, 11. [2] — Joan. I, 18.

mones ; sed nunquam in finem derelicti sunt : Prophetæ quoque ipsis, et si talia patrantibus, aderant, Angelorum visiones, Spiritus sancti præsentia. Quod ergo tantum tam inauditum facinus eorum, ut in finem abjiciantur et dextera Dei ab eis avertatur in finem? Hæc porro dicens admissum ab eis in Christum Dei facinus tacite subindicat.

« Deus autem rex noster ante sæculum operatus est » salutem in medio terræ[1]. » Postquam prædicta recensuit, sermones de providentia resumit, atque virtutis Dei ingentia opera declarat, pias opportune voces proferens ; ne quis putaret ideo jam memorata gesta fuisse, quod Deus universa non curet, iisque non provideat. Quamobrem ait : Etsi hæc tali modo gesta sint, persuasum tamen nobis est, te Deum nostrum, quem regem item nostrum esse scimus, judicio regio ac divino omnia ad universorum salutem temperare ; nam « Deus noster » ante sæculum operatus est salutem in medio terræ. » Ita ut etiamsi isthæc in uno terræ angulo effici permiseris eorum causa qui locum incolebant, persuasum tamen habeamus te omnes terram incolentes homines salute dignaturum, qui Christum tuum excitasti omnium hominum Servatorem. Videturque mihi hoc uno versu, quasi quæstionum solutionem præberi. Nam eorum vice quæ contra prædictum locum perpetrata sunt, Deus, inquit, operabitur salutem in medio terræ. De more autem hic futura ut jam præterita vaticinatur. Deinde vero docet, qualia jam olim prodigia Deus operatus sit, sic loquens : « Tu confirmasti in virtute tua mare. » Pro illo autem, « tu confirmasti[3], » Symmachus, « Tu dissipasti » virtute tua mare, » interpretatus est. Et mihi quidem videtur historice indicare populi per mare Rubrum duce Moyse transitum. Quare secundum Symmachum dicitur,

1 Psal. LXXIII, 12. — 2 Ibid. 13.

« Tu dissipasti virtute tua mare ; » secundum Theodotionem vero : « Tu divisisti in potentia tua mare. » Deinde Ægyptios et Pharaonem adumbrare mihi videtur dicens : « Tu contrivisti capita draconum in aqua [1]. Tu » confregisti capita draconis. » per draconem scilicet Pharaonem , per capita vero ejus , principes qui sub eo erant subindicat ; sive per dracones , Ægyptios ; per capita vero eorum , principes et duces eorum significat. Illud autem, « Dedisti eum escam populis Æthiopibus , » sic explicet quispiam , quod cadavera eorum ad littus maris rejecta in escam volatilibus cœli fuerint. Pro illo autem , « Æthiopibus , » Aquila , « Egressuris ; » Theodotio , « Novisissimo ; » Quinta editio , Egresso, interpretati sunt. Postquam eorùm qui in mari Rubro demersi mentio facta est , sub hæc eorum quæ postea gesta sunt memoriam refricat dicens : « Tu dirupisti fontes et tor» rentes[2]. » Non enim Moyses erat qui petram virga percutiens, ex illa eduxit fontes et torrentes; sed tu Deus eras, qui hæc per Moysen miracula patrabas. Quod additur autem, « Tu siccasti fluvios Etham, » ad Jordanem referatur, quem filii Israël post Moysis mortem, duce Jesu, exsiccatum pedibus transierunt. Est autem figura « perileptica, quæ pro singulari pluralem adhibet. » Etham vero Aquila , « Solidos fluvios ; » Symmachus autem, « antiquos, » edidit. Hæc quidem secundum literam dicta sint. Tropice autem loquendo hæc loca referet quispiam ad occultas et invisibiles virtutes, dicetque eas esse dracones , ut hic vocantur ; mare autem tropice sumptum, eorum esse domicilium ; per draconem vero multis capitibus, principem malignorum spirituum indicari, ad quem dixerit quispiam hæc pertinere : « Tu » confregisti capita draconis, dedisti eum escam po-

[1] Psal. LXXIII, 14. — [2] Ibid. 15.

» pulis Æthiopibus. » Quæret idem quinam Æthiopes allegoriæ more fuerint, dicetque eos esse qui anima sunt nigra, quos a memorato dracone comedi ait, eadem proportione qua ii qui salutaris Verbi carnes comedunt : his consequenter fontes diruptos in torrentes, et siccatos fluvios tropico item more explicare tentabit. Sed nos postquam ea ad literam explanavimus, ad cætera transeamus. Cum declarasset Propheta qualia miracula Deus ante sæcula rex ediderit, hæc etiam adjicit : « Tuus est dies, » et tua est nox[1]. » Tantam quippe rerum mutationem tu solus omnipotens operatus es. Quemadmodum enim firma petra in fluidam materiam conversa, fontes et torrentes ex ipsa effecisti, ac rursum fluviorum alveum e contrario exsiccasti, ita et diem arbitratu tuo in noctem vertis, atque rursum noctem in diem commutas : ipse luminaria et astra in cœlo lucere fecisti eis; soli cursum suum adsignasti, omnibusque terminos constituisti, et quasi confinia distribuisti, annique tempestates per omne sæculum varias in sectiones divisisti. Siquidem cum unum sit tempus, una et eadem orbis revolutio, tu Deus qui omnia potes, variis conversionibus totum distribuisti; ætatem veri junxisti, eam autumno circumscripsisti, hyemem vere terminasti; hæc quippe omnia tu formasti. Quoniam igitur tu, qui a sæculo et ante sæculum rex noster es, talia miracula et prodigia edere, atque tuo nutu constituta ex contrariis in contraria vertere soles, merito jam supplicationibus annuas nostris rogamus; et « memor esto hujus[2]. » Pro illo, « hujus, » Symmachus, « hæc, » interpretatus est; precamurque ut malorum quæ nobis acciderunt mutationem efficias. Pro illo autem, « Tu fabricatus es auroram et solem[3], »

[1] Psal. LXXIII, 16. — [2] Ibid. 17. — [3] Ibid. 18.

Aquila, « Tu præparasti luminare et solem, » interpretatus est.

« Inimicus improperavit Domino, et populus insi- « piens incitavit nomen tuum. Ne tradas bestiis ani- « mam confitentem tibi[1]. » Talia sunt inenarrabilis virtutis tuæ opera, qualia declaratum est. Horum ut in nostri gratiam recorderis supplicamus. Quia jam inimici hostesque nostri, non nobis debellatis sibique subjectis, sed tibi Deo nostro improperant; et populus insipiens, qui te Deum ignorat, dæmonibusque ac multorum numinum errore gloriatur, non nos, sed te et nomen tuum incitavit; ideo supplicamus et rogamus, ne animas confitentium tibi immanibus feris dedititias tradas, neque nos in perpetuum obliviscaris, ne bestiarum animas devorare solitatarum esca evadamus; quales sunt adversariæ potestates, quæ humanis animabus insidiantur ac bellum inferunt : sed « respice in testa- « mentum tuum[2], » et memor esto pacti tui, quo humanum genus salvum facere tibi complacuit, cum novum ipsis Testamentum per Christum tuum elargitus es. Etiamsi enim quidem sunt, mente obscurati, qui « domo « iniquitatum[3] » repleti sunt, nec Christum tuum recipiunt; at tu utpote Deus clemens hominibus, pauperum tuorum supplicationes ne averseris. » Quinam vero pauperes sunt, qui pro universo populo talia precantur, nisi Discipuli Servatoris nostri et Apostoli quibus dicebatur, « Beati pauperes spiritu, quoniam vestrum est » regnorum cœlorum[4]? » Hæc enim Hesaïas ex persona Christi testificabatur : « Spiritus Domini super me, eo » quod unxerit me; evangelizare pauperibus misit me[5]. » Hi itaque pro universo populo precabantur, idem fere

[1] Psal. LXXIII, 19. — [2] Ibid. 20. — [3] Ibid. 21. — [4] Matth. V, 3. — [5] Isai. LXI, 1.

dicentes quod Paulus : « Optabam anathema esse pro » fratribus meis, cognatis meis secundum carnem, qui » sunt Israëlitæ[1]. » Ipsi quoque Prophetæ Dei, qui propter ipsum pauperes erant, hæc pro tota gente precabantur.

« Exurge Deus, judica causam tuam, memor esto op- » probriorum tuorum, eorum quæ ab insipiente sunt » tota die[2]. Ne obliviscaris voces inimicorum tuo- » rum, superbia eorum qui te oderunt ascendit » semper[3]. » Quia non nos injurias affecti sumus, sed tu ; nam tibi inimicus improperavit, et populus insipiens incitavit nomen tuum; ideo exurge Deus et judica causam tuam. Secundum Symmachum autem, « Sta » Deus, propugna certamen tuum, et recordare oppro- » brii tui ab insipiente per totam diem. Ne obliviscaris » voces inimicorum tuorum, id est, eorum qui tibi » obsistunt. Usquequo ascendent indesinenter ? » Et huc desinit sermo, Deum rogans ut exurgat et judicet causam suam recordeturque opprobrii ab insipientibus illati, neque oblivioni tradat voces inimicorum ac superbiam eorum qui semper extolluntur. Neque tamen his bona responsio adjicitur, neque orationem bonorum promissio consequitur, quod aliis in psalmis reperire est. Ideo ab exordio abjectionem perpetuam memoratis hominibus vaticinabatur, et in toto psalmo tristium prædictioni illud, « in finem, » subdidit. Hinc occasione capta divinus Apostolus, de iisdem scribens dixit : « Pervenit autem ad eos ira in finem[4]. »

[1] Rom. IX, 3. — [2] Psal. LXXIII, 22. — [3] Ibid. 23. — [4] 1 Thess. II, 16.

In finem, ne corrumpas, psalmus Asaph. LXXIV[1]

« CONFITEBIMUR tibi Deus, confitebimur tibi, et in-
» vocabimus nomen tuum[2]. » Pro illo, « in finem, ne
» corrumpas, » Symmachus sic interpretatur : « Trium-
» phalis de incorruptione psalmus Asaphi. » Sermo igitur est de incorruptione, quæ justis reconditur, quibus etiam victoriæ præmia ceu in thesauris reposita sunt. Quamobrem triumphalis dictus est : nos autem remittit in finem, de quo Apostolus ait : « Deinde finis, cum
» tradiderit regnum Deo et Patri, cum destruxerit
» omnem principatum et potestatem et virtutem[3]. Opor-
» tet enim illum regnare donec ponat omnes inimicos
» sub pedibus ejus. Novissima inimica destruetur mors.»
In fine quippe, quotquot in hoc sæculo, in bono hujusmodi certamine vicerunt, incorruptam vitam consequentur. Quod sub finem præsens psalmus declarat his verbis : « Et omnia cornua peccatorum confringam, et
» exaltabuntur cornua justi. » Nam cum perinde atque Apostolus cornua confringenda esse dixisset, addidit illud, « Exaltabuntur cornua justi : » atque hoc præsentis prophetiæ complementum est. Quare et psalmus et canticum simul nuncupatur ; ex persona autem justorum initium ducit dicens . « Confitebimur tibi Deus, confite-
» bimur tibi, et invocabimus nomen tuum. » Ipsis namque solis convenit confessio cum gratiarum actione, qua Servator in Evangeliis Patri confitebatur dicens : « Confiteor tibi Pater Domine cœli et terræ[4] » Primo autem confitentur, deinde invocant nomen ejus, qua in-

[1] Psal. LXXIV, 1. — [2] Ibid. 2. — [3] 1 Cor. XV, 24. — [4] Matth. XI, 25.

vocatione salutem a Deo consequentur, ut fert dictum illud : « Et omnis quicumque invocaverit nomen Do- » mini, salvus erit[1]. » Potest item hic sermo ad confessionem instituere eos, qui in præcedenti ruinam Jerosolymorum, et postremam ejus obsidionem deploraverant. Nam qui superius dixerant, « Ut quid Deus repulisti in » finem, iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ[2]? » et cætera; nunc docentur confiteri Deo, et invocare nomen ejus. Quia vero duplex confessionis modus est, necessario hic bis dicitur illud, « Confitebimur tibi, » Per primum quippe, ut par est, confessio pro peccatis significatur; per secundum vero ii qui prius confitebantur, pro bonis acceptis gratiarum actionem emittunt.

« Narrabo mirabilia tua, cum accepero tempus ego » rectitudines judicabo[3]. » Hasce Dei voces esse, dictorum sententia declarat, illud quippe, « Ego rectitu- » dines judicabo, ac rursum illud, Ego confirmavi co- » lumnas ejus, » videlicet terræ; atque sub hæc illud, « Et omnia cornua peccatorum confringam, » quem dicere conveniat, nisi Deum? Si itaque ex persona Dei hæc dicantur, cur alius qui Deum noverat, ipsum quasi compellare sic videtur, « Narrabo mirabilia tua, cum » accepero tempus, » ac infert, « Quoniam Deus judex » est; » ac rursum, « Quia calix in manu Domini vini » meri? » Cur his omnibus subjungit, « Ego autem an- » nuntiabo in sæculum, cantabo Deo Jacob, et omnia » cornua peccatorum confringam? » Animadverte igitur num his verbis unigenitum Dei Verbum, quæ ad Patris deitatem spectant enarrans, sua opera enuntiet. Ait itaque, « Narrabo mirabilia tua cum accepero tempus. » Aquila vero sic habet, « Cum accepero tempus sta- » tutum; » Symmachus autem, « Cum accepero syna-

[1] Joel. II, 32. — [2] Psal. LXXIII, 1. — [3] Psal. LXXIV, 3.

» gogam. » Videturque mihi hæc opportune dicta esse, « Cum accepero tempus statutum, » vel, « synagogam. » Pollicetur quippe se in tempore opportuno omnia Patris in Ecclesia ex gentibus gesta mirabilia narraturum, quam Ecclesiam ipsi Pater promisit his verbis : « Postula » a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et pos» sessionem tuam terminos terræ[1]. » Cum ergo hoc tempus statutum, inquit, accepero, et cum opportunitatem consecutus ero, tunc omnibus gentibus quæ sese converterint narrabo omnia mirabilia tua. Quibus subdit, « Ego rectitudines judicabo. » Justitiæ namque et rectitudinis opus est, non Judæos solum admittere, neque Abrahami genus dumtaxat secundum Moysis vocationem recipere, sed omnibus ex gentibus servandorum electionem facere. Quamobrem Petrus in Actibus dixisse scribitur : « In veritate comperi, quia non est personarum » acceptor Deus; sed in omni gente qui timet eum ac» ceptus est illi[2]. » Paulus autem Judæo primum, postea Græco prædicandum Evangelium esse dicit his verbis : « Non enim erubesco Evangelium : virtus enim Dei est » in salutem omni credenti, Judæo primum, et Græco. » Justitia enim Dei in ipso revelatur[3]. » Quibus hic consequenter dicitur : « Ego rectitudines judicabo. » Deinde subjicit : « Liquefacta est terra et omnes qui habitant in » ea : ego confirmavi columnas ejus[4] » Secundum Symmachum vero, « Constituetur, » inquit, « terra cum » habitantibus in ea : ego confirmavi columnas ejus. » Hæc porro præcedentis psalmi dictis affinia sunt. Terra siquidem obsessa et igni tradita, de qua dicebatur, « Quasi in sylva lignorum securibus exciderunt januas » ejus in idipsum, in securi et ascia dejecerunt eam. » Incenderunt igne sanctuarium tuum, in terra pol-

[1] Psal. II, 8. — [2] Act. X, 34. — [3] Rom. I, 16. — [4] Psal. LXXIV, 4.

» luerunt tabernaculum nominis tui[1]; » hæc passa, liquefacta est; et una omnes qui habitabant in ea impietatum suarum causa hæc perpessi sunt. Cæterum his pereuntibus, « ego, » *inquit*, « confirmavi columnas » ejus. » Quas eas esse dixeris, nisi sacros Apostolos et omnes Servatoris nostri Discipulos et Evangelistas? Nam cum ex eadem terra prodiissent, columnæ et firmamentum Ecclesiæ facti sunt. Quapropter Paulus Apostolorum coryphæos columnas vocabat dicens : « Jacobus et Ce» phas et Joannes, qui videntur columnæ esse. »

« Dixi iniquis, Nolite inique agere, et delinquenti» bus, Nolite exaltare cornu[2]. » Columnas quidem sanctæ et catholicæ Ecclesiæ ego, inquit Deus, firmavi, utpote qui ex memorata terra liquefacta cum habitatoribus suis, ipsos elegerim; reliquos vero contestatus sum, præcipiens illis ipsosque cohortans ut ne inique agerent. Secundum Symmachum vero : « Dixi seditio» sis, » inquit, « Ne seditiose agatis, et iniquis, No» lite exaltare cornu[3]. Ne extollite in altum cornu ves» trum loquentes cervice iniquitatem[4]. » Eadem vero ipsa possunt ad alium ordinem, eorum videlicet qui ex circumsione sunt, referri, qui contra Servatorem seditionem moverunt, et adversus eum insurrexerunt; quorum causa liquefacta est terra eorum et omnes qui habitabant in ea. Cæterum omnibus quoque per orbem gentibus Apostolorum prædicatione testificatus est, ut ne inique agerent, et peccatoribus ut ne peccati cornu exaltarent, neque sese efferrent et arroganter agerent, neque loquerentur adversus Deum iniquitatem : quod sane ante agebant cum multiplicium deorum errori animum adhiberent, et Deum universorum ignorarent.

« Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque

[1] Psal. LXXIII, 5. — [2] Psal. LXXIII, 5. — [3] Galat. II, 9. — [4] Psal. LXXIV, 6.

» a desertis montibus, quoniam Deus judex est[1]. » Et hæc quoque, ait, per Apostolos meos omnibus hominibus testificatus sum, ut judicii Dei recordarentur, et omnis iniquitatis finem facerent, persuasi universorum judicem non procul abesse; sed omnia implere, et ubique præsentem esse. Quare convenit nos quasi in oculis ejus viventes animo ad eum converso degere. Neque enim procul abest, ita ut arbitremur eum longe a nobis habitare; sive in oriente, sive in occidente, sive in desertis et montibus. Nam medius et præsens universis, judex omnium est. Judicii autem illius officium est, ut unicuique pro merito tribuat, hunc humiliet et hunc exaltet; superbos quidem illosque qui cornu suum in altum extollunt humiliet, humiles vero exaltet, secundum illud : « Deus superbis resistit, hu-» milibus autem dat gratiam[2]. » Quamobrem ait, « Quia » neque ab oriente, neque ab occidente, neque a deser-» tis montibus; » pro quibus Symmachus sic interpretatus est : « Non enim ab oriente, non ab occidente, » neque a deserto montium : sed Deus judex hunc qui-» dem humiliat, hunc autem exaltat. » Et quod sane, inquit, necessarium est omnes homines cognoscere, « Quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto. » Et inclinavit ex hoc in hoc; verumtamen fæx ejus non » est exinanita, bibent omnes peccatores terræ. » Secundum Symmachum vero, « Calix enim in manu Do-» mini, et vinum merum replens effusum, ita ut tra-» hant ab ipso. Veruntamen fæces ejus guttatim expri-» ment bibentes improbi terræ. » Hæc item, ait, omnes homines docui, ne ignorent calicem illum omnes manere, quem cuique temperat et commiscet universorum judex. Hoc porro intelligas ex iis, quæ in prophætiis de calice

[1] Psal. LXXIV, 7 et 8. — [2] Jacob. IV, 6.

feruntur; in Jeremia quippe scriptum est : « Dixit Do-
» mini Deus Israël ad me, Sume calicem vini meri
» de manu mea ; et potabis ipso omnes gentes, ad
» quas ego mittam te. Et bibent et voment et insa-
» nient a facie gladii, quem ego mittam in medium
» eorum. Et accepi calicem de manu Domini, et po-
» tavi omnes gentes, ad quas misit me Dominus; Je-
» rusalem et civitates Juda, reges ejus et principes ejus,
» ad ponendum eos in solitudinem, in inviam, et in
» subsannationem : et Pharaonem regem Ægypti, et
» pueros ejus et optimates ejus[1]; » ac deinceps ait :
« Et omnes reges terræ alienigenarum, Ascalonem, Ga-
» zam et Accaronem, Idumæam et Moabitidem, filios
» Ammon, et omnes reges Tyri, et omnes reges Sidonis,
» et omnes reges Insulæ trans mare[2]. » Postea vero sic
concludit : « Dixit Dominus omnipotens Deus Israël, Bi-
» bite et inebriamini, et vometis, et procumbetis, nec
» resurgetis a facie gladii, quem ego mittam in medium
» vestri. Et erit, si noluerint accipere calicem de manu
» tua, ut bibant, dices ad eos, Sic dicit Dominus virtu-
» tum, bibentes bibetis[3]. » Queis ediscitur, Deum ins-
tar medici, amaram antidotum gentibus offerre, nempe castigationes, ut evomant, malitiamque illam exuberantem quam intus habent exonerent; primamque Jerusalem eo calice potandam, deinde reliquas gentes, quia omnes simili purgatione per illatas castigationes evacuandi sunt. Præsens itaque sententia perinde atque prophetica illa doctrina, calicem esse docet in manu Domini; in quo singulorum fructus colligens, quasi merum vinum exprimit. Deinde vero pro justitiæ ratione et cujusque merito, potum temperans, cujusque actionum proportione habita, ipsis bibendum propinat. Non

[1] Jer. xxvi, 5. — [2] Ibid. 20. — [3] Ibid. 27.

enim prava dumtaxat singulorum opera, sed etiam bona examinanda et æqua lance ponderanda sunt; atque congruentem singulorum operibus potum parare opus est. Quod ipse declarat his verbis : « Et inclinavit ex hoc in » hoc; » ita ut una commixtione mala singulorum opera bonis temperentur. Pro illo autem, « Inclinavit ex hoc » in hoc, » Symmachus, « Ita ut trahant ab ipso, » interpretatus est; et ut fæcem bibant omnes peccatores terræ. Non enim mixtio temperata, sed quod extremum ac turbidum est, gravium scelerum reis reservatur. Quare secundum Symmachum dictum est : « Verumtamen » fæces ejus guttatim exprimentbibentesimprobi terræ. »

« Ego autem annuntiabo in sæculum, cantabo Deo » Jacob[1]. » Supra memorata omnia inique agentibus dixi, et contestatus omnibus præcepta dedi. Ego vero qui superius dixi, « Narrabo mirabilia tua, cum accepero tempus[2]; » ac rursum, « Ego rectitudines judi» cabo; » iterumque, « Ego confirmavi columnas ejus, » postquam prædicta peccatoribus prædicavi et testificatus sum, et postquam judicii rationem omnes edocui, quid faciam? « In sæculum cantabo Deo Jacob. » Novi quippe eum qui religiosi viri Deus est, patrem esse meum; ipsique cantabo, ipsi præclara gesta mea annuntiabo. Deinde vero accepta a Patre judicandi potestate, « omnia » cornua peccatorum confringam[3]; » cum quidem quo tempore tolerantia, patientia et mansuetudine utendum erat, ipsos extolli concesserim; verum in fine cornua eorum contra Deum elata confringam, viceque versa cornua justi, quia demissa erant, exaltabo. Tunc vero exaltabitur justus, quando una cum rege suo regnabit secundum Apostolum qui ait : « Primitiæ enim Christus; » deinde qui Christi sunt in adventu ejus; deinde finis,

[1] Psal. LXXIV, 10. — [2] Psal. LXXIV, 2. — [3] Ibid. 11.

» cum tradiderit regnum Deo et Patri, cum destruxerit » omnem potestatem et virtutem[1]. » Quando scilicet justi vitæ immortalis calicem bibent, quem ipsis promisit dicens : « Donec bibam illum novum vobiscum in » regno cœlorum[2]. »

In finem, in hymnis, psalmus ipsi Asaph, canticum.
LXXV[3].

Notus in Judæa Deus, in Israël magnum nomen « ejus[4]. » Hic psalmus item ex numero eorum est qui ad bonum fidem remittunt; præcedentique affinis, de judicio Dei verba facit. Quod deinceps his verbis declarat : « De cœlo auditum fecisti judicium, terra tremuit et » quievit; cum exurgeret in judicium Deus, ut salvos fa- » ceret omnes mansuetos terræ. » Et in illo quidem iniquis dicebatur. « Nolite exaltare cornu, et nolite ex- » tollere in altum cornu vestrum; » in præsenti vero, « Turbati sunt omnes insipientes corde. Dormierunt » somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri » divitiarum. » Hi vero erant qui cornua extulerant. His porro altissimum dogma traditur, ut sciamus qui sit verus Israël, et quæ sit ejus secundum rectam veramque rationem regio, quæ vocatur Judæa; quæ item vera Jerusalem, quod Dei domicilium. Hæc Spiritus propheticus præcellenti sapientia dispensat; atque una iis qui abjectius Judaïco more rem intelligunt, voluptatem ob nominum similitudinem affert, eos autem qui speculandi vi præditi sunt divinis institutis erudit. Judæus

[1] 1 Cor. xv, 23. — [2] Matth. xxvi, 29. — [3] Psal. lxxv, 1. — [4] Ibid. 2.

itaque qui nihil aliud est, quam caro et sanguis, carnali et corporeo more hæc audiet; deinde vero extolletur, sensu carnis suæ temere inflatus, neque caput tenens secundum S. Apostolum. Quare se Israëlem esse, atque Judæam nihil aliud quam Palæstinorum regionem esse putabit; locum vero Dei pro terrena Jerusalem habebit: quoniam Hebraïca lectio in Salem locum ejus factum esse dicit[1]: quo item modo reliqui interpretes, « in Sa» lem » videlicet, ediderunt. Qui vero divina imbutus disciplina est, cum edidicerit, non omnes qui ex Israële sunt, Israël esse; neque quotquot semen Abraham, filios ejus esse; non enim filii carnis, ii filii Dei sunt, sed filii promissionis, ii pro semine computantur; cum audierit item illud Apostoli dictum; « Non enim qui in » manifesto, Judæus est, neque quæ in manifesto, in » carne est circumsio; sed qui in abscondito, Judæus est: » et circumcisio cordis in spiritu, non littera, cujus laus » non ex hominibus, sed ex Deo est[2]; » ac rursum, « Nos » enim sumus in circumcisione qui in spiritu Dei servi» mus, neque in carne confidimus[3]; » cum consideraverit etiam illud, « Respicite Israël secundum carnem[3], » utpote scilicet alio existente, qui non secundum carnem, sed secundum spiritum verus Israël est; hæc edoctus, verum Israëlem admittet eum qui ex opere demonstratur. Nomen porro accipitur pro eo qui videt Deum; ergo virum perspicacem, notitia præditum et doctum, solum esse verum Israëlem declarabit, qualem hæc sententia prodit dicens, « In Israël magnum nomen ejus. » Evincit vero Judæum Israëlis nomine dignum non esse propheticus sermo, qui ipsos respicit et sic habet: « Væ » genti peccatrici, populo pleno peccatis; » et, « Audite » verbum Domini principes Sodomorum: attendite legi

[1] Psal. LXXV, 3. — [2] Rom. II, 28. — [3] Philip. III, 3. — [4] 1 Cor. X, 13.

» Dei populus Gomorrhæ[1]. » Quemadmodum etiam qui de gentibus dicit, ab oriente sole usque ad occidentem gloria celebrari nomen suum in gentibus : « et in » omni loco[2], » ait, « thymiama offertur nomini meo et » sacrificium mundum[3]; » ac rursum, « Quia magnum » est nomen meum in gentibus[4]; » aperte declarat posse gentes Israël esse, siquidem « in Israël magnum nomen » ejus. » Judæis vero dicebatur : « Vos autem prophanatis illud, » videlicet nomen Dei. Rursumque illis dictum est : « Propter vos semper nomen meum blasphematur in gentibus[5]. » Si itaque hæc Scriptura docet illum esse Israëlem penes quem nomen Dei celebratur, ex jam dictis manifestum fuerit qui vere et proprie Israël vocandus sit. Proportione quadam de Judæa idem intelligas. Nam ubi cognitio est, ibi Judæa existit. Quod his verbis Scriptura declarat : « Notus » in Judæa Deus. » Quod si id non in Judæa, sive in Palæstinorum terra reperitur, cum multa ibi idololatria fuerit quando olim Judæi idola colebant; ita ut Prophetæ ipsos coarguerent ac dicerent. « Nam secundum nu» merum civitatum tuarum erant dii tui Juda, et se» cundum numerum biviorum Jerusalem sacrificabant » ipsi Baal[6], » qui fieri potest hanc dici Judæam quæ notitiam Dei obtineat? Cur item non dicas Ægyptiorum regionem eo vocabulo dignam, de qua dictum est, « Et erit altare Domino in terra Ægypti[7]; » ac rursus, « Et notus erit Dominus Ægyptiis? » Nam si penes eos quibus notus est Deus Judæa reperitur, quid impediat quominus omnes qui cognitionem Dei acceperunt in Judæa esse dicantur? Quare consequenter ad isthæc, Ecclesi ןei per totum orbem constituta, in

[1] Isai. I, 4. — [2] Ibid. 10. — [3] Malach. I, 11. — [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Isai. LV, 5. — [7] Jerem. II, 28. — [8] Isai. XIX, 12.

qua qui est super omnia Deus notus est, Judæa congruenter dici possit. Neque aberres si dicas Judæam esse, totam divinitus inspiratam et Judaïcam Scripturam, quæ ceu possessio et ambitus veri Israëlis nuncupari potest, quia in ipsa cognitio Dei continetur. Pari itaque modo vera Judæa et verus Israël intelligatur.

Perpendas vero quomodo « factus est in pace locus ejus, et » habitatio ejus in Sion[1]. » Nam si locus ille, quem Judæi in honore habebant, bellis et vastationibus non obnoxius fuisset, merito Judæis concedi posset eum ipsum esse locum a Scriptura indicatum. Quod si ille a fundamentis dirutus et sæpe captus ab hostibus fuit, et tamen locus ejus in pace esse dicatur; non sane possit revera putari locus Dei esse, qui plerumque ab inimicis debellatus sit. Quare jam non dicit, in Jerusalem, ne quis laberetur Judaïcam urbem esse cogitando; sed loco illius veram sententiam sic expressit, « Factus est in Salem locus ejus. » Salem vero pax explicatur : quare apud Septuaginta interpretes dictum est, « Factus est in pace locus ejus. » Si igitur animæ omni prorsus bello liberæ, in prosperitate, quiete et tranquillitate degentes, in terra reperiantur, jure dicantur illæ locus Dei esse, utpote quæ Spiritum divinum in se capiant. Ideo de talibus dictum est, « Inhabitabo in illis et inambulabo, et ero illorum Deus, » et ipsi erunt mihi populus[2] » Quod si tales in terra perraro inveniantur, cum contra in civitate Dei cœlesti, Dei domicilium, Angelis, Archangelis, divinis virtutibus, spiritibusque sanctis frequentetur; jure dicat quispiam ibi locum Dei esse, et illam veram esse pacem, quæ Salem hic Hebraïce nuncupatur. Quare Apostolus cum nosset eam dicebat : « Illa vero quæ sursum est Je» rusalem libera est, quæ est mater nostra[3]. » Nam Sa-

[1] Psal. LXXV, 3. — [2] Levit. XXVI, 12. — [3] Gal. IV, 26.

lem explicatur, « Pax; » Jerusalem vero, « Visio pa- » cis : » cujus lares in cœlestibus divinisque virtutibus existunt : in quibus Deus ipse ambulat, utpote quæ ejus deitatem capere valeant. Deinde dicitur : « Et habitatio » ejus in Sion[1].» Postea subjungitur: «Ibi confregit poten- » tias arcuum, telum, gladium et bellum. » Hic rursum, si in sensibili et terrena Sion hæc gesta essent, non esset causa invidendi Judæis sic explicare volentibus; quod si ipsis rebus gestis contrarium appareat, quia in obsidione inimicorum diruta fuit; necessarium est hic Sionem, quæ cum pace congruat intelligere, scilicet Ecclesiam Dei; vel etiam cœlestem illam de qua divinus Apostolus hæc declaravit, « Accessistis ad Sion montem, et civitatem » Dei viventis Jerusalem cœlestem, et multorum mil- » lium Angelorum frequentiam, et ecclesiam primitivo- » rum qui conscripti sunt in cœlis [2]. » Hic enim nullo peccato vigente, nulloque animarum inimico existente, potentiæ arcuum contritæ sunt, telum et gladius ablata sunt, ita ut de iis qui illa mansione dignati sunt dicatur, « Abscessit dolor, tristitia et gemitus [3]. »

« Illuminas tu mirabiliter a montibus æternis, turbati » sunt insipientes corde [4]. » Admodum consequenter, postquam locum Dei declaravit, docet non intra locum hujusmodi concludi bona; sed eum ceu radios exinde emittere ad eos qui longissime siti sunt. Quamobrem ait : « Illuminas tu mirabiliter a montibus æternis. » Quinam montes illi æterni, nisi Sion et Salem, de quibus superius actum? Ex supernis igitur et cœlestibus cacuminibus, ceu ex æternis montibus, deitatis suæ radios ad terrigenas usque emittens, eorum qui digni sunt animas illustrat Spirituque sancto suo illuminat. Has, inquam, illuminat; suo autem lumine indignos justi judicii sui

[1] Psal. LXXV, 4. — [2] Hebr. XII, 22. — [3] Isai. LI, 1. — [4] Psal. LXXV, 5.

providentia invadens conturbat. Quamobrem subdit, « Turbati sunt omnes insipientes corde. » Nam cum revera insipientes corde; sive secundum Symmachum, « superbi corde, » essent, divinæ lucis radios non exceperunt, ideo turbati sunt. Iidem vero ipsi postquam « dormierunt somnum suum, nihil invenerunt in manibus suis, » quia « viri divitiarum [1] » erant. Nam cum ad breve tempus in mortalis vitæ phantasia dormitassent, et altum de divitiis saperent, rati se aliquid esse, in voluptatibus, quas sibi divitiæ conciliabant, demersi sunt. Experrecti autem, atque ex hac vita translati, sese nihil habentes, nec quidpiam manibus tenentes deprehenderunt. Quare alicubi dictum est : « Ne timueris cum » dives factus fuerit homo, et cum multiplicata fuerit » gloria domus ejus : Quoniam cum interierit non sumet » omnia, neque descendet cum eo gloria ejus [2]. » Unde nec immerito illi vere insipientes corde turbati sunt « ab » increpatione Dei Jacob [3]; » sive secundum Symmachum, « a fremitu. » Tunc enim sententiam justi judicii Dei subeuntes, merito turbabuntur, quia dormitaverunt concensis equis suis, videlicet lascivis corporibus, cum oportuisset vigilare et sobrie agere, memores divini præcepti dicentis : « Vigilate, quia nescitis diem, neque » horam [4]. » Illi vero dormitabant, et dormierunt somnum suum, somniis et phantasiis dediti, equisque lascivis, corporibus nempe suis usi. Hi itaque omnes qui, modo insipientes corde, modo viri divitiarum, nunc ascendentes equos vocantur, dum in præsenti vita degerent, dormitaverunt; sive secundum Symmachum, « soporati sunt, » sopore et ebrietate animæ depressi. Deinde vero, « dormierunt somnum suum, vanis phantasiis dediti; ac demum expergefacti, turbati sunt ab

[1] Psal. LXXV, 6. — [2] Psal. XLVIII, 17. — [3] Psal. LXXV, 7. — [4] Matth. XXV, 13.

increpatione Dei Jacob. Hic porro erat Servator noster, Dei verbum, qui ipsi Jacob Deus visus fuisse in Scriptura fertur, quique judicium in omnes a Patre accepit.

« Tu terribilis es, et quis resistet tibi? ex tunc ira » tua [1]. » Iis qui divinæ lucis radios excipere nolunt, terribilis esse dicitur. Quapropter sic superius ipsum Deum alloquebatur, « Illuminas tu mirabiliter a monti- » bus æternis; » nunc autem eidem ait : « Tu terribilis » es, et quis resistet tibi? » Ipse itaque et lucis largitor, et terribilis est; iis scilicet qui in dextera sunt, lucis administrator; iis qui in sinistra, terribilis, quibus etiam dicet : « Abite in ignem æternum, paratum diabolo et » angelis ejus[2]. » Deinde subdit, « Ex tunc ira tua. » Ex tunc, a quonam tempore, nisi a quo dormitaverunt qui ascenderunt equos, et dormierunt somnum suum insipientes corde? Ex eo namque tempore sibi ipsis thesaurizaverunt iram in die iræ; ita ut ipsis dicatur : « Ite ad » lumen ignis vestri, et ad flammam quam accendis- » tis [3] : » Singuli namque quo tempore peccant, ex eo iram sibi thesaurizant : siquidem per iram intelligitur supplicium peccantibus reconditum. Deinde vero dicitur : « De cœlo auditum fecisti judicium [4]. » Accuratius animadvertas, non dictum fuisse, « fecisti; » sed, « au- » ditum fecisti. » Antequam enim judicii tempus eveniat iis qui ante judicium mortalem vitam obiere, per divinas lectiones, sermones de divino judicio ipsos audire fecit. Sed nunc quidem futurum judicium de cœlo auditum fecit : superveniente autem justi judicii Dei tempore, « terra, » inquit, « tremuit et quievit, cum exsur- » geret in judicium Deus, ut salvos faceret omnes man- » suetos terræ [5]. » Aperte autem his declarat, quæ sit

[1] Psal. LXXV, 8. — [2] Matth. XXV, 41. — [3] Isai. L, 11. — [4] Psal. LXXV, 9. — [5] Ibid. 10.

judicii causa; uti scilicet salvos faceret mansuetos terræ. Nam de impiis dictum est : « Non resurgent impii in ju- » dicio, neque peccatores in concilio justorum. Quoniam » novit Dominus viam justorum, et iter impiorum peri- » bit [1]. » Cum surrexerit itaque Deus in judicium, ut salvos faciat omnes mansuetos terræ, terra tremet et quiescet. Nam mansueti quidem salutem obtinebunt; alii autem, iræ tradentur. Reliqua vero terra, et qui medio in statu versantur, assumpto Dei timore a perturbatione quiescent. « Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, » et reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi[2]. » Et hoc ait futurum esse cum exsurget in judicium Deus, ut salvos faciat omnes mansuetos terræ; quid aliud id fuerit, quam quod « cogitatio hominis confitebitur tibi? » Omnis quippe lingua, omnis hominum cogitatio mentisque perceptio tempore judicii confitebitur Deo, quando occulta hominum revelabuntur. « Et reliquiæ, » inquit, « cogitationis diem festum agent tibi. » Quid porro fuerit illud, « reliquiæ cogitationis, » nisi ratiocinium omni prava cogitatione purgatum? simile iis de quibus dictum est : « Reliquiæ secundum electionem gratiæ factæ » sunt [3]. » Sic igitur et ipsum [ratiocinium] reliquiæ cogitationis vocatum est; quapropter tunc festum aget, utpote in tempore suo promissiones regni cœlestis accepturum.

« Vovete et reddite Domino Deo vota vestra, omnes » qui in circuitu ejus estis : terribili et ei qui aufert spi- » ritus principum, terribili apud reges terræ[4]. » Absoluto de Dei judicio sermone, hortantis more præcipit nobis ut voveamus et Domino Deo nostro vota reddamus : dum adhuc in præsenti vita tempus adest, ut id agamus nos necessario commonet. Vota autem promissiones nuncu-

[1] Psal. I, 5. — [2] Psal. LXXV, 11. — [3] Rom. XI, 5. — [4] Psal. LXXV, 12, 13.

pare solet : quare dictum est : « Si votum voveris, ne » tardes reddere : melius enim est non vovere, quam vo- » vere et non reddere [1]. » Unusquisque ergo nostrum propositum et promissionem suam, ceu votum reddat, memor dicti illius : « Immola Deo sacrificium laudis, et » redde Domino vota tua : et invoca me in die tribula- » tionis, et eruam te et glorificabis me [2]. » Nunc igitur, ait, « Vovete et reddite. » Tempus enim aderit qui omnes qui in circuitu ejus sunt afferent munera. Nam tempore regni ipsius « reges Tharsis et insulæ munera offe- » rent, reges Arabum et Saba dona adducent, et adora- » bunt eum omnes reges terræ [3]. » Tunc ipsum in throno gloriæ suæ sedentem, omnes cum donis adorabunt, id est, cum suis, quos afferent, fructibus. Idcirco dum adhuc tempus est, monet ut voveamus et reddamus; ut cum thesauros nostros condiderimus, eos opportuno tempore ipsi afferamus, digni habiti ut inter eos qui thronum ipsius circumdant annumeremur. Omnes enim in circuitu ejus afferent ipsi munera, qui non accedentibus ad eum, nec munera illi offerentibus terribilis est. Quare sic concluditur : « Terribili et ei qui aufert spiri- » tus principum, terribili apud reges terræ [4]. » Illud enim, « Non permanebit spiritus meus in filiis homi- » num [4], » de illis quoque dicetur qui olim principes et duces audiebant, et Spiritu sancto dignati sunt, sed non digno accepta gratia modo vixerunt : a quibus spiritus auferetur, ut eo privati, promerito supplicio dedantur. Secundum Symmachum vero, « Legistatori, au- » ferenti quidem Spiritum ducum, terribili autem regi- » bus terræ. »

[1] Eccles. v, 3. — [2] Psal. XLIX, 14. — [3] Psal. LXXI, 16. — [4] Gen. VI 3.

In finem pro Idithum, psalmus Asaph. LXXVI [1].

« Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad » Deum intendit mihi [2]. » Psalmus ab ipso Asaph dictus est, refertur autem ad personam Idithum, pro quo ea quæ in psalmo feruntur composita sunt. Unde Symmachus, « Propter Idithum, » Aquila vero, « Super Idi» thum » interpretati sunt. Et jam quidem Asaph hos sermones ab se editos quasi magister discipulo ipsi Idithum ad meditandum tradit; vel quasi medicus ei qui medela eget, salutare pharmacum ad levamen morbi ægro offert. In superioribus autem pro eodem viro ipse David modo psalmum, modo canticum scripsit. Quare in psalmo xxxviii. sic habet inscriptio, « In finem pro » Idithum, canticum ipsi David [3]. » Quod vir iste Davidi et Asapho æqualis fuerit narrat Scriptura Paralipomenon, uti superius commonstravimus. Mihique videtur Idithum doctrina de providentia opus habuisse, quia ex hominibus multos videret impios, superbos et arrogantes, divitiis et ampla re familiari luxuriantes; ac vice versa justo abjectos et ab impiis oppressos. Vero simile igitur est illum hæc ægre tulisse, eaque de re tum Davidi tum ipsi Asaph verba fecisse, qualia ex antiquis alii proferebant, « Cur impii prospere agunt, et in divitiis con» senuerunt? Semen eorum pro voto : pueri eorum lu» dentes, assumentes psalterium et citharam. Dicit au» tem Domino, Abscede a me : vias tuas scire nolo [4]. »

[1] Psal. lxxvi, 1. — [2] Ibid. 2.
[3] Vide supra p. 160 et 291.
[4] Job. xxi, 7.

Hæc ut verisimile est et similia quærenti Idithum, modo David, modo Asaph, quasi magistri et medici, ad eam ipsi elevandam opinionem, doctrinæ verba tradebant. Quapropter in XXXVIII, eum ad talia dicenda instituebat : « Dixi, Custodiam vias meas, ut non delinquam in » lingua mea. Posui ori meo custodiam, cum consisteret » peccator adversum me : obmutui et humiliatus sum et » silui, » et cætera, quæ suis locis explicavimus. In LXI autem eumdem ipsum his verbis edocuit, « Nonne Deo » subjecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum. » Nam et ipse Deus meus et Salvator meus, susceptor » meus non movebor amplius. Quousque irruitis in ho- » minem, interficitis universi vos? » Quorum etiam mentem pro collata nobis gratia exposuimus. Consequenter Asaph eidem viro hoc in psalmo disciplinam tradit, ut in tentationibus hujusce vitæ, atque in iis quæ ipse ex prophetiis ab se enuntiatis de impiorum insultu, deque populi Dei abjectione probe noverat, non turbaretur; sed in hujusmodi angustiis ad Deum, ceu ad salutarem portum, confugeret, ipsumque precibus sedulo compellaret, et ea diceret, quæ ipsi, quasi magister in præsenti psalmo offerebat. Qua suscepta ille disciplina, animæ suæ hanc medelam adhibebat, ad solatium suum his usus verbis : « Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad » Deum, et intendit mihi. » Eo, inquit, modo me composui, ut dignus attentione Dei essem, quare, « inten- » dit mihi. Talesque voces et clamores emisi, qui digni » auditu Dei essent. Quamobrem secundum Symmachum » dicitur, »Voce mea ad Deum, et clamante me ad Deum, « aures suas præbuit. » His docebatur Idithum ne putaret Deum procul esse clamantibus ad se. Nam si ad primam vocem ipse propitium sibi Deum factum esse sen-

serit, ipsa re docebatur divinum numen ubique adesse, et providentiæ oculos dignis semper prospicere.

Sed etiam « in die tribulationis meæ, » inquit, Deum « exquisivi manibus meis nocte contra eum, et non sum » deceptus [1]. » Quod multæ sint proborum calamitates, (nam vir non tentatus inglorius est) omnimode docent divinæ Scripturæ : quod autem in ærumnis degentes sibi ipsis superiores evaserint, experimentumque patientiæ suæ dederint, non confusi ita ut vertigine laborarent et turbarentur, ita docet ille, « in tribulatione dilatasti » mihi[2]; » divinus item Apostolus hæc tradit, « Tribula- » tionem patimur, sed non angustiamur; dejicimur, sed » non perimus; persecutionem patimur, sed non dere- » linquimur [3]. » Sic igitur hic ait : « In die tribulationis » meæ Deum exquisivi. » Non enim ad tribulationem inferentes non ad tumidos illos respiciebam; sed oculo mentis meæ ad Deum « tribulationis » tempore converso, ipsum exquirebam. Manibus vero meis quærebam eum institutus ad levandas sanctas manus secundum effatum illud : « Volo autem viros orare, levantes sanctas » manus [4]. » Idque non die solum, sed etiam nocte manus meas contra eum erigebam; ita ut tam oratione quam vocibus emissis illum exquirerem. Quapropter hæc agens « non sum deceptus : » nam perquisitus ille inventus a me fuit, « et intendit mihi, » auresque mihi præbuit. Pro illo autem, « Manibus meis nocte contra eum, et » non sum deceptus, » Symmachus hoc modo interpretatus est, « Manus mea nocte extensa erat assidue. » Hanc itaque maximam et solam nactus sum consolationem. Seu alio modo, afflictionis meæ tempore neminem ex hominibus admittebam qui vellet me consolari, ac mederi dolori meo. Quare subdit : « Renuit consolari ani-

[1] Psal. LXXVI, 3. — [2] Psal. IV, 2. — [3] 2 Cor. IV, 8. — [4] 1 Tim. II, 8.

» ma mea [1]; » sive secundum Symmachum, « Non persuadebatur consolationem admittere anima mea : » sed hominibus quidem consolari et hortari volentibus non obtemperabam; verum « memor fui Dei et delectatus sum : » nam Dei memoria ad lætitiam mihi satis erat; quin etiam ait, « exercitatus sum, et defecit spiritus meus; » pro quo Symmachus interpretatus est, « Loquebar in meipso et animo deficiebam. » Quoniam, inquit, loquebar mihi ipsi, animo deficiebam, et cum exercitarer apud meipsum, tunc deficiebat spiritus meus; cum vero Dei recordarer, lætitia replebar; sed etiam cum eum manibus meis noctu exquirerem, non aberrabam; nam ipsum ceu vicinum, præsentem mihi, et voci meæ propitium deprehendebam.

« Anticipaverunt vigilias oculi mei, turbatus sum et » non sum locutus [1]. » Cogitationes quæ mihi afflictionem pariebant tales erant. Quia enim abjectionem populi, quam memorati prophetici sermones vaticinati sunt, prospiciebam, jure turbabar, mecumque reputabam, num ipsorum calamitas sine remedio futura sit. Nam quod tempore quodam abjiciendi, et quod in finem idipsum passuri essent, id sane credebam obtemperans prophetiæ dicenti : « Ut quid Deus repulisti in finem, » iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ [3]? » ac in meipso dubius hærebam, isthæc revolvens, « Numquid » in æternum proficiet Dominus, aut non apponet ut » complaceat adhuc [4]? » et cætera. Hæc cogitans turbabar; sed in memoriam reputebam dies antiquos, et annos æternos ex veteri Scriptura mecum reputabam, quoties videlicet cum ipsos peccati causa abjecisset, reduxit tamen; et cum impie agentes hostibus tradidisset, iterum recepit. Cur ergo cum olim post gravia scelera re-

[1] Psal. LXXVI, 4. — [2] Ibid. 5. — [3] Psal. LXXIII, 1. — [4] Psal. LXXVI, 6.

vocaret eos, neque repelleret in finem nec abscinderet misericordiam suam, nihil tale jam faciet, et humanitatis pristinæ misericordiæque obliviscetur, qui patiens et multæ misericordiæ, et miserationum amans est? Hæc nocte mecum reputabam, et scopebam spiritum meum, meas scilicet cogitationes examinans et explorans, discernensque spiritum, num quid ad dubiorum solutionem subjiceret. Pro illo autem, « Anticipaverunt vigilias oculi mei, » Symmachus, « Impediebant, » inquit, « sursum aspicere oculi mei. » In me namque tot cogitationes colligens occludebam oculos meos, ut ne in sensibilia impingens a proposito abduceret. Clausis itaque corporis oculis, in meipso dubius hærebam, non voce loquens, non alium compellans, sed ipse mecum cogitabam. Quare pro illo, « Turbatus sum, et non sum locutus, » et cæteris, apud Symmachum dicitur, « Dubitabam, et non locutus sum. Recogitabam dies pristinos, annos qui a sæculo sunt in memoriam revocabam. Sed psalmos meos noctu cum corde meo recitabam : et vir præsens erat spiritus meus[1].» Cum ita pervigil degerem, et noctes insomnes ducerem, ea sollicite volvebam animo, quæ superius dicta sunt : « Quasi in sylva lignorum securibus exciderunt januas ejus in idipsum, in securi et ascia diruperunt eam. In terra polluerunt tabernaculum nominis tui. Dixerunt in corde suo cognationes eorum simul, Quiescere faciamus dies festos Dei a terra. Signa nostra non vidimus, jam non est propheta, et nos non cognoscet amplius[2].» In his dubitabam, num mala hujusmodi perpessis remedium futurum sit. Verisimileque est Idithum, cum Asaphi prophetiam audisset, et talia secum reputaret, Prophetam quasi magistrum interrogasse, ac interrogantis

[1] Psal. LXXVI, 7. — [2] Psal. LXXIII, 1.

more hanc movisse quæstionem : Quid igitur, o Propheta? cum hæc prophetice dixeris, ediscere nosseque velim, « Numquid in æternum projiciet Dominus, et non apponet ut complaceat adhuc? aut in finem misericordiam suam abscindet a generatione in generationem? aut obliviscetur misereri Deus, aut continebit in ira misericordias suas [1]? » Ad tales propositiones Asaph doctrinam suam paravit, psalmum pro ipso Idithum conscribens, eumque ad talia dicenda instituens : « Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Deum, et intendit mihi [2] : » auctorque illi est, ut ne Dei consilia curiosius exploret, sed orationibus vacet, iisque solis intendat animum, pietati deditum et judicia Dei celebrantem. Nam « incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus. »

« Et dixi, Nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ Altissimi. » Pro illo autem sic Aquila dicit, Et dixi, Infirmitas mea : hæc mutatio dexteræ Altissimi[3]; » Symmachus vero, « Vulnus meum est iteratio dexteræ Altissimi; » Quinta autem editio : « et dixi, *inqnit*, dolores mei sunt mutatio dexteræ Altissimi. » Ad proposita jam dubia, hæc item, inquit, mecum reputabam, cogitationes scilicet illas queis jam dubius animi eram, aut infirmitatem, aut dolores, aut vulnera mea esse. Nam ex animæ infirmitate tales sermones protuli, nec non ex vulnere animæ : vulneratus nempe et dolore affectus sum quasi pro membris meis; verum etiam quasi dolore parturiens pro visceribus meis talia effatus sum. Hæc porro sum perpessus, quia vidi factam dexteræ Altissimi mutationem. Olim quippe dextera illa mirabilia multa operabatur, beneficia incredibilia populo conferens ;

[1] Psal. LXXVI, 8, 9, 10. — [2] Rom. XI, 331. — [3] Psal. LXXVI, 11.

nunc vero dexteræ excelsi mutatio facta est. Quamobrem dolores me detinebant, fateorque me animo vulneratum ex morbo et infirmitate cognitionis. Mutationem vero dexteræ Dei conspiciebam, recordatus illorum quondam operum ejus. Quapropter ait : « Memor fui operum Do-» mini, ab initio mirabilium tuorum : et meditabor in » omnibus operibus tuis, et in adinventionibus tuis exer-» cebor [1]. » Pro quibus Symmachus hoc modo interpretatus est : « Recordabar cogitationum Domini, animo » volvens antiqua prodigia tua. Et meditabar omnes ac-» tiones tuas, et machinamenta tua narrabam, » hæc memoria repetens. Deinde vero cum jam audiam, quomodo « repulisti in finem, et iratus est furor tuus super » oves pascuæ tuæ [2]; » jure opinatus sum esse mutationem dexteræ Altissimi. Hæc quippe signa sunt mutationis Dei, ac amotionis ejus ab illa, quam olim de populo gerebat, sollicitudine.

« Deus in sancto via ejus : quis Deus magnus sicut » Deus noster? tu es Deus qui facis mirabilia [3]. » Cum videam mutationem dexteræ Altissimi, et qualia operata sit; nam unius gentis loco, jam omnibus gentibus benefica est; non enim uni populo ut olim, sed omnibus gentibus et populis virtutem suam notam fecit, ideo stupens et mirabundus aio : « Deus in sancto via tua; » etenim viæ tuæ comprehensio humanam naturam exsuperat; ita ut hic apposite dicatur : « O altitudo divitiarum, » sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia » sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus [4]! » Non ultra ergo curiose inquirere, aut secreta explorare convenit : nam « quis novit sensum Domini, aut quis consi-» liarius ejus fuit [1]? » Idcirco dum hæc cogitat, obstu-

[1] Psal. LXXVI, 12, 13. — [2] Psal. LXXIII, 1. — [3] Psal. LXXVI, 14, 15. — [4] Rom. XI, 33. — [5] Isai. XL, 13.

pefactus de profunditate sapientiæ Dei ait : « Deus in » sancto via tua : quis Deus magnus sicut Deus noster? » tu es Deus qui facis mirabilia. » Quæ sint illa mirabilia sub hæc interpretatur dicens : « Notam fecisti in po» pulis virtutem tuam; » pro quo Symmachus edidit, « Notam fecisti in gentibus fortitudinem tuam[1]. » Nam quemadmodum olim « redemisti in brachio tuo populum » tuum, filios Jacob et Joseph[4], » quando liberos eos eduxisti ex terra Ægypti, ex domo servitutis; eodem quoque modo jam, cum facta est mutatio dexteræ Altissimi, notam fecisti in populis virtutem tuam, et in gentibus fortitudinem tuam.

« Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ, et ti» muerunt, et turbatæ sunt abyssi[2]. » Admodum consequenter postquam dixerat, « Notam fecisti in gentibus » fortitudinem tuam, » futura vaticinans, virtutem novi Testamenti prophetice declarat. Quare ait : « Viderunt » te aquæ Deus, viderunt te aquæ, et timuerunt. » Sicut enim in exitu olim filiorum Israël ex Ægypto, « mare vidit et fugit, Jordanis conversus est retror» sum[3]; eodem modo in adventu Emmanuelis, id est, » nobiscum Deus[4], » cum accessit ad Jordanem fluvium, aquæ videntes eum stupore perculsæ sunt. Quinetiam multitudo populorum in Ecclesiis Dei collecta, aquis consimilis secundum propheticum sermonem, « Vox » gentium multarum, similis aquis multis[5], » Deum inter homines peregrinantem mentis oculis videns, salutari timore correpta est, de quo dicitur, « Initium sa» pientiæ timor Dei[6]. » Quamdiu enim aquæ illæ cœcæ erant, Deum non videbant, nec timore ejus affectæ erant; nunc autem magnam utilitatem ex contemplatione et

[1] Psal. LXXVI, 16. — [2] Psal. LXXVI, 17. — [3] Psal. CXIII, 3. — [4] Psal. LXXVI, 18. — [5] Ezech. XLIII, 2. — [6] Psal. CX, 10.

cognitione Verbi apud se peregrinantis acceperunt. Rursumque secundum historiam, cum Servator Discipulos jussit ascendere in naviculam et transfretare, et quarta vigilia noctis venit ad eos ambulans supra mare, tunc etiam viderunt eum aquæ et timuerunt. Item quando increpavit ventos et mare, et facta est tranquillitas magna, turbatæ sunt abyssi, et multitudo sonitus aquarum. Hæc porro secundum prophetiam ad literam implebantur; secundum vero penitiorem mentem, aquæ, nempe Ecclesiastica multitudo omnibus ex gentibus collecta, initium sapientiæ effectæ sunt, utpote quæ divino timore affectæ fuerint, secundum illud, « Initium sapientiæ » timor Domini [1]. » Abyssi vero, quæ diversæ ab aquis erant, turbatæ sunt, ita ut sonitum ac tumultum facerent. Dixeris porro abyssos esse gentium incredularum ordines, quæ variis temporibus contra Ecclesiam insurgentes, persecutiones concitarunt. Sed primo quidem aquæ Deum timuerunt, postea memoratæ abyssi turbatæ sunt : præter illa vero tertius ordo superest, nempe nubium, quæ vocem dederunt. Quæ nubes illæ erant, nisi quibus præceptum fuerat ne pluerent super vineam illam pristinam; secundum illud, « Et nubibus mandabo ne » pluant super eam imbrem [2]; » videlicet super populum ex circumcisione? Nubes autem aquis plenæ, nec super vineam illam pristinam pluentes, quænam fuerint nisi Salvatoris Discipuli, Apostoli et Evangelistæ, qui per totum orbem cœlestem pluviam impertientes, vocem dederunt, ita ut in omnem terram exierit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum? Ideo dictum est : « Vocem dederunt nubes, etenim sagitæ tuæ transeunt [3]. » Quænam sagittæ, nisi salutares et electæ illæ, quæ animas salutem consecuturas vulnerant, queis se Christi

[1] Psal. cx, 10. — [2] Isai. v, 6. — [3] Psal. LXXVI, 19.

sponsa Ecclesia vulneratam fatetur his verbis, « Quia » vulnerata amore sum [1]? » Ipseque Salvator sagitta vocatur apud Prophetam dicentem, « Posuit me quasi sagit- » tam electam, et in pharetra sua abscondit me [2]. » Sed Patris quidem sagitta unigenitum ejus Verbum erat; Filii vero sagittæ erant Apostoli, necnon divina et ignita ejus eloquia. Quamobrem in psalmo de Dilecto dicitur : « Sa- » gittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent[3]. » Sic itaque in præsenti dictum est : « Etenim sagittæ tuæ transeunt. » Nam sagittæ Christi ubique prædicantes percurrebant; ideo « vocem dederunt nubes; » sed etiam, inquit, « Vox » tonitrui tui in rota. » Tonitruum hic Evangelicam prædicationem subindicat. Sicut enim vox tonitrui, cœlestis sonitus est, humanamque omnem virtutem exsuperat; sic et Evangelica prædicatio, cœlestis cum sit, non humana virtute prædita erat. Neque enim ex mortali voluntate prodibat, sed divina potestate totum implebat orbem. Idcirco Apostolos suos Servator Boanerges nuncupavit, quod significat, filios tonitrui. Hic itaque consequenter ad priora dictum est, « Vox tonitrui tui in » rota[4]. » Rotam dicit, totam vitam significans : nam in Ezechiele tota hominum vita rota in rota dicitur. Rota item est mundns qui sphærica forma est, atque in circulum movetur [2]. Hic autem rota est hominum vita, quæ indesinenti conversione movetur ; quæ causa est ut rota in rota dicta fuerit. Secundum Aquilam vero, « Vox to- » nitrui tui in rota; » secundum Symmachum, « Sonitus » tonitrui tui in rota; » secundum Theodotionem, « Vox » tonitrui tui in rota. » Et animadvertas velim secundum omnes interpretes, « rota, » dictum fuisse : quia Hebraïca lectio, « Bagelgel, » circumfert, id est, « in » rota; » sic autem in Ezechiele quoque vocatur. Huc

[1] Cant. II, 5. — [2] Isai. XLIX, 2. — [3] Psal. XLIV, 6. — [4] Ezech. I, 16.

cum deveneris, observes velim divinam Scripturam id quod circumpositum est pro rota habere. Quare mundum ad sphæræ similitudinem constitutum aiunt. Nam in Esdra Zorobabel victoriæ præmium a Rege reportavit, postquam dixerat : « Magnum est cœlum, et magnus sol, » quia vertitur in circuitu cœli, et revertitur in pro- » prium locum in uno die [1]. » Quæ secundum physicam considerationem dicta sint. Hæc porro, quæ tractamus, evangelici Dei adventus virtutem vaticinantur, ut videlicet ejus opera multitudo gentium Deum cognoverit, abyssi turbatæ fuerint, memoratæ nubes vocem dederint; sagittæ ejus transierint, utque vox tonitrui ejus fuerit in rota; ad hæc vero omnia, ut fulgura ejus in orbe apparuerint. Quæ fulgura ejus esse dixeris, nisi splendorem charismatum sancti Spiritus qui per totum orbem fulgurat? « Nam divisiones gratiarum sunt, idem vero Spiri- » tus. Et alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, » alii sermo scientiæ, alii fides [2], » et cætera. Quæ cum præstantia gratiæ Dei dona sint, ceu fulgura Ecclesiam ejus illustrant.

« In mari via tua et semitæ tuæ in aquis multis, et » vestigia tua non cognoscentur [3]. » Congruenter jam traditis, concussa et commota est terra. Pro illo enim, « et contremuit, » secundum omnes interpretes, « Et » commota est, » dicitur. Eo autem modo commota est terra, quo dicitur in Evangeliis ; « Et ingrediente Salva- » tore Jerosolymam, commota est omnis civitas dicens, » Quis est hic? » Sicut enim per locum, ipsi civitatis incolæ designantur; ita et hoc loco, ipsos terræ incolas commotos et concussos esse dicitur. Quare ex Evangelica prædicatione, in testimonium omnibus gentibus annuntiata, omnium aures commotæ sunt. Consequenter autem

[1] 3 Esdr. IV, 34. — [2] 1 Cor. XII, 4. — [3] Psal. LXXVI, 20.

concussa et commota est terra propter ea quæ prius tradita sunt. Nam si illuxerunt fulgura ejus orbi terræ, si vox tonitrui ejus insonuit in rota, si sagittæ ejus in omnes transierunt, si nubes dederunt vocem suam, ex his omnibus sequitur concussam et commotam fuisse terram. Quomodo autem in mari via ejus fuerit, et semitæ ejus in aquis multis, ac quomodo vestigia ejus non cognoscantur, ex ipsius ad Discipulos promissione intelligas, quæ sic habet : « Euntes docete omnes gentes in nomine » meo; » et, « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus us» que ad consummationem sæculi [1]. » Nam ubique terrarum Discipulis suis invisibiliter præsens, in mari vitæ, et in multis gentium aquis ambulabat, idque occulta et invisibili virtute peragebat ; quare dicitur, « Et vestigia » tua non cognoscentur[2]. » Hæc itaque in salutari Dei adventu implebantur. Hæc autem, inquit, in salutari ejus ad homines adventu per mutationem dexteræ Altissimi sic impleta sunt, quemadmodum olim in priore populo, quando eductis illis ex terra Ægypti per mare transitum munivit ; tunc enim commonstrata virtute sua, viam et semitas in aquis multis paravit, ita ut præeuntem ipsum totus Israël in transitu maris sequeretur, incessusque ejus ignotus incomprehensibilisque hominibus esset, quando deduxit « sicut aves populum suum in » manu Moysi et Aaron [3]. » Alius hæc omnia ad exitum ex Ægypto referet, dicetque hæc verba, « Viderunt te » aquæ Deus, viderunt te aquæ, et timuerunt, turbatæ » sunt abyssi, multitudo sonitus aquarum, » tunc impleta fuisse, totamque clausulam ad illam historiam reducet; ego vero cum nusquam deprehendam ea quæ sequuntur ad literam gesta fuisse; Moysis quippe lex non meminit, nubes quasdam illo tempore corporeo more

1 Matth. XXVIII, 19. — 2 Ibid. 20. — 3 Psal. LXXVI. 21.

vocem dedisse, neque sensiles sagittas transiisse, neque per totum orbem fulgura ejus illuxisse, quo tempore illi in deserto erant, eam, quæ mihi tum succurebat, ad singula loca interpretationem addidi. Quam vero ex his interpretationem amplecti debeat, ex proprio judicio lector intelliget.

Intellectus Asaph. LXXVII[1].

« Attendite, popule meus, legem meam : inclinate » aurem vestram in verba oris mei. » Cum ad dictorum intelligentiam nos sermo provocet, « Intellectus » in titulo fertur; eo quippe indigemus ad ejus sententiam investigandam. Et primo quidem opportune quæratur, quæ persona hæc initio dicat, « Attendite, popule meus » legem meam : inclinate aurem vestram in verba oris » mei. » Non enim Davidi vel Asapho hæc dicere conveniat : illi quippe legislatores non fuere, neque illud, « Aurem vestram in verba oris mei, » vel Davidem vel Asaphum dicere par erat ; neque enim propria verba proferebant, sed divini Spiritus voluntati ministrabant. Ideo « intellectus » inscribitur, ut intelligamus quis hæc dicat, quis populus ejus, quæ lex; nam videtur alia a lege Moysis esse. Hæc porro solvit Evangelium, cum ait : « Hæc omnia locutus est Jesus in parabolis ad turbas, et » sine parabola non loquebatur eis; ut impleretur quod » dictum erat per Prophetam dicentem, Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita a constituti» one[2]. » Per quem Prophetam hæc dicta sunt, nisi per

[1] Psal. LXXVII, 1. — [2] Matth. XIII, 35.

hunc Asaphum? Quod non intelligentes quidam adjecerunt Evangelio, « Per Hesaïam Prophetam : » sed in accuratis exemplaribus, sine additamento illo, « per » Hesaïam, » ita simpliciter dicitur, « Ut impleretur » quod dictum erat per Prophetam dicentem, Aperiam » in parabolis os meum, eructabo abscondita a constitu- » tione, » quæ hic habentur, non autem in prophetia Hesaïæ. Ex Evangelico igitur testimonio Servator et non alius fuerit, qui ex propria persona in præsenti dicit, « Attendite popule meus legem meam. » Ut autem intelligamus ipsam esse, inscriptionem « Intellectus, » posuit; ita ut neque psalmus, neque canticum, neque quid simile hæc existimentur esse; sed Christi ad populum suum, sive ad Ecclesiam suam doctrinam, qua de Judaïci populi sceleribus verba facit. Populum porro ejus alium esse ab eo qui in sequentibus accusatur intelliges, si Zachariæ prophetiam his conferas, quæ sic habet : « Gaude multum filia Sion, prædica filia Jerusalem. Ecce » ego venio, et habitabo in medio tui, dicit Dominus. » Et confugient gentes multæ ad Dominum, et erunt » mihi in populum, et ego ero eis in Deum. Et cognoscetis » quia Dominus omnipotens misit me ad vos [1]. » Hic consideres velim Dominum se ab illo Domino omnipotente missum testificari, ac se sibi ex omnibus gentibus collecturum esse populum promittere. Hoc ipsum itaque Dei Verbum populum ex gentibus sic alloquebatur : « Attendite popule meus legem meam. » Legem vero suam Evangelium esse docet, de quo Hesaïas sic vaticinabatur : « Nam ex Sion exibit lex, et verbum Domini de » Jerusalem, et judicabit inter gentes [2]. » Hoc Jeremias novum Testamentum vocavit dicens : « Ecce dies veni- » unt, dicit Dominus, et disponam testamentum novum,

[1] Zach. II, 10. — [2] Isai. II, 3.

» non secundum testamentum quod disposui patribus » eorum [1]. » Hesaïas iterum hæc de Servatore prænuntiabat : « Ecce puer meus quem elegi, electus meus : » suscepit eum anima mea. Judicium gentibus afferet. » Non contendet, et non clamabit, neque audietur foras » vox ejus. Calamum conquassatum non confringet, et » linum fumigans non extinguet, sed in veritatem feret » judicium : resplendebit et non frangetur, donec ponat » in terra judicium, et in nomine ejus gentes spera- » bunt[2], » Hebraïcum habet, « et in lege ejus, » et reliqui omnes interpretes ediderunt, videlicet, « in lege » ejus. » Hortatur itaque Christus populum suum ex gentibus, his verbis, ut attendant legi suæ. Ut attendant enim, non ut leviter audiant, exoptat, atque animo accurate perpendant intelligantque legem suam ; imo etiam inclinent aurem suam in verba oris ipsius, atque ipsi legi suæ ut attendant præcipit, quia doctrinam suam in parabolis tradebat. Quare subjungit : « Aperiam in para- » bola os meum, loquar propositiones ab initio[3].» Quod item docet sacrorum Evangeliorum Scriptura, qua dicitur : « Hæc omnia locutus est Jesus in parabolis ad tur- » bas, et sine parabola non loquebatur eis ; ut impleretur » quod dictum erat per prophetam dicentem, Aperiam » in parabolis os meum, eructabo abscondita a constitu- » tione[3]. » Pro illo enim, « Loquar propositiones ab ini- » tio, » Matthæus Hebræus cum esset, propria interpretatione usus dixit : « Eructabo abscondita a constitu- » tione[4].» Cujus loco Aquila, « Pluam ænigmata ex initio, » edidit ; Symmachus vero, « Scaturire faciam propositio- » nes antiquas. » Cum porro Verbum Dei prioris populi accusationes instituturum esset, causasque allaturum

[1] Hier. XXXI, 31. — [2] Isai. XLII, 1. — [3] Psal. LXXVII, 2. — [4] Matth. XIII, 35.

quare depulsi essent, necessario Ecclesiæ suæ præcipit ut dictis attendat, intelligatque allatas in comparationem prioris populi accusationes, ut ne similem in casum labatur; sed hujusmodi narratione edocta qualis illos finis exceperit, exemplo illo ad meliorem frugem revocetur. Cum dixisset, « Aperiam in parabola os meum, lo» quar propositiones ab initio, » prioris populi accusationes adjicit. Parabola quippe exempli loco utitur ad nostram institutionem. Secundum aliam vero explicandi rationem hic sermo ideo Judaïci populi facinora enumerat, quia superius dixerat, « Ut quid Deus repulisti » in finem, iratus est furor tuus super oves pascuæ » tuæ[1]? » Et similia quæ de illorum obsidione dicta sunt. Nam hic eorum causas aperit. Et quia in præcedenti psalmo dictum est, « Numquid in æternum projiciet Do» minus, et non apponet ut complaceat adhuc? aut in » finem misericordiam suam abscindet, a generatione in » generationem? aut obliviscetur misereri Deus, aut con» tinebit in ira sua misericordias suas? » jure post hæc proposita dubia, causas recenset cur Judaïcam gentem ira in finem invaserit. Ipseque Servator in Evangeliis similibus eos dictis alloquebatur: « Quoties volui congre» gare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pul» los suos sub alas, et noluistis? Ecce relinquetur vobis » domus vestra deserta[2]. »

« Quanta audivimus et cognovimus ea, et patres nostri » narraverunt nobis[3]. » Priora quidem ex unius persona dicebantur, quænam vero ea esset, ex iisdem dictis demonstratum est. Alia vero jam assumit a deitate sese demittens, et humaniore loquens more, quasi ex persona hominis, quem assumpsit ex semine David secundum

[1] Psal. LXXIII, 1. — [2] Matth. XXIII, 37. — [3] Psal. LXXVII, 1.

carnem : cujus generationem narrat Evangelium his verbis : « Liber generationis Jesu Christi filii David, filii » Abraham[1]. » Quamobrem assumptis secum Discipulis et Apostolis, qui secundum carnem ejusdem cujus ipse generis erant, pluraliter hæc edisserit dicens : « Quanta « audivimus et cognovimus ea. » Siquidem cum populum suum advocaret, ac propriam ipsi legem proponeret, invitaretque ut inclinarent aurem ad verba sua, auctoritate regia ex unius persona admonitionem proferebat; nunc vero cum antiquarum lectionum narrationem compendio refert, sermonem quasi in communi enuntiat, illa olim gesta commemorans, et quæ in historia Scripturæ feruntur ceu omnibus nota resumens. Quare ait : « Quanta audivimus et cognovimus ea. » Non omnium porro est audire et cognoscere, sed eorum tantum qui sermonem intelligunt. Idcirco dicebat Enucho Philippus : « Putasne intelligis quæ legis[2] ? » sed non omnibus narravere Patres. Nos itaque qui ex gentibus ad divinum verbum accessimus, patres nostros secundum carnem divinarum nobis disciplinarum magistros ascicere non possumus; verum Servator cum ex sua tum ex Apostolorum, Discipulorum et Evangelistarum suorum, qui iisdem quibus ipse patribus secundum carnem progeniti sunt, persona, has profert voces : « Quanta audivimus » et cognovimus ea, et patres nostri narraverunt vobis ? » Hæc enim ipsi a patribus accepta nobis ex gentium semine ortis, ut ignaris, annuntiabunt, docebuntque ea quæ antiquis illis contigerunt, quæ a patribus per successionem filiis tradita, et rursum quæ ab hisce ad posteros transmissa, ex hisque iterum ad filios filiorum memoriæ mandata sunt. Quapropter dicitur : « Non sunt occultata

[1] Matth. I, 1. — [2] Act. VIII, 30.

» a filiis eorum in generatione altera. Narrantes laudes » Domini et virtutes ejus, et mirabilia ejus quæ fecit[1]. » Multa quidem nobis a patribus tradita sunt, de benificiis a Deo sibi collatis; unum autem omnium maxime necessarium est testimonium, lexque in testimonio posita, quam ipsis scripto tradidit, præcipiens ut mediterantur ipsam, et ejus meditationem filiis, nepotibus et posteris per successionem traderent. Quamobrem ait: « Et suscitavit testimonium in Jacob, et legem posuit in Israël[2]. » Testimonium vocabatur Tabernaculum testimonii, in quo deposita erat arca Testamenti, lex in arca posita, necnon Cherubim et propitiatorium, candelabrum, mensa, et propositio panum: quæ jussus facere Moyses, secundum exemplar quod ipsi in monte ostensum fuerat construxit. Sed olim quidem lex illa et testimonium illud Jacobo et Israëli tradita fuerant. Quoniam vero iis acceptis illi transgressi sunt, jure ipse cum alium sibi parasset populum, aliudque testimonium, videlicet corpus Christi, quod Dei Verbi in ipso habitantis templum erat, ut ipse ait, « Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo » illud[3]; » adhæc etiam populo suo legem aliam, Evangelicam videlicet, tradit. Ideo in principio hujus psalmi ait: « Attendite popule meus legem meam; » cæterum legem antiquam et veterem testificationem; nam sic interpretatus Symmachus est dicens, « Et statuit testifica» tionem Jacob, » cum priore populo disposuit, præcipiens ipsis ut nota facerent ea filiis et nepotibus suis, ut generatio nulla ignoraret, sed legis doctrina in posteris quoque maneret, idcirco dictum est, « Ut cognoscat ge» neratio altera, filii qui nascentur, et exsurgent, et » narrabunt ea filiis suis[4]. » Complementum autem et scopus meditationis legis hic erat, « ut ponant in Deo

[1] Psal. LXXVII, 4. — [2] Ibid. 5. — [3] Ibid. 6.

» spem, et non obliviscantur operum Dei, et mandata » ejus exquirant; ut non fiant sicut patres eorum, ge» neratio prava et exasperans : generatio quæ non direxit » cor suum, et non fidelis fuit cum Deo spiritus ejus[1]. » Quæ illa prior patrum generatio, nisi ea quæ tempore Moysis erat ? propter quam Moyses acceptas legis tabulas contrivit; sic enim Moyses illos generationem pravam et perversam vocabat, hæc in illos pronuntians : « Filii vi» tuperabiles, generatio prava et perversa, hæccine Do» mino redditis ? siccine populus stultus et non sapiens[2] ? » Sed ut eorum nepotes patribus similes non evaderent, scriptam ipsis legem tradidit, et testificationem, qua patres quidem incusavit, præcepit autem et testificatus filiis est, ut ne patribus similes essent, neque priori illi generationi, « quæ non direxit cor suum, et non fidelis » fuit cum Deo spiritus ejus. » Neque enim pravæ naturæ erat, neque malæ constitutionis ; sed ex voluntate Deo obsequentiam detrectans, exacerbavit eum atque ex perversione tortuosa effecta est. Quamobrem secundum Symmachum dictum est, « Generatio invita corde, » et infirma erga Deum spiritu suo.»

« Filii Ephraïm intendentes et emittentes arcubus, » versi sunt in die belli[3]. » Bonus quidem et clemens Dominus primis Judaïcæ gentis atavis per Moysem inenarrabilia opera edidit ; ipsi vero dura cervice fuerunt, et revera populus stultus et non sapiens, et generatio tortuosa et perversa. Sed cum priores illos tales fuisse comprobatum fuerit, posteris eorum legem tradidit, præcepta dans illis, et testificatus quænam agenda, a quibus abstinendum esset : cohortans quoque ne patres neque generationem illam tortuosam et exasperantem imitarentur, « quæ non direxit cor suum, et non fidelis fuit cum

[1] Psal. LXXVII, 7, 8. — [2] Deut. XXXII, 6. — [3] Psal. LXXVII, 6.

» Deo spiritus ejus. » Illi vero patribus deteriores, ab sibi tradita legis Scriptura utilitatis nihil perceperunt, sed in profundum malorum lapsi sunt. Horum primi erant filii Ephraïm, qui præcellenti honore donati, quod tribus et sors eorum toti genti præhabita fuerit, et arcam Dei tabernaculumque testimonii ab Moyse in deserto constructum ipsi primi acceperint; nam locus ille in Silo, ubi tabernaculum et sanctificatio (antequam in Jerusalem esset) degebat, tribus Ephraïm erat. Verum cum ipsi primi tanto honore dignati essent, idololatræ effecti sunt. Ac cuique licet historiam rerum ab illis gestarum ex libro Judicum colligere. Ipsos autem præsens psalmus in sequentibus quoque coarguit dicens : « Repulit tabernacu» lum Joseph, et tribum Ephraïm non elegit; » et rursum, « Et repulit tabernaculum Silo, tabernaculum suum ubi habitavit in hominibus; » causamque profert his verbis, « Conversi sunt in arcum pravum. Et irritaverunt » eum in collibus suis, et in sculptilibus suis ad æmula» tionem provocaverunt. » Jure ergo in præsentibus dictum est, « Filii Ephraïm intendentes et mittentes arcum, » versi sunt in die belli. » Quo pacto autem conversi fuerint clarius ostendit dicens, « Et facti sunt in arcum » pravum. » Nam cum oportuisset tela immittere et bellum inferre inimicis Dei, idololatræ illi præoptarunt bellum movere Deo. Quare subdit : « Non custodierunt tes» tamentum Dei, et in lege ejus noluerunt ambulare [1]. » Per filios porro Ephraïm reliquos omnes totius gentis populos metaphorice significat, imo etiam quoslibet moribus similes, etiamsi non ex eadem tribu fuerint. Nam qui in sequentibus temporibus se abs Jerusalem segregarunt, et in Samaria idola coluerunt, filii Ephraïm erant. Merito ergo cum totius gentis transgressores filios Abra-

1 Psal. LXXVII, 10.

ham vocasset, confertim omnes incusat dicens, « Et obliti » sunt benefactorum ejus, et mirabilium ejus quæ osten- » dit eis. Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra » Ægypti, in campo Taneos[1]. » Nam omnium eorum obliti quæ patribus suis ostensa sunt, arma tulerunt contra Deum, cum nollent in lege ejus ambulare; etiamsi penes ipsos esset ut possent et vellent. Illi vero etsi hac potestate instructi, recto proposito uti noluerunt; sed Deo terga dantes in illorum olim mirabilium ejus oblivionem venerunt. Qualium autem mirabilium, nisi eorum quæ olim in Ægypto gesta sunt, neque in tota Ægypto, sed in campo Taneos? Quod tamen Moyses in Scriptura sua non declaravit; sed Asaph qui Propheta erat in præsenti docet, admiranda illa in Ægypto gesta, a Moyse in campo Taneos edita fuisse. Rursum enim in sequentibus ait : « Sicut posuit in Ægypto signa sua, et prodigia sua » in campo Taneos. » Cur in campo Taneos? quia in hoc maxime dæmoniaca vis obtinebat; tunc multa poterant dæmones in campo Taneos constituti. Id vero Hesaïas Propheta declarat in visione Ægypti dicens : « Et stulti » erunt principes Taneos, sapientes consiliarii Regis, » consilium eorum stultum fiet. Quomodo dicetis Regi, » Filii sapientium nos sumus, filii regum qui a principio » fuerunt? Ubi sunt Sapientes tui, et annuntient tibi, et » dicant tibi, quid consilii Dominus ceperit super Æ- » gyptum? Defecerunt principes Taneos, et perierunt » principes Mempheos[2]. » Dæmones autem maligni erant, ut veri simile est, qui per oracula et divinationes, quamdam sapientiæ speciem profitebantur, et ob illam eorum qui in diversis Ægypti locis principes erant consiliarii effecti sunt. Num forte qui præstigiis Ægyptiacis operam dabant, et ii qui veneficiis suis Moysi obstiterunt,

[1] Psal. LXXVII, 11, 12. — [2] Isai. XIX, 11.

principes Taneos et sapientes consiliarii Regis erant? Quamobrem jure quæ per Moysem in Ægypto facta sunt, in campo Taneos edita esse hic edocemur.

« Interrupit mare et perduxit eos, et statuit aquas » quasi utrem[1]. » Quæ in Ægypto facta sunt, uno verbo complexus dixit, « Quæ fecit mirabilia in terra Ægypti, » et adjicit ea quæ non noveramus, « in campo Taneos. » Quænam illa mirabilia essent Moysis, Scriptura fusius enarrat. Sed præsens psalmus ea paucioribus infra recenset dicens : « Convertit in sanguinem flumina eorum, et im- » bres eorum ne biberent. Misit in eos cœnomyiam et » comedit eos, » et cætera. Hæc itaque contra Ægyptios in campo Taneos contigerunt, quæ transcurrens in præsenti, beneficia in populum præmittit; ut scilicet aquis plures in partes divisis, mare pertransierit, quod his verbis declaratur : « Qui divisit mare Rubrum in divisiones, » et eduxit Israël per medium ejus[2]. » Aiunt itaque Hebræi in duodecim sectiones divisum fuisse mare secundum numerum duodecim populi tribuum, ita ut singulæ tribus separatim in assignato sibi meatu pertransirent. Cum porro aquæ intermedio spatio sejunctæ essent, et arida terra in medio haberetur, consequens erat aquas in cumulum evectas contineri, in aëre tumidas elevari et attolli, in ipsoque aëre quasi in utre concludi ; quapropter dicitur, « Et statuit aquas quasi utrem[3]. » Post tantum miraculum « deduxit eos, » inquit, « in nube diei, » adumbrante, atque tegumentum præbente nube, ut ne solis æstu laborarent. Ut porro nube diei tegebantur, sic congruenter columna ignis ipsis noctu præibat claram diem efficiens : quare dicitur, « Et tota nocte in illuminatione » ignis. » Ad hæc dicitur : « Interrupit petram in eremo, » et potavit eos velut in abysso multa[4]. » Observes por-

[1] Psal. LXXVII, 13. — [2] Psal CXXXV, 13. — [3] Psal. LXXVII, 14. — [4] Ibid. 15

ro velim hic etiam copiam aquarum abyssum vocari. Pro illo autem, « interrupit petram, » Aquila, « Divisit » petras in eremo, » edidit, Hebraïcæ videlicet litteræ serviens, qua declaratur non unam, sed plures petras ipsis aquas emisisse. Unde divinus Apostolus hæc annotat : « Bibebant autem ex spirituali consequente eos petra : » petra autem erat Christus[1]. » Quasi scilicet eos ubique petra sequeretur, ac in stationibus, in mansionibus in omnique loco præsens adesset. Illud quoque in Moysis Scriptura observare licet : nam in Exodo dicitur : « Et » castrametati sunt in Raphidin, et non erat populo aqua » ad bibendum. Et jurgatus est populus cum Moyse[2]; » ac deinde, « Dixit Dominus ad Moysem, Antecede popu» lum et sume tecum ex senioribus populi, et virgam » qua percussisti mare, et vades. En ego steti ante te ibi » supra petram in Choreb : et percutiam petram et exi» bit ex ea aqua, et bibet populus. Fecitque Moyses » ita[3]. » Hæc in Exodo : in Numeris autem dicitur : « Veneruntque filii Israël omnis multitudo in desertum » Sin, et non erat aqua multitudini, et convenerunt ad » Moysem et Aaron : et jurgatus est populus contra » Moysem[4]. » ac deinde, « Locutus est Dominus ad » Moysem dicens : Tolle virgam, et congrega multitudi» nem, tu et Aaron frater tuus, et loquemini ad petram » coram eis, et dabit aquas suas. Et efferetur ipsis aqua » de petra, et potabitis multitudinem et jumenta eo» rum[5]. » Jure ergo quia variis in locis visa est petra aquam subministrare, de priore quidem in præsenti dicitur : « Interrupit petram in eremo, et adaquavit eos » velut in abysso multa; » de alia vero deinde subjungit, « Et deduxit aquam de petra, et deduxit tamquam flu-

[1] Cor. x, 4. — [2] Exod. XVII, 1. — [3] Ibid. 5. — [4] Num. XX, 1. — [5] Ibid. 10. — [6] Psal. LXXVII, 16.

» mina aquas[1]. » Verumtamen cum tot illis subministrata bona fuissent, nihilominus apposuerunt peccare; peccare autem non sibi, sed ipsi[2]. » In ipsum enim Deum peccatum eorum vertebat, dum per contradictionem in ipsum impie agerent. Quare subjicit : « Exacer- » baverunt Excelsum in inaquoso ; » sive secundum Aquilam, « Ut rebellarent contra Excelsum in invio; » sive secundum Symmachum, « Ut contenderent cum » Excelso in siti in invio.» Quare autem exacerbaverunt excelsum in inaquoso docuit Moyses : postquam enim suppeditasset eis aquam de petra, hæc narrat; « Et vocavit » nomen loci illius, Tentatio et jurgium, propter jur- » gium filiorum Israël, et quia tentaverant Dominum » dicentes, An est Deus in nobis, necne[3]?

« Et tentaverunt Deum in cordibus suis, ut peterent » escam animabus suis. Et male locuti sunt de Deo[4]? » Quomodo male locuti sint de Deo, narrat Moyses dicens : « Et murmuravit omnis congregatio filiorum Israël con- » tra Moysen et Aaron, et dixerunt ad eos : Utinam » mortui essemus percussi a Domino in terra Ægypti, » quando sedebamus super lebetes, et comedebamus pa- » nes ad saturitatem. Quia eduxisti nos, ut occideretis » totam hanc multitudinem fame[5]. » Postea vero ait Moyses ad populum : « Nos vero quid sumus? non enim » contra nos murmur vestrum est, sed contra Deum. Ac- » cedite coram Deo : audivit enim murmur vestrum[6]. » Posthæc autem, « Locutus est Dominus ad Moysen di-
2 cens, Ego audivi murmur filiorum Israël, » etc. Hæc igitur memorat sermo præsens his verbis : « Et tentave- » runt Deum in cordibus suis, ut peterent escam anima- » bus suis. Et male locuti sunt de Deo, et dixerunt,

[1] Psal. LXXVII, 17. — [2] Exod. XVII, 7. — [3] Psal. LXXVII, 18, 19. — [4] Exod. XVI, 2. — [5] Ibid. 8. — [6] Ibid. 12.

» Numquid poterit Deus parare mensam in deserto? » Quoniam percussit petram et fluxerunt aquæ, et tor» rentes inundaverunt; numquid et panem poterit dare, » aut parare mensam populo suo[1]? » Hæc quidem in historia non feruntur; sed hic observatur eos isthæc cogitasse. « Tentaverunt, » inquit, « Deum in cordibus » suis, » et, « male locuti sunt de Deo. » Quomodo male locuti sunt, nisi hæc cogitando, etsi id minime labiis protulerint, sed mente revolverint, quæ ille cordium cognitor bene novit audivitque? Quamobrem dicitur : « Audivit Dominus et distulit[2]. » Pro quo Aquila, « Et » non supersedit, » interpretatus est, id est, non distulit; Symmachus vero, « Et iratus est. » Deinde ait, « Et ignis accensus est in Jacob, et ira ascendit in Israël. » Apud Moysem quoque scribitur; « Et erat populus murmurans » contra Dominum, et audivit Dominus et iratus est : et » incensus est in eis ignis a Domino, et devoravit partem » castrorum. Et clamavit populus ad Moysen : et preca» tus est Moyses Dominum, et cessavit ignis. Et voca» tum est nomen loci illius, incendium, quia exarsit in » eis ignis a Domino[3]. » Quapropter in præsenti psalmo dictum est : « Et accensus est ignis in Jacob, et ira as» cendit in Israël, quia non crediderunt in Deo, nec spe» raverunt in salutari ejus. » Et mandavit nubibus de» super, et januas cœli aperuit. Et pluit illis manna ad » manducandum, et panem cœli dedit eis. Panem An» gelorum manducavit homo[4]. » Illud autem, « Manda» vit nubibus desuper, » subindicare videtur mihi, mandatum Angelicis virtutibus, quæ ad prodigia edenda tunc ministrabant, traditum esse, et ab illis populo manna suppeditatum fuisse. Hinc item edocemur Angelicas

[1] Psal. LXXVII, 20. — [2] Ibid. 21. — [3] Num. XI, 1. — [4] Psal. LXXVII, 22, 23, 24, 25.

virtutes forte nubes vocatas fuisse, quemadmodum et in propheta qui ait : « Et nubibus mandabo ne pluant su- » per eam imbrem[1]. » ita ut Angeli nubes esse intelligantur, perinde atque in hoc loco : ac par erat a malignis virtutibus plagas Ægyptiis infligi, ut his enuntiatur : « Misit in eos iram et furorem et tribulationem, et im- » missionem per Angelos malos ; » contra vero quæ meliora erant per faustos probosque Angelos præstari. Quare dicitur, « Et mandavit nubibus desuper, et januas » cœli aperuit. » Januas cœli apertas cœlestia opera esse existimato. Omnia quippe quæ mirabili modo a Deo perpetrabantur divina et cœlestia erant, quæ cum non fierent, hominibus claudebantur; cum autem stupenda ratione edita sunt, sic ceu quasdam cœlestes januas ipsis reserabat. Pro illo autem, « Panem Angelorum mandu- » cavit homo. » Aquila, « Panem potentium manduca- » vit vir, » interpretatus est; Symmachus vero, « Et fru- » mentum cœleste præbuit eis, panem magnorum man- » ducavit homo. » Notandum autem Hebraïcam vocem non habere illud, « panem Angelorum ; » sed sive secundum Aquilam, « panem potentium; » sive secundum Symmachum, « panem magnorum; » sive secundum Theodotionem, « panem potentium; » vel secundum Quintam editionem, « panem potentium. Angelorum » vero alius nemo interpretatus est : quia Hebraïcum exemplar non sic habet; ut ne quis arbitretur Angelicas etiam virtutes sensili uti alimento. In Evangeliis autem Servator et Dominus noster eos coarguit, qui putarent manna populo in solitudine subministratum, Angelorum esse cibum; quare dicit : « Amen, Amen dico vobis, non » Moyses dedit vobis panem de cœlo verum[2]; » ac rursum, « Patres vestri manducaverunt manna in deserto,

[1] Isai. v, 6. — [2] Joan. vi, 32.

» et mortui sunt. Hic est panis qui de cœlo descendit, » ut si quis ex ipso manducet, non moriatur[1]. » Si itaque, ait, cœlestis esset panis quo uti Angelos verisimile est, nequaquam mortui essent qui ex illo pane in deserto gustaverant; at quia nec cœlestis, nec vere panis Angelorum erat, ideo mortui sunt. Hic vero cœlestis panis est, cujus quisquis particeps fuerit, numquam morietur. Quis hic panis esset docet his verbis : « Panis autem Dei est qui » de cælo descendit, qui dat vitam mundo[2]. » Id item declarat dicens : « Ego sum panis vitæ : qui venit ad me » non esuriet, et qui credit in me non sitiet umquam[3]; » ac rursum, « Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi. » Si quis manducaverit ex pane meo, vivet in æter- » num[4]. » Itaque Angelicæ quoque virtutes ex participatione Verbi vita fruuntur æterna. Nam solum unigenitum Dei Verbum rationabilis omnis substantiæ alimentum est. Quamobrem apposite Hebraïca lectio in præsenti non habet illud, « Panem Angelorum manducavit homo. »

« Cibaria misit eis ad saturitatem. Transtulit austrum » de cœlo, et induxit in virtute sua Africum. Et pluit » super eos si ut pulverem carnes, et sicut arenam ma- » rium volatilia pennata : et ceciderunt in medio cas- » trorum eorum, circa tabernacula eorum. Et mandu- » caverunt et saturati sunt nimis, et desiderium eorum » attulit eis, non sunt fraudati a desiderio suo. Adhuc » esca eorum erat in ore ipsorum et ira Dei ascendit su- » per eos : et occidit plures eorum, et electos Israël im- » pedivit[5]. » Quod non modo panem, sed etiam opsonium procuraverit eis, docet Moysis Scriptura, in Exodo quidem dicens : « Et dixerunt Moyses et Aaron ad to-

[1] Joan. VI, 49. — [2] Joan. VI, 38. — [3] Ibid. 35. — [4] Ibid. 51. — [5] Psal LXXVII, 26, 27, 28, 29, 30, 31.

» tum cœtum filiorum Israël, Vespere scietis quod Dominus eduxerit vos de terra Ægypti; mane autem videbitis gloriam Domini, quia audivit omne murmur vestrum. Dabit quippe vobis Dominus vespere carnes ad manducandum, et mane panes ad saturitatem [1]. » Postea vero subjungit : « Et factum est vespere, et ascendit coturnix, et operuit castra : mane vero ros jacuit in circuitu castrorum : et ecce in facie solitudinis, tenuis sicut pulvis, albus sicut pruina super terram [2]. » Sed quia postea in Numeris dictum est : « Vulgus quoque promiscuum, flagravit desiderio; et sedentes flebant filii Israël, et dixerunt, Quis dabit nobis carnes? Recordamur piscium quos comedebamus in Ægypto gratis, et cucumeres et pepones et porros et cepe. Nunc autem anima nostra perarida [3]. » Deinde subjicitur : « Et abiit Moyses in castra ipse et seniores Israël. Et spiritus egressus est a Domino, et emisit coturnicem a mari, et injecit in castra itinere unius diei in circuitu castrorum, quasi duobus cubitis super terram. Et surgens populus toto die illo et nocte, congregavit unusquisque quod sufficiebat : qui multum, non superabundavit, et qui parum non indiguit. Qui parum collegit decem coros. Et siccatæ sunt in vasis in circuitu castrorum, quæ aderant carnes, antequam deficerent. Et iratus est Dominus : et vocatum est nomen loci illius, Sepulcra concupiscentiæ, quia ibi sepelierunt populum qui concupiverat [4]. » Opportune igitur clausula, quam tractamus, hæc docet his verbis : « Cibaria misit eis ad saturitatem, » et cætera. Docet autem volatilia illa vento impulsa, in castra fuisse delata. Secundum Symmachum vero dicitur : « Qui tulit Eurum de cœlo, » et induxit in virtute sua Notum, quasi arenam ma-

1 Exod. XVI, 6. — 2 Exod. XVI, 13. — 3 Num. XI, 4. — 4 Ibid. 30.

» rium volatilia pennata. Et injecit intus in castra eo- » rum, in circuitu tabernaculorum. Et manducantes sa- » turati sunt valde : et concupiscentiam eorum attulit » eis, non abstiterunt a concupiscentia sua. Cum adhuc » esca eorum esset in dentibus eorum, ira igitur Dei in- » vasit illos, et occidit pinguiores eorum, et juniores Is- » raëlis prostravit. » Hæc porro jure passi sunt. Nam ille quidem ad potentiæ suæ indicium mirabiliter illa suppeditavit; ipsi vero insaturabili carnium comestione usi, intestinorum morbo perierunt ; ingenti miraculo non animum adhibentes, nec gloriam tanti prodigii auctori referentes, sed toti carnibus dediti, suam sibi perniciem procurarunt.

« In omnibus his peccaverunt adhuc, et non credide- » runt in mirabilibus ejus. Et defecerunt in vanitate » dies eorum, et anni eorum cum festinatione[1]. » Cum sermo in arguenda et incusanda Judæorum improbitate totus sit, eorum scelera enumerat, declaratque non sine causa ipsos iram Dei invasisse. Ac docet eos post prædicta illa omnia, mala augentes sua, adhuc peccasse : peccasse scilicet quia non crediderunt mirabilia ejus : cum talia namque ipsis oculis viderent, a concupiscentia sua superabantur. Deinde, « Et defecerunt in vanitate dies eo- » rum. » Cum oportuisset enim illos, spectatores nempe prodigiorum Dei, totos sese ipsi committere, illi contra brutorum instar corporis vanitati animum habebant, cum stultitia et insipientia conquerentes, nihilque ex bonis sibi subministratis ad Dei cognitionem et animæ salutem conferentes. Sic itaque « defecerunt in vanitate » dies eorum; » neque in tantum, sed etiam « anni eo- » rum cum festinatione » defecerunt : nam illud, « defe- » cerunt, » in communi pro utroque accipiendum. Pro

[1] Psal. LXXII, 32, 33.

quo Aquila edidit : « Et consummavit quasi vaporem » dies eorum, et annos eorum festinare fecit. » Ejus quippe qui in vanitate dies suos transigit, anni festinanter decurrunt; ejus contra qui dies in luce et bonis operibus insumit, dies non deficiunt, sed pleni evadunt, et anni ejus perfecti et diuturni sunt. Quamobrem iis qui post tot patrata miracula in incredulitate consenuerunt, vitæ tempus vanum est et festinanter decurrit. A miraculis itaque illis, et a collatis sibi beneficiis nihil statim fructus percipiebant; sed per illatam sibi ultionem meliores evadebant. Quare deinde subdit : « Cum occideret eos » quærebant eum, et revertebantur et diluculo venie- » bant ad Deum[1]. » Verberati quippe et supplicio adfecti brutorum jumentorum instar ad verberantis sensum revocabantur, cum ex recta ratione ad meliorem se frugem non reciperent. « Quos sic alloquitur Scriptura : » Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intel- » lectus. In camo et fræno maxillas eorum constringe » qui non approximant ad te. Multa flagella peccato- » rum, sperantes autem in Domino misericordia cir- » cumdabit[2]. »

« Et dilexerunt eum in ore suo, et lingua sua mentiti » sunt ei. Cor autem eorum non erat rectum cum eo, » nec fideles habiti sunt in testamento ejus[3]. » Cum in gratiam miracula ederentur, non credebant; verberati autem et interfecti revertebantur ad Deum. Verum id non sincere præstabant, sed simulate tantum et labiorum tenus Dei laudes celebrabant, nec puro sane animo; ita ut illis hoc dictum conveniat : « Populus hic labiis me » honorat, cor autem eorum longe est a me. Frustra » autem colunt me[4]. » Et ipsi quidem ad tantam im-

[1] Psal. LXXVII, 34, 35.— [2] Psal. XXXI, 9.— [3] Psal. LXXVII, 36, 37.— [4] Matth xv, 8; Isai. XXIX, 13.

probitatem devenerunt ; ille vero boni patris instar, majore erga illos misericordia commotus, propitius erat peccatis eorum, neque tradebat eos in extremam perniciem ; imo vero dæmonem exterminatorem, et iræ suæ ministrum ultoremque angelum, qui furor ejus vocabatur, placato Patre suo, ab iisdem avertebat. Quare dictum est : « Ipse autem est misericors, et propitius » fiet peccatis eorum, et non disperdet. Et abundavit » ut avertat iram suam, et non accendet omnem iram » suam[1]. » Nam cum eos patienter ferret, nondum in finem illos repudiabat. Secundum Symmachum autem dicitur : «Ipse misericors, propitius peccato, et non dis» perdens. Et multum avertit iram suam, et non exci» tavit totum furorem suum. » Ad hæc aliam in eos accusationem instituit dicens : « Et recordatus est quia » caro sunt, Spiritus vadens et non rediens[2]. » Quia enim qui adhæret Domino, unus spiritus est, et, qui adhæret carni, unum corpus est, jure carnales et corporeos illos esse ob corporis et voluptatum amorem, et carnem esse factos ait. Ideo dicit : « Recordatus est quia » caro sunt[3]. » Quomodo autem caro sint, sub hæc explicat his verbis, « Spiritus vadens et non rediens. » Nam spiritus carnis terrenus, mortalis, et ruinæ obnoxius. Tales erant illi tempore diluvii de quibus dicitur : « Non permanebit spiritus meus in hominibus, quia » carnes sunt[4] ; » ita ut alius sit Spiritus divinus initio hominibus inditus, alius vero spiritus carnis. Nam spiritus carnis talis fuerit qualis ille qui in brutis est, spiritus scilicet vadens et non rediens. Ipsum vero proprio nomine « prudentiam carnis » vocat Apostolus, cum ait : « Nam prudentia carnis inimicitia est in Deum : » legi enim Dei non subjicitur, neque enim potest.

[1] Psal. LXXVII, 38. — [2] 1 Cor. VI, 17. — [3] Psal. LXXVII, 39. — [4] Gen. VI, 3.

» Prudentia vero spiritus, vita et pax[1]. » Sic porro qui incusantur caro facti sunt, quod corpus diligerent; ut justissime de illis dicatur : « Homo cum in honore es-» set, non intellexit, comparatus est jumentis insipien-» tibus, et similis factus est illis[2]. »

« Quoties exacerbaverunt eum in deserto, in iram » concitaverunt eum in terra inaquosa. Et conversi » sunt et tentaverunt Deum, et sanctum Israël exacer-» baverunt. Non sunt recordati manus ejus, diei qua » redemit eos de manu tribulantis. Sicut posuit in » Ægypto signa sua, et prodigia sua in campo Taneos. » Convertit in sanguinem flumina eorum, ut imbres eo-» rum ne biberent. Misit in eos cynomyiam et comedit » eos, et ranam et disperdidit eos. Et dedit ærugini » fructum eorum, et labores eorum locustæ. Et occidit » in grandine vineam eorum, et moros eorum in pruina. » Et tradidit grandini jumenta eorum, et possessionem » eorum igni[3]. » Post prædicta omnia exacerbantes, inquit, permanserunt, id est, Deum sibi acerbum constituentes, qui tamen mansuetus natura, bonus et dulcis est; sed ab iis qui supplicio digni sunt acerbus existimatur. Hi igitur qui in deserto irritaverunt eum, sibi iram attraxerunt. Rursumque vertebantur ut tentarent Deum, et sanctum Israël exacerbarent. Hæc porro omnia agebant quod mirabiles illas sibi olim exhibitas virtutes memoria non repeterent : quo tempore de manu Pharaonis se opprimentis redemit eos, et ab Ægyptiorum dominatu liberavit, variasque inimicis eorum inflixit plagas in campo Taneos, ubi primo contigit fluminis in sanguinem mutatio, quæ quidem Ægyptiis talis erat, non autem iis qui juvabantur. Quare imbres quoque


[1] Rom. VIII, 6. — [2] Psal. XLVIII, 13. — [3] Psal. LXXVII, 40, 41, 42, 43 44, 45, 46, 47, 48.

eorum, sive secundum Aquilam, « fluxus eorum; » sive secundum Symmachum, « alvei eorum, » in sanguinem vertebantur. Omnis quippe aquarum collectio, paria flumini passa est. At ii qui accusantur, nullam eorum memoriam retinebant, neque animo repetebant cynomyiæ plagam Ægyptiis immissam, non ranarum neque æruginis flagellum; sed neque qua ratione illorum gratia Ægyptii locustæ, grandini, pruinæ et igni traditi castigabantur. Horum experimentum cum opere cœpissent, immemores tamen omnium erant. Quare secundum Symmachum dictum est : « Non sunt recordati manus » ejus, diei qua liberavit eos de tribulante, ejus qui » fecit signa sua et prodigia sua in Ægypto, in campo » Taneos; qui immutavit in sanguinem flumina eorum, » et alveos eorum ut non biberent; qui misit ipsis cy- » nomyiam ad comedendum eos, et ranam ad disper- » dendum eos; qui dedit ærugini fructus eorum et labo- » res eorum locustæ; qui occidit in grandine vineam » eorum, et sycomoros eorum in verme; qui tradidit » pesti jumenta eorum, et possessiones eorum avibus. » Pro illo autem, *ærugini*, Symmachus similiter *myzetæ*, sive ærugini, Aquila autem, *brucho*, interpretati sunt; ac rursum pro illo, *pruinæ*, Symmachus, *vermi*, Aquila, *in glacie*, edidit. Hæc porro a Moyse prætermissa hic enarrantur : videtur autem ærugo et myzetes, idem esse quia a Moyse *cinips* vocatur. Nam cum Moysis Scriptura decem plagas memoret; hic sermo, sanguinem, ranas, cynomyias, locustam, grandinem, jumentorum mortem, primogenitorum obitum, recensuit; non autem cinîphes, non tumores, non tenebras; pro illis autem æruginem dixit et pruinam; quorum loco, myzeten aut bruchum, vermem aut glaciem reliqui interpretati sunt.



« Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem » et iram et tribulationem, immissionem per angelos » malos. Viam fecit semitæ iræ suæ, non pepercit a » morte animabus eorum, et jumenta eorum in morte » conclusit. Et percussit omne primogenitum in terra » Ægypti, primitias omnis laboris eorum in tabernaculis » Cham[1]. » Præter ea quæ superius dicta sunt, hæc etiam pro salute populi operatus Deus est, « Misit in eos » iram indignationis suæ, indignationem et iram et tri- » bulationem. » Cum autem ira et indignatio frequenter memoretur, hic sermo hujus vocis significationem in sequentibus aperit dicens, « Immissionem per angelos » malos ; » sive secundum Symmachum, « Immissionem » angelorum mala inferentium. » Nam angelorum mala inferentium immissio, secundum humanum cogitandi morem ira et indignatio Dei esse putatur. Non enim iræ commotionem in Deo existimare consentaneum est ; sed supplicia impiis justo Dei judicio per immissionem angelorum, qui ad hoc deputati sunt, inflicta, ira et indignatio vocantur. Cæterum cum Ægyptiis immissiones angelorum mala inferentium factæ fuissent, ipse viam fecit semitæ iræ suæ ; secundum Symmachum vero, « Stravit callem iræ suæ. » Hisque traditum populo tempore illatæ Ægytiis vindictæ mysticum cultum subindicare mihi videtur. Tunc enim jubetur Paschæ festum celebrari, et immolari agnum ad symbolum agni Dei pro hominibus immolandi, inungique sanguine superliminaria domorum; ut hoc conspecto exterminator abstineret a damno hoc agentibus inferendo. Scriptum est enim : « Et transibit Dominus ad percutiendum Ægyptios, et » videbit sanguinem in superliminari et in utroque » poste. Et pertransibit Dominus januam : et non per-

[1] Psal. LXXVII, 49, 50, 51.



» mittet ingredi exterminatorem in domos vestras ad
» percutiendum[1]. »

Sed illis quidem viam paravit ut effugerent iram suam ; Ægyptiis vero non pepercit, verum in mortem tradidit animas eorum, dignorum sane tali supplicio, quia impietatibus et Ægyptiacæ multorum deorum superstitioni dediti, alia in morte, animæ scilicet, demersi erant. Quare hic non communem mortem ipsis illatam esse docetur; sed mortem animarum. Nam exterminator ille, cui traditi sunt, statim atque corpora dissoluta sunt, animas abripuit in perniciem abducens eas. Quare rursum scribitur, « Non pepercit a morte animabus eo-
» rum. » Postea vero hæc declarat : « Et percussit omne
» primogenitum in terra Ægypti, primitias omnis labo-
» ris eorum. » Pro illo autem, « primitias laboris eorum
» in tabernaculis Cham, » Symmachus, « Primitias vir-
» tutis eorum, » interpretatus est. Nam primogenita, primitiæ virtutis gignentium erant. Per primas itaque plagas quasi ad pœnitentiam ipsos evocans, per patientiam et tolerantiam suam paulatim ipsis supplicia inferebat. In fine vero non pepercit a morte animabus eorum ; sed etiam jumenta eorum in morte conclusit. Nam omne primogenitum in terra Ægypti occidebatur, tam jumenmentorum, quam hominum. Sed accurate admodum de hominibus quidem ait animas eorum morti traditas fuisse ; aderat quippe dæmon exterminator, qui animas etiam eorum post mortem abriperet. Cum de jumentis porro agitur, non ultra animas commemorat, sed solum communem et corporalem mortem. Jumenta siquidem non animas habent, quæ post corporis solutionem maneant, perinde atque hominum animæ. Hanc vero ipsam historiam diverso modo Moyses et hic psalmus enarrant. Nam

[1] Exod. XII, 23.

ille quidem dixit exterminatorem primogenitorum morti ministrasse; hic vero sermo per angelos malos hæc facta fuisse narrat. Atque illic quidem Moyses sanguine superliminaria unxisse narratur, et hoc signum fuisse ad tutelam eorum qui ab exterminatore effugerunt; hic vero Deus viam fecisse dicitur et semitam, ut effugerent iram suam. Hæc porro, inquit, in tabernaculis Cham effecta sunt; sive secundum Symmachum, « in habitationibus » Cham; » sive secundum Aquilam, « In tectis Cham. » Queis edocemur Ægyptum fuisse tabernacula Cham. Cum enim Noæ tres filii fuerint, Sem, Cham, Japhet; Cham fuit pater Chanaan; Chanaan vero pater Mesraïm, qui erat Ægyptus; a quo Ægyptii omnes; ita ut jure Ægyptiorum regio tabernacula avi Mesraïm esse dicatur. Hic porro Cham erat, qui primus Ægyptum incoluit.

« Et abstulit sicut oves populum suum[1], » etc. Post decimam Ægyptiorum plagam, quomodo exitus ex Ægypto contigerit his verbis docet : « Et abstulit sicut oves » populum suum, et perduxit eos tamquam gregem in » deserto : et deduxit eos in spe et non timuerunt[1]; » secundum Aquilam vero : « Et deduxit eos in fiducia, et » non territi sunt; » secundum Symmachum, « Deduxit » eos sine timore et terrore : et inimicos eorum operuit » mare. » Et hæc quidem ante eorum in deserto commorationem gesta sunt; neque enim sermo serie rerum utitur; sed utpote in hymno et cantico præpostere res enarrat. Quare cum ea quæ ipsis in deserto contigerant, et peccata quæ in solitudine admiserant, quotiesque ipsum exacerbaverant enarrasset, postea priorum mentionem facit, ut sermonem non tristibus, sed Dei beneficiis circumscribat. Quapropter sub hæc rebus a Deo in Ægypto gestis, et maris Rubri transitui addit illud : « Et induxit

[1] Psal. LXXVII, 52. — [2] Ibid. 53.

» eos in montem sanctificationis suæ, montem hunc » quem aqquisivit dextera ejus[1]. » Hic ea quæ in deserto contigerant silentio mittit, quia eorum recensionem præmiserat. Mons autem quinam, nisi Sionis in quo Jerusalem sub hæc post Asaphi et Davidis tempora structa est. Deinde narrationem resumit ita loquens : « Et ejecit a facie eorum gentes, et sorte divisit eis ter- » ram in funiculo distributionis. Et habitare fecit in ta- » bernaculis eorum tribus Israël[2]. » Postquam ingressum in terram promissionis memoravit, et quomodo occupaverint montem Sion, quem longis postea temporibus David, pulsis gladio Jebusæis obtinuit; historiam resumit, compendio narrans, quomodo post mortem Moysis, duce Jesu filio Nave, transierint in terram promissionis, et alienigenas bello ab se devictos a regione exegerint, et funiculo dimensam terram sorte diviserint. Deinde ipsos iterum coarguit, dicens eos prioribus in deserto admissis peccatis nova mala addidisse ; ac postquam terram obtinuissent, Deum excelsum ibi iterum tentasse et exacerbasse, et testimonia ejus per Moysem sibi tradita non custodisse[3], sed sese avertisse ac despexisse quemadmodum patres eorum, et versos fuisse in arcum pravum[4]. » Nam cum oportuisset inimicos Dei et adversarias sibi potestates telis impetere et confodere , ipsi idolis dediti Deum blasphemis et nefariis verbis impetivere. Quare facti sunt in arcum pravum : quod sub initium declaratum his verbis est : « Filii Ephraïm intendentes et mit- » tentes arcubus, conversi sunt in die belli. » Quomodo autem conversi fuerint in arcum pravum declarat postea dicens : « Et irritaverunt eum in collibus, et in sculptili- » bus suis ad æmulationem provocaverunt eum[5]. »

« Audivit Deus et sprevit, et ad nihilum redegit valde

[1] Psal. LXXVII, 54. — [2] Ibid. 55. — [3] Ibid. 56. — [4] Ibid. 57. — [5] Ibid. 58.

» Israël[1]. » Postquam mala ab ipsis etiam in terra promissionis perpetrata recensuit, justum Dei judicium postea declarat, comprobatque jure eos post prædicta omnia ira Dei invasos fuisse. Nam cum versi sunt in arcum pravum, et cum « irritaverunt eum in collibus suis, et in » sculptilibus suis ad æmulationem provocaverunt eum; » tunc Deus nec ipsos intueri, tales scilicet cum essent, nec in eos respicere, imo vero neque impiam eorum vocem audire dignabatur. Quamobrem subdit, « Audivit Deus et » sprevit, » secundum Aquilam vero, « Et non distulit, » nullum spatium neque dilationem illis concedens; secundum Symmachum vero, « Et reprobavit valde Israël. » Sic autem audivit Deus, ut de Sodomitis dicitur : « Vox » Sodomorum et Gomorrhæ clamat ad me[2]. » Impiorum enim vel ipsa impia gesta clamant et vociferantur. Quæ audiens Deus « repulit tabernaculum Silom, tabernacu» lum ubi habitavit in hominibus[3]. » Nam in Silom primum stetit tabernaculum, in qua sacrorum antistites erant Heli et Samuel, ut declarat Scriptnra Regnorum. Hoc itaque primum in Silom statutum tabernaculum propter impietates eorum repulit. Quare secundum Symmachum dicitur : « Et abjecit tabernaculum Silom, et ta» bernaculum firmatum in hominibus[4]. » Quomodo autem hominibus tradita fuerit arca ob impietates populi, et quomodo inimici ceperint illam, abduxerintque secum; filii vero Israël in fugam versi sint, filii Heli qui sacerdotes erant ceciderint, eorumque pater accepto de filiis nuntio, perierit, narrat primus Regnorum liber. Quapropter hic dicitur : « Et repulit tabernaculum Silo, » tabernaculum ubi habitavit in hominibus. Et tradidit » in captivitatem virtutem eorum[5]. » Pro illo autem

[1] Psal. LXXVII, 59. — [2] Gen. XVIII, 20. — [3] Psal. LXXVII, 60. — [4] I Reg. 4. — [5] Psal. LXXVII, 61.

» virtutem eorum, » Aquila, « robur eorum, » interpretatus est. Robur autem virtutem et pulchritudinem, in captivitatem et in manus inimici tradita, quæ dixeris esse, nisi arcam, quam hic sermo subindicat dicens, « Et » tradidit in captivitatem virtutem eorum, et pulchri» tudinem eorum in manus inimici? » Sed hæc quidem tradidit in manus inimici, populum vero contrivit gladio[1]. Ideo secundum Symmachum dicitur : « Et tradidit » in machæram populum suum et hæreditatem suam » sprevit. » Deo autem ipsos spernente, ea quæ sequuntur evenerunt. Quæ illa? « juvenes eorum comedit ignis, » et virgines eorum non sunt lamentatæ[2] » secundum Aquilam vero, « Non sunt desponsatæ; » secundum Symmachum autem, « Non sunt laudatæ. » Non ultra enim secundum reliquos interpretes cum hymnis et laudibus, ut consuetum desponsatis est, viris tradebantur, ob immissam tunc ipsis calamitatem. Secundum LXX interpretes autem, in captivitatem actæ, cum morerentur non erat qui lugeret, quod non adessent propinqui earum; imo etiam « sacerdotes eorum in gladio ceciderunt[3]. » Hi porro erant filii Heli : « Et viduæ eorum non plora» buntur. » In primo Regnorum libro legitur, cum filii Heli in bello cecidissent, eorum uxores viduas relictas, gravem sustinuisse mortem. Quare dicitur secundum Symmachum, « Et viduatæ eorum non ploraverunt : » neque enim existebant ut flere possent; nam una cum partu suo extinctæ sunt, ut fert hæc historia. « Et factum » est in diebus illis convenerunt Allophyli in bellum » contra Israël[4]; » deinde vero cum exisset populus ad pugnam, « Cæsus est, » inquit, « Israël : et facta est pla» ga magna valde : et ceciderunt de Israël triginta mil» lia ex ordinibus : et arca Dei capta est, et ambo filii

[1] Psal. LXXVII, 62. — [2] Ibid. 63. — [3] Ibid. 64. — [4] 1 Reg. IV, 1.

» Heli mortui sunt, Ophni et Phinees. Et cucurrit vir » Jeminæus ex castris, et venit in Silom in illa die, scissa » veste, et conspersus pulvere caput. Et ecce Heli in sel- » la ad portam contra bivium spectans. Erat enim cor » ejus pavens pro arca Dei. » Sub hæc dicitur : « Erat » autem Heli quasi nonaginta octo annorum, et oculi e- » jus caligaverant, et non videbat. Et vir ille accedens » dixit : Ego sum qui veni ex castris, et ego ex acie fugi » hodie. Et ait, Quid actum est, fili mi? Et respondit » puer et dixit : Fugit, inquit, Israël a facie Allophylo- » rum, et facta est plaga magna in populo, et ambo filii » tui mortui sunt, et arca Dei capta est. Et factum est » cum memorasset arcam Dei, cecidit de sella retrorsum » juxta ostium, et contritum est dorsum ejus, et mor- » tuus est, quia senex homo erat et gravis. Nurus autem » ejus uxor Phinees prægnans erat vicinaque partui : et » audito nuntio quod capta esset arca Dei, et mortuus » esset socer suus, et vir suus, flevit et peperit, quia ir- » ruerant dolores in eam, et in tempore [1] suo mortua » est. Et dixerunt mulieres quæ astabant ei, Ne timeas, » quia filium peperisti : quæ non respondit, neque ani- » madvertit. » Postea subjungit : « Et Allophyli accepe- « runt arcam Dei, et asportaverunt eam in Azotum, et » acceperunt Allophyli arcam Domini, et intulerunt eam » in domum Dagon [2]. » Hæc porro omnia hic compendio memorantur : nam subjungitur : « Et excitatus est » tanquam dormiens Dominus, tanquam potens et cra- » pulatus a vino [3]. » Postquam arca capta fuit ab Allophylis, et postquam supra dicta contra populum gesta sunt, suam Deus providentiam commonstrans, invisibili virtute Allophylos incessit et ulciscitur. Quare dictum est : « Et excitatus est tanquam dormiens Dominus, tan-

[1] i. sui partus. — [2] 1 Reg. v, 1. — [3] Psal. LXXVII, 65.

» quam potens et crapulatus a vino; » secundum Symmachum vero, « Tanquam potens loquens ex vino; » secundum Aquilam, « Tanquam potens crapulatus ex » vino. » Deinde seipsum excitans, inimicos suos percutit, videlicet qui arcam Testamenti ceperant, et percutit eos in posteriora, datque eis opprobrium sempiternum [1]. Quomodo percusserit eos in posteriora historia declarat, quæ sic habet in primo libro Regnorum : « Et aggravata » est manus Domini super Azotios, et afflixit eos, et » percussit eos in podicibus eorum, Azotum et fines e- » jus [2]; » et rursum : « Et translata est, » inquit, « arca » Domini in Getthàm, et factum est postquam translata » est, facta est manus Domini in urbe, fortitudine mag- » na valde. Et percussit viros urbis a parvo usque ad » magnum, et percussit eos in podicibus eorum. Et mit- » tunt arcam Dei in Ascalonem : et clamaverunt Asca- » lonitæ dicentes : Quid avertistis arcam Dei ad interfi- » ciendum nos? » Hinc subjungit : « Quia facta est con- » fusio mortis in tota urbe gravis valde, ut intravit arca » Dei illuc : et viventes et mortui percussi erant in po- « dicibus; et ascendit clamor urbis in cœlum. » Ideo in præsenti psalmo dictum est : « Et percussit inimicos suos » in posteriora, opprobrium sempiternum dedit eis. » Opprobrium quippe erat in podicibus percussos illos fuisse, utpote qui iis in partibus lascivi fuissent. Inimicos quidem suos sic ultus est; proprios vero sibi alio modo castigavit. Quare dictum est : « Et repulit tabernaculum » Joseph [3]. » Quodnam illud nisi Silom? Erat enim eam sorte Ephraïm : Ephraïm autem filius Joseph erat. Ideo subdit : « Et repulit tabernaculum Joseph, et tribum » Ephraïm non elegit; » etiamsi primum eam elegisset, et tabernaculum Joseph prius affecisset honore. Quare

[1] Psal. LXXVII, 66. — [2] 1 Reg. v, 6. — [3] Psal. LXXVII, 67.

Silom in extremam solitudinem redacta est. Iis vero docet exemplo illius Silom, ut ne altum sapiant qui in Jerusalem habitant, quod tabernaculum et arcam acceperint: quippe similia primis passuri, nisi Deo digni efficiantur, quod sane sequenti tempore contigit.

« Et elegit tribum Juda, montem Sion, quem di» lexit. Et ædificavit sicut unicornium sanctificium » suum in terra, fundavit eam in sæculum[1]. » Tribum pro tribu commutavit, tribum Benjamin pro tribu Joseph, et locum pro loco elegit, Jerosolymam Silo anteponens; imo etiam montem pro monte dilexit, Sion videlicet, pro monte qui in Silo erat. Deinde ait: « Et ædificavit sicut unicornium sanctificium suum; » secundum Aquilam vero, « Et ædificavit simile excelsis » sanctificium suum; » secundum Symmachum autem, « Et ædificavit ut excelsa sanctificium suum. » Sanctificium itaque suum simile excelsis, aut ut excelsa ædificavit. Nos autem ad profundum et arcanum sensum sermo remittit, docens sanctificium illud in terra, in Jerusalem et in monte Sion constitutum, similitudinem habuisse cum eo quod in excelsis est; et ad excelsorum modum constructum fuisse, ad imaginem et similitudinem excelsorum cœlestium: quæ item Apostolus declaravit dicens: « Illa vero quæ sursum est » Jerusalem libera est[2], » et, « Accessistis ad Sion mon» tem et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem[3]. » Quare secundum Aquilam dicitur, « Et ædificavit si» mile excelsis sanctificium suum; » secundum Symmachum vero, « Et ædificavit ut excelsa sanctificium » suum; » secundum LXX vero interpretes, « Ædifi» cavit sicut unicornium sanctificium suum. » Nos porro intelligimus unicornes esse eos, quorum unum cornu

[1] Psal. LXXVII, 68, 69. — [2] Gal. IV, 26. — [3] Heb. XII, 22.

descriptum in cœlo est, quos Apostolus his verbis declarabat : « Et ad multorum millium Angelorum ce-
» lebritatem, et Ecclesiam primogenitorum, qui des-
» cripti sunt in cœlis[1]. » Sed etiam inquit, « in terra
» fundavit eam in sæculum. » Secundum Symmachum autem, ꞅ Sicut terram quam fundavit in sæculum. Nam sanctificium illud quod in sensibili et terrena Jerusalem est, sic ædificavit in terra. Sicut enim terra, media inter aquas comprehenditur secundum Scripturam, ita et Jerusalem media inter alienigenas gentes posita erat. Quare dictum est in prophetiis : « Hæc est Jerusalem,
» in medio gentium posui illam[2]. » Sub hæc autem ait : « Elegit David servum suum[3], » de quo dictum est : « Inveni David servum meum, virum secundum
» cor meum : » quem elegit, non tantum ut primus ex tribu Juda regnaret, sed ita ut dignus judicaretur, ex cujus semine Christus Dei prodiret. Elegit autem eum pluribus ipsum fratribus suis anteponens. Accepitque eum ex gregibus « ovium, et de post fætantes. » Nam qui suscitat de terra inopem, et de stercore erigit pauperem, Davidem humilem et abjectum, ita ut nec cum fratribus suis connumeraretur neque pro viro haberetur, elegit, prius in pastorali institutum, et ex cura fœtarum quam gesserat, edoctum quam accurata sollicitudo egentibus adhibenda esset. Inde susceptum illum ex irrationabilium ovium pastorali cura, produxit Deus et constituit ut « pasceret Jacob servum
» suum et Israël hæreditatem suam[4]. » Ut enim experimentum sui dederat in pastorali irrationabilium ovium cura, rationabiliori ovili præfectus est. Quo pacto autem pecora pasceret declaravit ipse Saüli dicens : « Pastor agebat servus tuus patri suo in ovili :

[1] Heb. XII, 22. — [2] Ezech. V, 5. — [3] Psal. LXXVII, 70. — [4] Ibid. 71.

» et quando veniebat leo aut ursus, et arripiebat ovem » ex grege, post illum adibam, et percussi illum et » extraxi ex ore ejus. Et insurrexit in me, et com» prehendi fauces ejus, et percussi occidique illum. » Leonem et ursum percussit servus tuus. Et erit alieni» gena et incircumcisus ut unus ex illis, qui expro» bravit aciei Dei viventis. Et ait David, Dominus qui » eripuit me de manu leonis et de manu ursi, ille me » eripiet de manu alienigenæ incircumcisi istius[1]. » His enim cum fidei et pietatis suæ experimentum dedisset, necnon providentiæ quam de pecoribus sibi commissis gerebat, Deus elegit eum et ad imperium in rationabiliora pecora provexit. Ille vero sibi commissos populos non crudeliter, non dure, non superbe, sed in innocentia cordis sui pascebat[2]; sive secundum Aquilam et Symmachum, « secundum simplicitatem » cordis sui. Et in intellectibus manuum suarum de» duxit eos. » Secundum Aquilam vero, « Et in pru» dentia palmarum suarum deduxit eos; » secundum Symmachum, « Et secundum puritatem manuum sua» rum deduxit eos. » Pascebat itaque David humanum rationabileque ovile; sed non in sapientia humana, non prudentia propria, sed in innocentia et simplicitate, totam curam Deo committens, suam vero intelligentiam manibus, id est, operibus, vitæ genere et reliquo instituto commonstrabat. Et huc desinit præsens argumentum, improbitatis Judaïci populi accusationem divinæque patientiæ doctrinam complectens, concinnatum ad præpositas quasdam dubias voces, ad quas ceu defensio quædam justi Dei judicii necessario instituitur. Hæc porro omnia nos, qui ex gentibus su-

[1] 1 Reg. XVII, 34. — [2] Psal. LXXVII, 72.

mus, Christus Dei edocet, priscis exemplis nos ad frugem revocant, ut initio sermonis dictum a nobis est.

PSALMUS LXXVIII.

Ipsi Asaph [1].

« Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, pol-
» luerunt templum sanctum tuum, posuerunt Jeru-
» salem in pomorum custodiam. » Quod ante templi in Jerosolyma constructionem Asaph æqualis et coætaneus Davidi fuerit, ex historia planum est. Prophetice ergo quæ diuturno post tempore eventura erant in præsenti vaticinatur. Sed in LXXIII quidem, postremum urbis excidium, et ultimam templi ruinam quæ sub Romanis post civium ejus in Salvatorem nostrum ausus contigit, prænuntiabat, ut superius comprobatum est. In præsenti vero venisse quidem gentes in hæreditatem Dei, templum quod in ea erat polluisse, ipsamque urbem in pomorum custodiam posuisse significat; neque tamen ait igni traditum locum fuisse, neque talia passum, qualia in prædicto psalmo narrabat. Addit insuper in præsenti, eos qui locum polluerunt, multos occidisse viros sanctos et Dei servos : quorum mortua corpora non sinentes naturali sepulturæ tradi, in escam volatilibus cœli posuerunt. Hæc porro gesta non deprehendas in postrema loci obsidione : quia hæc non accidere viris sanctis qui penes illos erant. Ii namque qui urbem incolebant scelesti omnes et impii erant, ob suos in Servatorem nostrum et in ejus Apostolos ausus. Sed neque in Babylonica captivitate hæc facta reperias,

[1] Psal. LXXVIII, 1.

quia ne tunc quidem sancti et religiosi viri a Babyloniis trucidati in historia feruntur. Quandonam igitur hæc impleta fuere? Non potest aliud indicari tempus, nisi Antiochi, sub quo Macchabæorum Scriptura, quæ hic prænuntiantur contigisse narrat. Scriptum itaque ibi legitur[1] : « Et reversus est Antiochus, postquam per- » cussit Ægyptum, in centesimo et quadragesimo tertio » anno, et ascendit in Israël cum multitudine gravi : » et ingressus est in sanctuarium cum superbia. Et » accepit altare aureum, et candelabrum luminis, et » universa vasa ejus, et mensam propositionis, et li- » batoria, et phialas, et mortariola aurea, et velum, » et coronas, et ornatum, qui in facie templi erat. » Et comminuit omnia : et accepit thesauros occultos, » quos invenit. Et sublatis omnibus reversus abiit in » terram suam. Et fecit cædem magnam : et factus » est planctus magnus in Israël. Et scripsit rex omni » regno suo, ut essent omnes populus unus, et relin- » queret unusquisque legem suam[2]. Et amplexæ sunt » omnes gentes verbum regis : et multi ex filiis Israël » consenserunt cultui ejus, et sacrificaverunt idolis, et » coinquinaverunt sabbatum[3]. » Post hæc autem dicitur : « Et ædificavit abominationem desolationis in al- » tari. Et in civitatibus Juda in circuitu ædificaverunt » altaria, et in portis suis, et in plateis thymiama » adolebant. Et libros psalmi quos invenerunt, scin- » dentes, igne combusserunt*. » Adjiciturque : « Et multi » in Israël definierunt in se, ut non manducarent im- » munda. Et elegerunt mori, ut non contaminarentur » cibis, et mortui sunt. Et facta est ira magna in Israël » valde. » Hæc porro diuturnis postea temporibus, post

[1] 1 Macch. 1, 21. — [2] Ibid. 43. — [3] Ibid. 57.
* Hæc in bibliis paulum diversa sunt.

Assyriaca et Medica, post Persica et post Alexandri Macedonis mortem gesta sunt. At Spiritus divinus per hunc Prophetam hæc ipsa vaticinatur dicens : « Deus » venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt » templum sanctum tuum, posuerunt Jerusalem in po» morum custodiam. Posuerunt morticina servorum » tuorum escas volatilibus cœli, carnes sanctorum tuo» rum bestiis terræ. Effuderunt sanguinem eorum tam» quam aquam in circuitu Jerusalem, et non erat qui » sepeliret. Facti sumus opprobrium vicinis nostris, » subsannatio et derisio iis qui in circuitu nostro sunt[1]. » Pro illo autem, « In pomorum custodiam, » Aquila, In acervum lapidum; Symmachus vero, « In saltus, » ediderunt.

« Usquequo Domine irasceris in finem, accendetur » velut ignis zelus tuus[2] » ? Videtur mihi Propheta Asaph post accusationem Judaïci populi, quam in præcedenti instituit, hæc apposite inducere, quæ quasi ad placationem et ad medelam eorum quæ prius reprehensa fuere composita sunt. Recenset itaque varia mortis genera Judæorum qui pro pietate martyrium tunc subierunt. Quorum morticina inimici Dei in escas volatilibus cœli dederunt, et carnes sanctorum Dei bestiis terræ. Opportune igitur pro iis Deum placat, ac si sacrificium ipsi morte sanctorum suorum offeratur. Quamobrem ait : « Usquequo Domine irasceris in finem? » ad priorum memoriam sermonem reducens, queis dicebatur : « Ut quid Deus repulisti in finem[3] ? » Vult enim extremam illam populi ruinam et abjectionem cohiberi, et per sanguinis sanctorum suorum memoriam iram sedari. Utrumque vero dictum, nempe, « Usquequo Domine irasceris in finem? » et quod se-

[1] Psal. LXXVIII, 2, 3, 4. — [2] Ibid 5. — [3] Psal. LXXIII, 1.

quitur, « Exardescet sicut ignis zelus tuus? » sic intelligas; Quousque hæc erunt? Dicitur autem zelus, ad exemplum eorum qui nimiæ zelotypiæ affectu tenentur erga uxores, si ad alios viros accedant; sic enim et in Deo ultionem eorum qui pacta cum eo inita transgressi sunt, zelum Scriptura solet appellare. Supplicat ergo Propheta, sive ex propria persona, sive eorum nomine qui tempore Antiochi salvi facti sunt, post prædictionem eorum quæ tempore Antiochi Syriæ regis eventura erant, quando sancti Dei pro pietate mortem subiere; ut cesset ira populo immissa, et invadat inimicos ejus. Quamobrem ait : « Effunde iram tuam in » gentes quæ te non noverunt, et in regna quæ nomen » tuum non invocaverunt. Quia comederunt Jacob, » et locum ejus desolaverunt[1]. » Opportune existimo hic Jacobi mentionem fieri, ob religionem prisci illius atavi. Nam talem virum Deo dilectum ejusque virtutem ipsi Deo commemorans, videtur ejus mentione facta ipsum deprecari, et in præsenti casu propitium reddere. In præcedenti quidem psalmo, quando Josephum memoravit, non ipsum Josephum, sed tabernaculum ejus repulsum fuisse dixit his verbis : « Et » repulit tabernaculum Joseph, et tribum Ephraïm non » elegit[2], » hisque significat locum illum in Silo situm; quia in tribu Joseph Silo jacebat. Hic vero Jacobum meminit et locum ejus : per Jacobum, religiosi illius viri posteros indicans; per locum vero ejus, Jerosolymam, quam in solitudinem verti tempore Antiochi contigit. Sub hæc adjicit : « Ne memineris ini» quitatem nostrarum antiquarum[3]. » Eos qui pro pristinis illis peccatis supplicant, palam est non esse nuperis delictis obnoxios. Pro illo autem : « Cito an-

[1] Psal. LXXVIII, 6, 7. — [2] Psal. LXXVII, 67. — [3] Psal. LXXVIII, 8.

» ticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti » sumus nimis; » Symmachus, « Accelera, præveniant » nos misericordiæ tuæ, » quia infirmati sumus valde, interpretatus est. Quemadmodum enim athleta qui multa subiit certamina, et pugnas multas sustinuit, in sollicitudine degit, ne debilior factus labatur; ita hi quoque precantur, se præmuniri et auxilium consequi. Quare aiunt : « Cito anticipent nos misericordiæ tuæ, » quia pauperes facti sumus nimis. Adjuva nos Deus » Salvator noster, propter gloriam nominis tui, Domine, » libera nos, et propitius esto peccatis nostris propter » nomen tuum[1]. » Hæc item Propheta ex persona eorum qui tempore Antiochi regis vexabantur, pronuntiat; orationem iis qui persecutionem passuri erant scriptam prophetice relinquens, ut in promptu cognoscere possent, quibus uti verbis in suis ad Deum precibus opus esset. Neque iis solum hæc tradita sunt; omnibus quippe similia patientibus competunt, quia in persecutionibus quæ nostra ætate contigerunt, sexcenti supra recensitis similia sunt perpessi, qui opportune utique talibus dictis usi fuerint, queis ad ita loquendum instituimur : « Propter gloriam nominis tui, » Domine libera nos. » Etiamsi enim nos auxilio digni non simus; at nomen gloriæ tuæ ne apud gentes blasphemetur, ac si non valeat nos liberare : « Et propitius, » inquit, esto peccatis nostris propter nomen tuum. » Superius quidem dicebatur : « Ne memineris iniquita- » tum nostrarum antiquarum : sed illic quidem, ini- » quitatum, » dicitur. Iniquitates sane olim admiseramus antequam divinis legibus obsequeremur ; quæ merito antiquæ dicuntur. Nam ante Dei cognitionem scelera nostra iniquitate antiquæ erant; nunc vero cum

[1] Psal. LXXVIII, 9

hæc precamur non iniquitatum ulterius, sed peccatorum nobis conscii sumus; at iis quoque propitius esto rogamus, propter nomen tuum quod invocatum est super nos. Siquidem nomini consulens tuo quo nos exornamur, propitius esto peccatis nostris : ne forte nobis subjugatis, inimici blasphema dicta in nomen tuum proferant dicentes, « Ubi est Deus eorum[1] ? » At illud, *ubi*, dicere numquam permittantur; sed tu Servator noster conspicuus effectus, ulciscere sanguinem servorum tuorum, qui effusus est. Ad hæc in precibus tempore persecutionis dicenda instituimur, hostiarum et holocaustorum loco sanguinem sanctorum Martyrum proponentes, ac hujusmodi supplicationes emittentes. Hæc quoque ante nos qui in Judaïco populo similia sunt perpessi, memorato tempore dicere edocebantur : quo et apud illos generosi martyres commonstrati sunt. Horum meminit Macchabæorum Scriptura[2] : in iisque erat Eleazarus vir illustris, ætate provectus, qui generosam mortem pro pietate erga Deum vitæ prætulit[3]. Sed etiam quædam mirabilis septem filiorum mater, certamine martyrii omni laude superior, perfuncta est; filii quoque illius septem varias pugnas subeuntes, faustam perseverantiæ virtutem exhibuere. Alii quoque plurimi sancti viri fuere, quorum mortem et sanguinis effusionem sermo commemorat his verbis : « Et innotescat in nationibus coram oculis nostris ultio sanguinis servorum tuorum, qui effusus est. » Alii quidem sanguinem suum quasi libamina pro tota gente tradidere; alii vero non similia passi, alio modo pro pietate certamen inierunt carceribus mancipati, et vinculis constricti. Quorum item gemitus et dolores laboresque opportune in oratione commemorat dicens :

[1] Psal. LXXVIII, 10. — [2] 2 Macch. VI, 18. — [3] Ibid. 7.

« Introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum[1]. » Compeditos vero, non labere si dicas eos esse qui in mortalibus corporibus toto vitæ suæ tempore macerati sunt. Qualis erat Paulus dicens : « Nos autem viventes » in tabernaculo, ingemiscimus gravati[2]; » et rursum : « Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis » hujus[3]? » Tales erant Dei Prophetæ, omnesque qui in corporibus suis nec deliciis nec voluptatibus dediti fuerunt, sed contra vitam suam afflixere jejuniis, laboribus, aliisque asceticis macerationibus. Qui non pro se tantum, sed etiam pro toto populo imo pectore ad Deum ingemiscebant. Quare dicitur : « Introeat in cons» pectu tuo gemitus compeditorum. » Quinam porro sint qui ad hæc dicenda instituti sunt, sub hæc aperit his verbis : « Patrocinare filiis occisorum. » Nos siquidem non digni habiti sumus qui ad finem usque certaremus, ac pro Deo sanguinem funderemus; sed quia filii sumus eorum qui hæc sunt perpessi, virtute patrum nostrorum ornati, precamur ut illorum gratia misericordiam consequamur. Quare dicimus : « Patro» cinare filiis occisorum. »

« Redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum, » improperium ipsorum, quod exprobraverunt tibi, » Domine. Nos autem populus tuus et oves pascuæ » tuæ confitebimur tibi in sæculum. In generationem » et generationem annuntiabimus laudem tuam[4]. » Nobis patrocinare, etsi non nostri causa, sed propter patres nostros. Vicinis vero nostris, id est, iis qui insurgunt in nos, nobisque bellum movent, vices retribuas, multiplicans illud sceleribus eorum debitum supplicium. Non sat illis fuit mala inflixisse nobis; sed

[1] Psal. LXXVIII, 11. — [2] 2 Cor. V, 4. — [3] Rom. VII, 24. — [4] Psal. LXXVIII, 12, 13.

te quoque universorum Dominum blasphemis et contumeliosis dictis impetiverunt. Verum illis ad utilitatem suam promeritum redde supplicium; ita ut eo convertantur et ad meliorem se frugem recipiant; nos autem occisorum filios, salute dona. Qui etiamsi non patribus similes fuerimus, attamen populus tuus sumus et oves pascuæ tuæ, quare, « confitebimur tibi in sæ-» culum; » gratias scilicet agentes debitosque hymnos et laudes pro acceptis beneficiis tibi omnium bonorum largitori Deo emittentes. Deinceps vero « in genera-» tionem et generationem annuntiabimus laudem tuam » filiis nostris, filiis filiorum et eorum posteris, salutarem laudis tuæ disciplinam, ceu optimam sortem, tradentes.

PSALMUS LXXIX.

In finem, pro iis qui commutabuntur, testimonium Asaph[1].

« Qui pascis Israël intende, qui deducis velut ovem » Joseph[2]. » Quatuor sunt inscripti, « Pro iis qui com-» mutabuntur; » duo quidem Davidis LIX et LXVIII filiorum Core unus XLIV. Asaphi item hic quem tractamus. Quinquagesimus nonus lapsum Judaïci populi et vocationem gentium significabat, his verbis orsus: « Deus repulisti nos et destruxisti nos, iratus es, » et cætera quæ sequuntur. Sub hæc autem, « Moab lebes » spei meæ. In Idumæam extendam calceamentum » meum, mihi Allophyli amici facti sunt; » sive,

[1] Psal. LXXIX, 1. — [2] Ibid. 2.

« subditi sunt. » Similiter LXVIII. « pro iis qui com- » mutabuntur, » inscriptus, cruciatus Servatoris, et Israëlis abjectionem declarat his verbis : « Fiat mensa » eorum coram ipsis in laqueum, et in retributionem » et in scandalum. Obscurentur oculi eorum ne videant, » et dorsum eorum semper incurva. Effunde super eos » iram tuam, et furor iræ tuæ comprehendat eos. Fiat » habitatio eorum deserta, et in tabernaculis eorum » non sit qui inhabitet. Quoniam quem tu percussisti » persecuti sunt, et super dolorem vulnerum meorum » addiderunt. » Hi quidem Davidis sunt. Filiorum vero Core XLIV cui titulus, « pro iis qui commutabuntur, » canticum pro Dilecto emisit, cujus adventum vatici- nans, vocationem Ecclesiæ ex gentibus addidit, hoc eam modo subindicans : « Audi filia et vide, et inclina » aurem tuam, et obliviscere populum tuum et do- » mum patris tui. Et concupiscet rex decorem tuum, » quoniam ipse est Dominus tuus, et adorabunt eum, » filia Tyri in muneribus. » Eodem itaque modo hic quem tractamus, « pro iis qui commutabuntur » in- scriptus, ac in finem remittens, Christi adventum, Ju- daïci populi captivitatem, et Jerosolymorum incendium quod a Babyloniis factum est prænuntiat. Primo qui- dem orditur ab exitu Judæorum ex Ægypto, et ha- bitatione eorum in Palæstina : deinde adjicit obsidionem post hæc ab Assyriis et Babyloniis factam : ad hæc autem supplicationem effundit pro Christi adventu : quæ singulatim in hujus prophetiæ interpretatione ex- plicabuntur. Initio autem eum qui pascit Israël psalmus evocat : hic porro erat Dei Verbum, uti plerumque comprobavimus, declarantes non Deum qui super omnia est, sub hominis figura visum Abrahamo fuisse; neque Moysi oracula fudisse, nec in deserto præcessisse po-

pulum; sed hunc non alium esse, quam eum qui in Evangelio dicit : « Antequam Abraham fieret ego sum ; » et, « Abraham pater vester exultavit ut videret diem » meum, et vidit et gavisus est[1]. » Ipsum ergo jam evocat dicens : « Qui pascis Israël intende, » etc. rogatque ut ostendat faciem suam pro communi omnium salute, adventumque ejus quamprimum contingere supplicat his verbis : « Excita potentiam tuam, et veni » ut salvos facias nos; » ac tertio cum dicit, « Os» tende faciem tuam et salvi erimus. » Deinde vero adventus modum declarat dicens : « Fiat manus tua » super virum dexteræ tuæ, et super filium hominis, » quem confirmasti tibi. » Incorporeum namque Dei Verbum rogat, ut per virum dexteræ suæ, et per filium hominis beneficam virtutem suam omnibus largiatur. Divini itaque et salutaris adventus hac ratione mentionem fecit; Israëlis vero ruinam ita vaticinatur : « Ut » quid destruxisti maceriam ejus, » scilicet vineæ, quam ex Ægypto transtulit, « et vindemiant eam omnes qui » prætergrediuntur viam. Exterminavit eam aper de » sylva, et singularis ferus depastus est eam. Incensa » igni et suffossa. » Hæc de vinea percurrens, Judaïcæ gentis vastationem prænuntiabat. Jure itaque in titulo hæc dicta testimonium vocantur ; nam testimonium hæc futura esse dixit. Unde apud Symmachum et Aquilam, « testificatio » dicitur. Illius autem loco, « pro iis qui » commutabuntur; » Symmachus, « pro floribus ; » Aquila vero, « pro liliis, » interpretati sunt. Prosperitatem siquidem Judæorum brevem et temporaneam, floribus et liliis comparat. Supplicationem igitur emittit Propheta ad eum qui olim Israëlem curabat et inspiciebat, Dei scilicet verbum, quod invocans ait : « Qui

[1] Joan. VIII, 58; Joan. VIII, 56.

» regis Israël intende. » Sic autem ipsum flectere conatur, antiquam ejus in populum inspectionem commemorans. Tua, inquit, pecora, ovesque tuas cures, qui olim pascebas illas. Nam si quondam pastoralem hominum sollicitudinem subiisti, si populum, qui inter homines alios tuus dicebatur, deduxisti, horum memento, neque despicias eos quos tanta providentia dignatus es. Intende igitur et considera quanta grex ille tuus patiatur, quomodo vineam illam exterminaverit aper de sylva, et singularis ferus depastus sit eam, quomodo fuerit incensa igni et suffossa ab increpatione vultus tui. Hæc porro in Spiritu sancto Judaïcam gentem Propheta docet, tempora et eventus rerum meditari ac prænuntiare occupans; ut cum res quæ in prophetia feruntur advenerint, in promptu notitiam illius ad Deum emissæ supplicationis exciperent. Quis vero sit qui pascit Israël, declarat ipse qui ait : « Ego » sum pastor bonus, et cognosco meas, et cognoscunt » me meæ[1], » et rursum, « Ego sum pastor bonus, » et animam meam pono pro ovibus[2]. » Ipse vero erat qui Josephum, vel tribum ejus, ut ovem deducebat; sive etiam totam Judaïcam gentem metaphorice ab una tribu Joseph subindicans, sive potius ipsum virum tribus progenitorem. Quoniam ipsi insidiis fratrum impetito, Ismaëlitis vendito, in Ægyptum deducto, Petephræ servienti, impudicam dominam aversanti, in carcerem item conjecto, aderat. Nam in omnibus his adfuisse Moysis Scriptura commemorat dicens : « Et erat Dominus cum Joseph[3]. » Unde commodius vertisse mihi videtur Theodotio, qui ait : « Qui » deducis quasi ovem Joseph. » Ita quoque dixeris ipsum Israëlem, qui primus hoc nomine appellatus est,

[1] Joan. x, 14. — [2] Ibid. 11. — [3] Genes. xxxix, 2.

a pastore ductum fuisse. Hic vero Jacob erat, filius Isaac. Nam ille cum solus in Mesopotamiam spe in Deum fultus descenderet, pastorem suum invenit qui aderat sibi, Verbum scilicet Dei, quod ipsi apparere solebat. Opportune itaque Deo supplicans, non turbam impiorum memorat; sed unius tantum et alterius ex religiosis illis olim viris mentionem facit, ex progenitorum virtute et religione posteros eorum misericordiam consequi deprecans. Hic vero ipse qui sanctorum olim virorum pastor fuit, is qui Cherubinis vehitur erat[1]. Quibusnam Cherubinis, nisi iis qui ab Ezechiele visi sunt, quorum imagines et symbola jussus Moyses supra arcam ex auro posuit? Cherubim autem meminit Ezechiel hoc pacto loquens : « Et vidi et ecce super » firmamentum, quod erat super caput Cherubim, quasi » lapis Sapphiri, similitudo throni in ipso[2]. » Postea vero ait : « Et egressa est gloria Domini ab limine » domus, et ascendit super Cherubim : et assumpse» runt Cherubim alas suas, et elevata sunt a terra in » conspectu meo dum exirent : et rotæ hærebant ipsis. » Et steterunt ad præliminaria portæ domus e regione » positæ, et gloria Dei Israël erat supra eos[3]. » Viden, quo pacto hic currus Dei describatur de quo alibi dicitur, « Currus Dei decem millibus multiplex millia » lætantium? » Cherubim vero currus erant; ita ut supra caput ipsorum throni similitudo esset, et supra thronum gloria Domini. Quænam esset gloria Domini initio libri declaratur, ubi dicitur : « Super Cherubim » quasi species erat lapidis sapphiri, similitudo throni » super ipsum : et super similitudinem throni simili» tudo quasi species hominis desuper. Et vidi quasi » formam electri a specie lumborum et desuper; et a

[1] Psal. LXXIX, 3. — [2] Ezech. I, 26. — [3] Ezech. X, 18.

» specie lumborum usque deorsum, quasi species ignis,
» et lux ejus in circuitu [1]; » adjicitque : « Hæc visio
» similitudinis gloriæ Domini. »

Vides quomodo gloriam Dei in throno sedentem explicans, formam hominis descripserit. Quænam alia fuerit illa hominis forma, quæ non ipse Deus, sed gloria Dei dicta est, quam unigenitum Dei Verbum : quod aliquando gloriam Dei Patris, aliquando speciem hominis propter hominem quem assumpsit, nuncupat? cujus quæ ad deitatem spectabant electro, omnis materiæ pretiosissimo, simile dicebatur; quæ vero a lumbis usque deorsum erant, modo speciei ignis, modo lucis splendori; quia quæ in naturæ consortium veniunt, homines scilicet in terra constituti, vario modo ejus virtutibus opus habent : nam ii qui luce digna faciunt, illuminante vi indigent; qui vero digna perpetrant, comburente et ultrice virtute. Cœlestium porro imagines et symbola adornare jussus Moyses, Cherubim ex auro confecit : hæc vero arcæ insidebant, in quorum medio propitiatorium ex auro factum consistebat ; eratque propitiatorium in medio Cherubim aurigæ instar ipsis impositum , ita ut propitiatorium illud ex auro factum, imago et exemplar esset ejus qui super Cherubim in Ezechiele propheta visus est; quem Verbum esse Dei commonstravimus. Quare divinus Apostolus ipsum Verbum propitiatorium vocat dicens : « Quem proposuit Deus propitiatorium per fidem in san» guine ejus[2]. » Hæc autem a Moyse ex auro figurate confecta; Cherubim dico et propitiorium, populo præibant in solitudine, coram Ephraïm, Benjamin et Manasse. Nam in exitu duodecim tribuum, ante arcam tres tribus castrametabantur; nempe Juda, Issachar, et Zabulon; arcam item tres tribus sequebantur, nempe Ephraïm, Benjamin et

[1] Ezech. I, 26. — [2] Rom. III, 25.

Manasse, a tergo Cherubim sequentes. Quamobrem hic « dicitur, Manifestare, qui sedes super Cherubim, coram » Ephraïm, Benjamin et Manasse. » Ideo secundum Aquilam dicitur, « Insidens super Cherubim, manifestare in » facie Ephraïm, Benjamin et Manasse. » Tu enim, inquit, qui in facie Ephraïm, Benjamin et Manasse procedis, manifestare. In his autem Propheta Dei Verbum evocat, ab iis quæ populo nota erant nomen ejus mutuans, sed non a divina Ezechielis visione. Ipsum autem his verbis supplicando compellat : Si quodam tempore, inquit, hominibus anteire dignatus es, memoratasque tribus ducere, nunc ipsis fluctuantibus et pereuntibus appare; tu, inquam, ipse qui olim populum pascebas, ipsique anteibas, « excita potentiam tuam et veni, ut » salvos facias nos. » His vero supplicat ut ad homines accedat, et eos qui aversi et lapsi erant, iterum resumat, iterum ad se convertat. Quapropter dicit : « Deus converte » nos, et ostende faciem tuam et salvi erimus. Domine » Deus virtutum quousque irasceris super orationem ser- » vorum tuorum[1] ? » Qui in præsenti dicitur, Dominus et Deus virtutum, is ipse erat qui pascebat verum Israëlem, et deducebat sicut ovem Joseph, et qui sedebat super Cherubim, et qui incedebat coram Ephraïm, Benjamin et Manasse. Dominus autem et Deus virtutum dicitur, ut alibi dux exercitus et virtutis Domini, ac magni consilii Angelus. Jesu itaque Moysis successori, in forma hominis apparens quis ipse esset confitebatur dicens : « Ego sum dux exercituum et virtutis Domini[2].» In Hesaïa vero dictum est : « Puer natus est nobis, et filius da- » tus est nobis. Cujus principatus super humerum ejus, » et vocabitur nomen ejus magni consilii angelus. » Secundum reliquos interpretes, « Deus fortis, potens, prin-

[1] Psal. LXXIX, 4, 5. — [2] Jos. V, 14.

» ceps pacis, pater sæculi[1]. » Hoc itaque docetur a Spiritu prophetico populus qui derelictus est, ut emittat orationem et dicat ipsi : « Domine Deus virtutum quo- » usque irasceris super orationem servi tui? » Pro quo reliqui omnes interpretes, « populi tui, » interpretati sunt. Docentur porro panem lacrymarum comedere pro ausibus suis, ut mala sua flentes ac lugentes, consolationem obtineant, ut in beatitudinibus dicitur : « Beati qui flent, » quoniam ridebunt. Beati qui lugent, quoniam conso- » labuntur[2]. » Secundum Symmachum autem, « Cibasti » nos, *inquit*, pane lacrymarum, et potasti nos cum la- » crymis mensura[3]. » Etsi namque fletu et lacrymis digni simus, ut loco panis, fletibus ac gemitibus alamur, lacrymis et lamentationibus potemur; at hæc ipsa mensurate nobis tradantur, ita ut non in infinitum procedant, sed aliquando cessent, ac in jucundiora mutentur. Tu enim « posuisti nos in contradictionem vicinis nostris, » et inimici nostri subsannaverunt nos[4] : » qui non simile quidpiam olim ausi contra nos sunt, cum te patronum haberemus[5]. Quamobrem precamur, et te Deum virtutum invocamus, supplicantes ut nos convertas. Quod sane eveniet si conspicuus fias et vultum tuum ostendas nobis. Nam si id concedatur salvi erimus, ac nos quoque dicemus : « Signatum est super nos lumen vultus » tui, Domine[6]. »

« Vineam de Ægypto transtulisti : ejecisti gentes et » plantasti eam. Dux itineris fuisti in conspectu ejus, » et plantasti radices ejus et implevit terram[7]. » Supplicationem ordiens Propheta, eum qui pascit Israël evocabat. Erat autem Israël a memorata hic vinea diversus. Nam ille quidem semper a Domino pascitur; hæc autem

[1] Isai. IX, 6. — [2] Matth. V, 5. — [3] Psal. LXXIX, 6. — [4] Ibid. 7. — [5] Ibid. 8. — [6] Psal. IV, 7. — [7] Psal. LXXIX, 9, 10.

vinea in pejorem multo conditionem declinavit. Per religiosum autem virum, illum nempe olim Israëlem. Deo supplicat ut posteris suis male agentibus prospiciat. Fuerit vero Israël, perspicax omnis anima, quæ a bono pastore semper pascitur. Vinea autem Dei dicatur, quæ imaginem servat ejus qui in Evangelio dixit : « Ego sum vitis » vera[1] ; » vinea vero ex Ægypto translata, est anima subversionem passa : qualis fuit Judaïcus populus qui olim diuturno tempore idola in Ægypto coluit, ac cum modicos fructus protulisset, ut de illis testificatur Moyses in magno cantico hæc scribens, « Nam ex vinea Sodomo- » rum vinea eorum, et palmes eorum ex Gomorrha. Uva » eorum uva fellis, botrus amaritudinis eorum. Furor » draconum vinum eorum, et furor aspidum insanabi- » lis[2] ; » etiamsi hujusmodi essent, ipsis prospiciens Deus transplantavit eos, radices eorum ex Ægyptiaco satu evellens, in aliamque terram pinguemque locum transferens, ut docet Hesaïas his verbis : « Vinea facta est di- » lecto in cornu in loco pingui. Et sepem circumposui, » et vallavi, et plantavi vineam Sorech. Et ædificavi » turrim in medio ejus, et protorcular fodi in ea[3]. » Et sane cum in pinguiorem et multo meliorem Ægypto regionem prædictam vineam transtulisset, eam ibi plantavit. Deinde, utpote optimus agricola, post primam illam translationem, dux itineris fuit in conspectu ejus, fruticibus amotis, omnique aliena materia excisa, ut ipsi nullus obex ad fructuum emissionem adesset : Pro illo autem, « Dux itineris fuisti in conspectu ejus; » Symmachus, « Amovisti in conspectu ejus, » interpretatus est. Deinde subjungit, « Radicare fecisti radices ejus. » Cum tanta Dei Verbi cura memorata vinea dignata fuerit, jure implevit terram[4], ita ut montes quidem inumbraret,

[1] Joan. xv, 1. — [2] Deut. xxxii, 32. — [3] Isai. v. 1. — [4] Psal. lxxix, 11, 12.

cedros vero arbustis suis operriret, palmites extenderet usque ad mare, et usque ad flumina propagines. Hæc omnia ipsi evenerunt. Et quia tot tantisque donata est, jure sermo precandi ritu hunc agricolam memorans, his eum rogat et compellat : Quia tanta providentia et cura prædictam vineam dignatus es, pro humanitate et gratia tua hæc omnia in illa operatus ; quis non in hæsitationem et dubium incidens hoc perquirat, « Ut quid destruxisti » maceriam ejus[1], » et eam omnibus gentibus calcandam præbuisti, ita ut nemine circummuniente, cuique volenti ipsam vindemiare liceat, ac modo aper de sylva pessumdet, modo singularis ferus depascat illam ? Verum huic dubio per Hesaïam Prophetam respondet agricola, quasi sui purgandi gratia, hujusque rei causam his verbis profert : « Quia expectavi ut faceret uvam, » fecit autem spinas ; et non justitiam, sed clamorem[2]. » Hæc porro Judaïco populo dicta esse nemo dubitaverit. Quomodo autem umbra vineæ montes operuerit intelliges, si perpendas cum lex futurorum bonorum umbram, non autem ipsam rerum imaginem habeat, eam modo in monte Silo, ubi prius erectum fuerat tabernaculum, modo in monte Sion et in Jerusalem completam esse, et arbusta ejus cedros Dei operuisse. Quænam esse vineæ arbusta dixeris, nisi animas propheticas, ac eos qui olim in priore populo erigebantur, et qui digne Deo vitam instituerunt, qui etiam in cedris Dei, id est, in invisibilibus divinisque virtutibus, requiescebant ? Nam eo usque provectæ sunt animæ quæ in priore illo populo ornate et probe vixerunt, ut et Spiritus sancti participes essent, et usque ad angelicas potestates fructus suos extenderent. Palmites porro vineæ, ab umbra sane necnon ab arbustis diversi, extensi sunt usque ad mare. Symma-

[1] Psal. LXXIX, 13. — [2] Isai. V, 5.

chus autem pro illo, « palmites, jubas suas, *ait* extendit » usque ad mare. » Jubæ autem et comæ, ceu innumeri capilli sunt; sive etiam palmites illi multiplicati secundum vineæ exemplum, magnus ille Judaïcæ gentis numerus est, qui sane totum hominum genus replens pervenit usque ad mare. Quamobrem in Osea propheta dictum est : « Et erat numerus filiorum Israël quasi arena » maris, quæ non mensurabitur et non numerabitur[1]. » Propagines vero aliæ adnatæ, palmitibus recentiores ac nuper exortæ, usque ad flumen extensæ sunt, videlicet novi Testamenti præcones; Apostolos dico et discipulos Servatoris nostri, qui genus et originem ex prædicta vinea ducunt, et ceu propagines quædam ejus sunt. Neque tamen perinde atque jubæ et ad palmites usque mare protenduntur, sed usque ad flumen, ob mysterium regenerationis in Christo ab iis subministratæ. Quare de Salvatore ipso in psalmo LXXI dicitur, « Et dominabitur a mari usque » ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terra- » rum[2]. » Nam cum baptismus a Jordane fluvio initium duxerit, totum replevit orbem. Quatuor porro prædictæ vineæ ordines præsens sermo describit; umbram scilicet ejus montes operientem; arbusta ejus in altum elata, ita ut non simpliciter cedros, sed cedros Dei operiant; ad hæc palmites ejus usque ad mare extensos; præter hæc omnia autem propagines ejus, quæ ad flumen usque pertingunt. Quorum interpretationem pro collata nobis gratia dedimus; umbram quidem pro figurato illo et umbroso cultu tradentes, qui in sensibilibus et corporeis montibus perficiebatur; arbusta, pro animabus propheticis, quæ in cedris Dei, angelicis videlicet ac divinis virtutibus firmabantur; palmites aut comas, seu jubas, pro tota Judæorum multitudine, ob instabilem et fluctuantem ho-

[1] Ose. I, 10. — [2] Psal. LXXI, 8.

minum vitam usque ad mare extensa; demum propagines pro Apostolis Servatoris nostri qui in flumine versantur de quo dictum est : « Fluminis impetus lætificant civita- » tem Dei[1]. » Verum quia memorata vinea tot tantisque bonis a Deo Verbo, qui prius ipsi prospiciebat donata est, consequenter eum qui tantis eam donis ornavit, quasi dubitando compellat dicens : « Ut quid detruxisti mace- » riam ejus[2]? » Ille vero respondet his verbis : « Quia » exspectavi ut faceret uvam, fecit autem spinas; » ac rursum, « Expectavi ut faceret judicium, fecit autem ini- » quitatem; non justitiam, sed clamorem[3]. » In Jeremia quoque vineam ipse coarguit, rationabilis quippe erat, his verbis : « Ego autem plantavi vineam fructiferam, » totam veram. Quomodo conversa est in amaritudinem » vitis aliena[4]? » Adjicit autem per Hesaïam : « Auferam » sepem ejus, et erit in direptionem; et auferam murum » ejus, et erit in conculcationem. Et dimittam vineam » meam, et non fodietur, neque putabitur. Et ascendet » in eam quasi aridam spina, et nubibus mandabo ne » pluant super eam imbrem[5]. » Ablata autem sepe, virtute scilicet quæ custodit et circummunit ipsam, consequenter omnes deinde inimici invisibiles et occulti, feris agrestibus immaniores, exterminaverunt eos, videlicet qui a Scriptura accusabantur[6]. Et quidam impurus aper, nempe Assyrius, prior cum fortitudine invadens, præfatam vineam pessumdedit; ita ut multitudinem populi captivam in Assyrios abduceret. Deinde vero alter inimicus ingressus, quæ a priore relicta fuerant vastavit, Nabuchodonosor videlicet, qui templum incendit, et solo æquavit. Quare secundum Symmachum etiam dictum est : « Vastavit eam aper de sylva, et singularis ferus

[1] Psal. v, 9. — [2] Isai. v, 5. — [3] Ibid. 7. — [4] Jerem. II, 21. — [5] Isai. v, 5. — [6] Psal. LXXIX, 14.

» depastus est eam. » Pro illo autem, « singularis ferus, » Aquila, « omnigenam terram » interpretatus est. Secundum aliam vero interpretationem, « pessumdedit eam ; » id est, memoratam vineam, primo Babylonius, qui prior Jerosolyma obsessa, excidit illam ; post illum vero Romanus exercitus, qui post Servatoris nostri adventum, irrumpens vastavit eam. Hæc porro omnia vaticinatur Asaph, qui tempore Davidis ante Jerosolymæ constructionem erat, quæ annotatis temporibus eventura ipsi erant prænuntians. Et quidem in præsenti videtur una primam obsidionem a Babyloniis, et secundam a Romanis factam vaticinari : per præcedentem vero psalmum quæ sub Antiocho Epiphane contigerunt ; per LXXIII autem ea solum quæ ad postremam a Romanis factam obsidionem pertinent, ut ad LXXIII commonstratum est.

« Deus virtutum convertere, respice de cœlo, et vide, » et visita vineam istam, et perfice eam, quam plantavit dextera tua, et super filium hominis, quem confirmasti tibi. Incensa igni et suffossa, ab increpatione vultus tui peribunt[1]. » Postquam ei, ut bono agricolæ in memoriam revocavit ingentem illam suam pro vinea sollicitudinem, et ipsi illatam postea vastitatem, sub hæc consequenter supplicat, ut ad eam se convertat, qui pridem aversus ei esset, ac per aversionem illam, inimicis eamdem vineam tradidisset. Rogat autem illum ut consideret et sursum de cœlo respiciat, recordeturque memoratam vineam, sui plantationem et dexteræ suæ agriculturam esse, ejusque memor visitet illam, utpote quæ olim ab ejus dextera plantata fuerit : jam vero incensa igni et suffossa, ab increpatione vultus ejus perierit. Precatur item ut resumens restauransque illam Servatoris ac medici instar reficiat : et hæc agat per Filium

[1] Psal. LXXIX, 15, 16, 17.

quem confirmavit sibi. Queis aperte declaratur hic primum loci incendium adnotari, quod a Babyloniis perpessus est. Neque enim post secundum incendium a Romanis illatum, divinum Salvatoris adventum, qui jam contigerat, maturari rogasset. Opportune autem post priorem illam loci calamitatem, rogat postulatque, ut Redemptor adveniat : quo accedente, quia gratiam ipsis prioribus annuntiatam non receperunt, extremam promeritamque vastitatem jure perpessi sunt, quam ipse comminatus illis est his verbis : « Quoties volui congre- » gare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos » suos sub alas, et noluistis? Ecce relinquetur vobis do- » mus vestra deserta[1] : » quando secundum Apostolum, « pervenit ad eos ira in finem[2]. »

« Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, et super » fiilium hominis, quem confirmasti tibi. Et non » discedemus a te, vivificabis nos[3]. » Unam prædictorum omnium curationem docet Spiritus sanctus, nempe Christi Dei ad homines adventum. Quamobrem post prophetiam de vineæ vastitate, et de futuro ejus incendio, his supplicat ut Redemptorem exspectare liceat, virum dexteræ Dei, et filium hominis ab Deo confirmatum. Hic porro erat dilectus Dei : quem se nosse, ac ut adveniat in voto habere legentibus tradit; ut qui hæc prius edocti sunt, hac notitia et fide in illum instructi, malorum remedium ab eo se consecuturos sperent. Quare ex persona eorum qui medela opus habent ait : « Fiat manus tua super virum » dexteræ tuæ, et super filium hominis, quem » confirmasti tibi. Et non discedemus a te. » Hæc porro verbi sententia est : Vel nunc tandem manus tua occulta illa et invisibilis, illucescat in viro dexteræ tuæ ministro, et in eo qui filius hominis vocandus est : quem tu tibi pa-

[1] Matth. XXIII, 37. — [2] I Thess. II, 16. — [3] Psal. LXXIX, 18, 19.

rasti, atque ut instrumentum virtutis tuæ confirmasti, et quasi deitatis tuæ simulacrum excitasti. Nam hoc apparente, non ulterius idola colemus : sed neque multorum numinum errori serviemus, neque amplius a te recedemus. Postquam autem ab eo vitam, et salutem quæ in te est acceperimus, nomen tuum invocabimus : neque ulterius cujuspiam nomine appellabimur, non ab Israële Israëlitæ, neque a Juda Judæi; sed a tuo, Christe, nomine Christiani vocabimur. Quapropter secundum Symmachum dicitur : « Vivificabis nos, et nomine tuo vocabimur. » Mirari porro subit, cur Judæi hæc legentes, et a teneris unguiculis meditantes, non quærant quis fuerit ille vir dexteræ Dei, neque eum qui filius hominis vocatur cognoscant : quare in calamitate sua perseverant. Qui si ipsum novissent ac edidicissent, scirent utique Dei Verbum, quod præsenti supplicatione invocabatur, in ipso habitasse. Sed nos qui ipsum præexistens esse, ac de hominibus providentiam omnino gerere novimus; nam « in mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et » mundus eum non cognovit[1] : » scimus ipsum in propria venisse, quando manus ejus sive vis operans facta est super virum dexteræ ejus, qui in Evangeliis filius hominis vocatur : quem sibi ipse ex Spiritu sancto efformavit : quem si noverimus, defectioni nunquam obnoxii erimus, ab eo vitam accipientes, ejus nomine appellati. Nos itaque qui filium hominis expectamus, et spem nostram in ipsum conjecimus, hæc de nobis ipsi loquimur : pro membris vero nostris reliquam orationem fundimus his verbis : « Deus virtutum converte nos, et ostende faciem » tuam et salvi erimus[2], » sermonem in communi proferentes pro iis, qui nondum conversi sunt, necdum

1 Joan. I, 10. — 2 Psal. LXXIX, 20.

adventum ejus noverunt; ideoque nondum salutem a Deo sunt consecuti.

PSALMUS LXXX.

In finem pro torcularibus ipsi Asaph [1].

« Exultate Deo adjutori nostro, jubilate Deo Jacob[2]? » Psalmi pro torcularibus » inscripti, tres numero sunt : unus Davidis, nempe octavus; unus Asaphi, quem jam tractamus; Filiorum autem Core LXXXIII. Octavus itaque vocationem gentium aperte vaticinabatur, quam Spiritu divino prævidentes Dei Prophetæ, stupore afficiebantur : quare mirantis more exclamabant dicentes, « Domine Deus noster, quam admirabile est nomen » tuum in universa terra! » Octogesimus vero tertius multa tabernacula, multa altaria, atria plurima fore prævidebat; videlicet Ecclesias Dei per totum orbem constitutas, altariaque in illis bene multa : quæ his verbis declarat : « Quam dilecta tabernacula tua, Domine » virtutum ! » ac rursum, « Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini; » et iterum, « Altaria tua, » Domine virtutum. » Psalmus vero præsens, alios quidem exultare, jubilare et psallere jubet, Judaïci vero populi abjectionem ejusque causam declarat, et quidem valde consequenter ad priores prophetias. Nam quia in præcedenti interrogabat dicens : « Ut quid destruxisti » maceriam ejus, et vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viam? » hic dubium solvit his verbis : « Si » populus meus audisset me, Israël si in viis meis ambu-

[1] Psal. LXXX, 1. — [2] Ibid. 2.

» lasset, pro nihilo inimicos eorum humiliassem; » ac subjungit : « Et non audivit populus meus vocem meam, » et Israël non intendit mihi. Et dimisi eos secundum » desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis. » Quia igitur inobsequentiam eorum et immorigerum animum declarat, sermonem merito Spiritus sanctus transfert, et gentium vocationem annuntiat omnibus hominibus, sic eos alloquens : « Exultate Deo adjutori nos- » tro. » Hoc porro dicit ex persona chori prophetici. Ut enim in octavo psalmo dicebat : « Domine Dominus nos- » ter ; » ita ut qui hæc dicerent, Deum quasi sibi proprium prædicarent, quia eorum primum Deus fuerat; ita et hoc loco iidem eos, qui extranei et alieni facti sunt, evocantes dicunt : Heus vos, relictis iis quos errore ducti Deos æstimabatis, venite festinanter ad Deum nostrum, ipsique exultetis, qui semper nobis ipsi addictis adjutor fuit. Quis porro hic fuerit, deinde declarant dicentes, « Jubilate Deo Jacob : » ad Deum enim qui olim atavo nostro visus est accedentes, jubilate; secundum id quod in LXV, psalmo dictum est, « Jubilate » Deo omnis terra. » Quæ esset omnis terra, explicat qui ait : « Omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo » in voce exultationis[1]. » Eosdem itaque ipsos chorus propheticus in præsenti alloquitur dicens : « Exultate » Deo adjutori nostro, jubilate Deo Jacob. » Deum vero Jacob Servatorem vocat, qui in forma hominis Jacobo visus est : quando vocavit Jacob nomen loci in quo visus ipsi est Deus, « Speciem Dei : nam hæc addit, » Vidi « enim Deum facie ad faciem, et salva facta est anima » mea. » Huic enim, utpote qui rex noster sit, jubilare præcipit, triumphalemque hymnum ipsi emittere. Quomodo autem rex a Patre constituatur, ipse docet his ver-

[1] Psal. XLVI, 2.

bis : « Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion » montem sanctum ejus [1]. » Non solum autem vult vocatos jubilare Deo Jacob, sed etiam accipere psalmum et dare tympanum, et psalterium jucundum cum cithara. Secundum Aquilam vero, « Levate melodiam et date » tympanum, citharam decentem cum nabla; » secundum Symmachum autem, « Suscipite canticum, et date » tympanum, lyram dulcem cum nabla. » Aliquid igitur accipere, aliquid retribuere præcipit; accipere quidem secundum Aquilam melodiam; secundum Symmachum vero, canticum; retribuere autem tympanum, aut lyram dulcem cum nabla. Queis præcipitur, ut auribus quidem verbi doctrina excipiatur; actio autem corpore tribuatur. Canticum enim et melodia auribus verbo traditur : quare ait, suscipite canticum et melodiam secundum Aquilam et Symmachum. His vero acceptis, retribuite psalterium jucundum cum cithara, sive lyram dulcem cum nabla. Tympanum autem est instrumentum ex corporea pelle concinnatum; psalterium autem, citharæ species, chordis confectum est, quibus corpus nostrum subindicatur. Vult itaque ipsis operibus ac gestis præcepta verbis tradita impleri : et hæc agere jubentur quotquot in Ecclesiis Dei per totum orbem congregati sunt. Quapropter in finem et pro torcularibus hæc quæ diximus inscripta sunt. Torcularia enim ne aliud quidpiam dici putes, quam Ecclesias Dei, in quibus coacti, collectisque una fructibus nostris, unam commixtionem efficimus ad gloriam et lætitiam Verbi Dei. Mirum porro quo pacto præcedens psalmus incendium declaraverit, necnon vineæ ex Ægypto translatæ vastitatem et ruinam integram; hic vero psalmus, quasi alia vitis, alia vinea sit, imo vero multæ vineæ, torcularia inducit plurima :

[1] Psal. LXXX. 3.

fausta vero denuntiat illis qui ad ea vocati sunt. Pro primo igitur populo vineam unam, torcular unum, unamque vitem induxit qui ait : « Vinea facta est dilecto in » cornu in loco pingui. » Deinde ait : « Et protorcular » fodi in ea et plantavi vineam Sorec[1]. » In præcedenti vero unam vitem denotabat dicens : « Vineam de Ægyp- » to transtulisti. » In psalmis autem, qui « pro torcula- » ribus » inscripti sunt, multa declarat torcularia, plurimarum scilicet vinearum. Quod si novam vineam nosse velis quæ post prioris ruinam in hominibus exorta est, a Deo Verbo ediscas hæc de se docente : « Ego sum vitis » vera, Pater meus agricola est. Omnem palmitem non » ferentem fructum in me, tollit eum; et omnem feren- » tem fructum purgat eum, ut fructum plus ferat. Jam » vos mundi estis propter sermonem, quem locutus » sum vobis. Manete in me, et ego in vobis. Sicut pal- » mes non potest ferre fructum a semetipso nisi manse- » rit in vite; sic nec vos nisi in me manseritis. Ego sum » vitis, vos palmites. Qui manet in me et ego in eo, et » hic fert fructum multum : quia sine me nihil potestis » ferre [2]. » Priscæ ergo illius vineæ finem descripsit præcedens psalmus; vera autem vinea quem habeat cultorem et agricolam, quos palmites, quas botrus, salutaris doctrina declarat. Ex hujus itaque palmitibus per totum orbem distributis, vineæ constitutæ sunt, quarum fructus in unum collecti in Ecclesiis per orbem fundatis, multitudinem torcularium invexerunt. Qua de causa psalmi pro torcularibus inscripti per Spiritum sanctum prophetice pronuntiati sunt.

« Buccinate in neomenia tuba, in insigni die solem- » nitatis vestræ [3]. » Sub initium quidem sermo ad exsultationem vocabat, ac jubilare præcipiebat; hoc est,

[1] Isai. v, 1. — [2] Joan. xxv, 1. — [3] Psal. LXXX, 4.

triumphalem hymnum memorato Deo Jacob emittere, deinde suscepta doctrinæ verba operibus implere : absolutis autem operibus, tum demum omnibus hominibus prædicare et buccinare, vociferari item et in omnium auribus Evangelium nuntiare; quemadmodum Servator Discipulis præcipit suis dicens : « Quod in aure auditis, » prædicate super tecta [1]. » Quamobrem iis qui priora recte gesserant dictum est, « Buccinate. » Qua autem ratione ipsos buccinare voluerit, nisi qua olim et antiquitus qui veri imaginem, symbola et signa gerebant? Buccinabant porro illi in neomenia, et in insigni die solemnitatis ; idque agebant septimo mense, quo congregati, tubarum solemnitatem celebrabant, idque semel per annum præstabant. Ait ergo legis Scriptura : « Men» se septimo, prima mensis erit vobis requies, memo» riale tubarum : vocabitur sancta vobis [2]. » Ut igitur in neomenia illa clangebant, ita etiam nunc vocatos buccinare cupit. Erat autem dies illa solemnitatis tubarum, dies conspicua : aitque de illa Moyses, « Omne opus ser» vile non facietis : dies celebritatis erit vobis[3]. » Quapropter hic quoque dicitur : « In insigni die solemnita» tis vestræ. » Erat ergo insignis dies et festus dies, non alius rei quam tubarum, quare tubarum festum vocabatur. Cum autem tres essent eodem mense solemnitates, prima tubarum quæ in neomenia celebrabatur, secunda propitiationis, decima die mensis, tertia tabernaculorum, solam tubarum diem imitari præcipit dicens, « Buc» cinate in neomenia tuba; » quod clarius ita protulisset : sicut olim in neomenia, locum omnem circumcursantes buccinabant, ut festum indicarent; similiter et vos qui jubemini, « buccinate. » Vult porro gentium præcones, non cæteris Judaïcis observationibus animum

[1] Matth. x, 27. — [2] Levit. xxiii, 24. — [3] Levit. xxiii, 7.

adhibere, sed sola prædicatione uti, et omnibus hominibus salutare et Evangelicum verbum buccinare. Horum namque symbola Moyses instituebat, eratque præceptum in Israël lege sancitum quod buccinare oporteret, dieique festi tempus tuba omnibus significare[1]. Hoc vero præceptum ex judicio, voluntate et decreto Dei Jacob edebatur. Ipse namque Deus, qui Jacobo olim in viri specie et forma visus est, hic erat qui olim isthæc populum facere figurate per Moysem jubebat. Quod autem buccinare hic, clamare et omnibus annuntiare, significet, docet Servator his verbis : « Cum facis eleemo- » synam, noli tuba canere ante te[2]. »

« Testimonium in Joseph posuit illud, cum exiret de » terra Ægypti, linguam quam non noverat audivit[3]. » Memoratum de tubis præceptum, testimonium, inquit, posuit in Joseph. Secundum Symmachum vero, « Testi- » ficationem per Joseph posuit illud : » testimonium vero quasi testificatus dabat, eratque illud signum alterius rei. Aliquas enim tubas subindicabat, quarum officium cum Apostoli Servatoris nostri, tum Evangelici verbi præcones partim explebant, per omnem terram clangentes, omnibusque gentibus salutaris Dei adventus festum prædicantes. Arcanorum vero consummationem per Angelos futuram docet qui ait : « Tuba canet enim, et » mortui in Christo resurgent primi; ac rursum[4], » in « momento, in ictu oculi, in novissima tuba[5]; » iterumque, « Ipse Dominus in jussu et in voce Archangeli, et » in tuba Dei descendet[6]. » His porro Servator Discipulos suos initiabat dicens : « Et videbun filium hominis ve- » nientem in nubibus cœli cum potestate et majestate » magna. Et mittet Angelos suos cum tuba magna, et

1 Psal. LXXX, 5. — 2 Matth. VI, 2. — 3 Psal. LXXX, 6. — 4 1 Thess. IV, 15. — 5 1 Cor. XV, 52. — 6 1 Thess. IV, 15.

» congregabunt electos ejus ex quatuor ventis, a summis » cœlorum usque ad extremum eorum [1]. » Sed mortuorum quidem resurrectio, per Evangelicas tubas annuntiantes adventum regni Filii Dei, efficietur : Apostoli autem jam in primo adventu ejus tubis, magnis scilicet Spiritus sancti vociferationibus utentes, quotquot olim secundum animam mortui erant, ad vitam quæ in Deo est revocarunt. Quorum symbola tradens Moyses, tubarum festum lege sancivit. Quapropter dicitur : « Testi- » monium in Joseph posuit illud. » Quodnam illud præceptum erat? de tubis scilicet : ab una autem tribu Joseph totam gentem indicavit. Cur autem in his totam gentem Joseph vocavit? Quia Josephi occasione omnes in Ægyptum descenderunt. Quandonam vero testimonium, videlicet tubarum legem populo posuit, nisi quo tempore eduxit eum de terra Ægypti, quando linguam quam non noverat audivit? Cum enim in deserto versarentur, voce Dei dignati sunt, qui Decalogum ipsorum auribus exceptum, servandum tradidit. Tempore autem illo ab Ægyptiaca servitute et calamitate liberati sunt. Quamobrem dictum est, « Divertit ab oneri- » bus dorsum ejus, manus ejus in cophino servierunt[2]. » Secundum Symmachum vero : « Abstulerunt ab onere » humerum ejus : manus ejus a cophino liberatæ sunt. » Nam cum Pharaoni servirent, ac luto lateribusque astringerentur, civitates ipsi ædificantes, tunc sane cophinis manus, oneribus humeri defatigabantur. Cæterum visitatione Dei adveniente, liberi evasere. Quare ait : « Divertit ab oneribus dorsum ejus. » Quis vero divertit, nisi qui liberavit eos Deus? His porro dignatus eos est, quia in tribulatione ipsum invocabant. Quod etiam Moysis Scriptura declarat dicens : « Et ingemuerunt filii

1 Matth. XXIV, 30. — 2 Psal. LXXX, 7.

» Israël et clamaverunt ad Dominum, et ascendit cla-» mor eorum ad Deum [1]. » Quibus accinit hoc dictum sic habens : « In tribulatione invocasti me, et liberavi » te, exaudivi te in abscondito tempestatis, probavi te » apud aquam contradictionis [2]. » Pro illo autem, « Exaudivi te in abscondito tempestatis,» Aquila sic habet : « exaudiam te in abscondito tonitrui [2], » et Quinta editio similiter. Perinde subdit [3] : « Probavi te apud » aquam contradictionis [2]. » Quod ipsum clare Moysis Scriptura enarrat his verbis : « Non erat autem aqua ad » bibendum populo : et jurgatus est populus contra Moy-» sem dicens, Da nobis aquam ut bibamus. Ille vero di-» cebat, Quare jurgamini mecum, aut cur tentatis Do-» minum? » Postea vero, « Dixit Moyses ad »ominum, « Quid faciam populo huic? parum aberit quin lapident » me. Deinde ait Dominus ad eum, Hic ego sto ante te » in petra in Choreb. Et percutiam petram, et exibit » aqua, et bibet populus. Et fecit ita Moyses. Et vocavit » nomen loci illius, tentationem et jurgium, propter » jurgium filiorum Israël, et quia tentaverunt Dominum » dicentes: An est Dominus in nobis, necne[4]? » Hæc universum ex gentibus populum docet præsens prophetia; ut sciant quæ prisco illi populo acciderint, et qui finis ejus fuerit, atque ex ejus exemplo ad cautelam vocetur. Quare prædictis hæc quæ sequuntur necessario adjicit : « Audi populus meus et testificabor tibi Israël si au-» dieris me, non erit tibi Deus recens, neque adorabis » Deum alienum. Ego enim sum Dominus Deus tuus qui » eduxi te de terra Ægypti, dilata os tuum, et implebo » illud. Et non audivit populus meus vocem meam, et » Israël non intendit mihi. Et dimisi eos secundum de-

[1] Exod. II, 23. — [2] Psal. LXXX, 8. — [3] Exod. XVII, 1. — [4] Ibid. 4.

» sideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis[1]. » Talia erant, inquit, munera populo per me collata, qualia sermo enarravit. Sed quæ in me ipsi peregere, non similia, neque digna iis erant quæ a me consecuti sunt. Siquidem ego tot tantorumque ipsis largitor bonorum, hoc unum ab eis expetens, quod sane legum summa et caput est, ut non idola, sed me solum Deum colerent præcepi, his illos commonens verbis : « Audi populus » meus, et testificabor tibi : Israël si audieris me, non » erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum. » Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de » terra Ægypti. » Hæc monui, hæc præcepi : hæc erat totius legis meæ mens et sententia. Præceptis vero bonorum promissio copulabatur, cum dicerem : « Dilata os » tuum, et implebo illud, » Nam hæc si servetis, affatim ubertimque cibi vobis suppeditabuntur, sive corporei, sive ii qui per divinas disciplinas animæ subministrantur. Ego quidem hæc monebam, hæc promittebam ; illi autem vocem meam non audierunt : et Israël qui tantis beneficiis ornatus est, non intendit mihi ; ideo jure « dimisi eos secundum desideria cordis ipsorum. » Pro quo Symmachus interpretatus est, « Non audivit » autem populus meus vocem meam, et Israël non ob- » temperavit mihi. Dimisi ergo illos beneplacito cordis » sui, ut ambulent in consiliis suis. » Hinc divinus Apostolus de quibusdam docet : « Propter quod tradidit illos » Deus in desideria cordis eorum[2]. » Pro illo autem, « Non erit in te Deus recens, » Aquila, « Non erit in te » fortis alienus; » Symmachus vero, « Non sit in te Deus » extraneus, » interpretati sunt. Extraneum autem alienum et recentem Deum, qui talis apud gentes falso reputatur, nominavit, multorum numinum idololatriam

[1] Psal. LXXX, 9, 10, 11, 12, 13. — [2] Rom. I, 24.

sic carptim memorans. Quibus subdit : « Ego enim sum » Dominus Deus tuus, » declarans se neque extraneum, neque alienum, neque recentem Deum esse. Erat quippe unum et idem Dei Verbum, quod olim diversimode antiquis illis oracula fundebat, quodque Deus Jacob vocatur, quod item in consummatione sæculorum in terra visum est. Nam etiam ante divinum suum adventum in mundo erat, et mundus per ipsum factus est. Quamobrem hæc instituta tradit : « Ego enim sum Dominus » Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti. »

« Si populus meus audisset me : Israël si in viis meis » ambulasset; pro nihilo forsitan inimicos eorum humi- » liassem, et super tribulantes eos misissem manum » meam [1]. » Iram quippe Dei non injuria nec sine causa Judaïcam invasisse gentem sufficienter defendit. Videturque mihi ad præcedentes interrogationes, « Ut quid » Deus repulisti in finem, iratus est furor tuus super » oves pascuæ tuæ [2] ? » ac rursum, « Ut quid destruxisti » maceriam ejus et vindemiant eam omnes qui præter- » grediuntur viam [3] ? » responsionem instituere. Nam qua de causa hæc passi sint declarat his verbis, quia « non » audivit populus meus vocem meam, et Israël non in- » tendit mihi ; » et, « Si populus meus audisset me, » Israël si in viis meis ambulasset, pro nihilo forsitan ini- » micos eorum humiliassem. » Pro quo Symmachus interpretatus est, « In minimo forsitan inimicos eorum » vicissem, et super adversarios eorum convertissem ma- » num meam. » Hæc sane fecissem, inquit, contra inimicos populi, si morigeros illos habuissem, et si in viis meis quas præscripseram ipsis, incessissent. Nunc vero cum inobsequentes et immorigeri facti sint, sese ipsos inimicos Dei constituerunt. Deinde quoniam Spiritus sanc-

[1] Psal. LXXX, 14, 15. — [2] Psal. LXXIII, 1 ; Psal. LXXIX, 13.

tus immorigeros et inobsequentes illos, populum suum per humanitatis exsuperantiam vocavit, docet neminem qui vere populus Dei sit ipsi repugnaturum. Quamobrem infert : « Inimici Domini mentiti sunt ei [1]; » secundum Symmachnm autem, « Dominum exosum faciunt, qui » mentiuntur ipsi. » Additque : « Et erit tempus eorum » in sæculum. » Etiamsi enim talia ausi fuerint, attamen præsens sæculum obtinebunt. Et hoc eorum tempus est, quo post tot tantaque scelera « cibavit eos ex adipe fru- » menti, et de petra melle saturavit eos[2]. » Tunc porro illos proprio cibo replere dignatus est, non corporeo solum, sed etiam cœlesti et spirituali, cum ad ipsos primos Christus Dei peregrinatus est, atque in cibum ipsis, cœlestem panem, scilicet seipsum, dedit. Quin etiam in deserto ex quinque panibus mirabiliter cibavit eos; sicut olim per Moysen manna impertiit. Insuperque « ex pe- » tra melle saturavit eos : » Petra autem ipse erat, disciplinas suas, qualibet voluptate ac melle dulciores, ipsis suppeditans, de quibus dicere liceat : « Quam dulcia » faucibus meis eloquia tua ! super mel ori meo [3]. » Olim item per Moysen ex petra potavit eos. Mel autem de petra, hic non alio quam intelligendi more excipias : quoniam ipse Moyses in magno cantico idem testimonium profert dicens : « Suxerunt mel de petra, et oleum ex » duro saxo. » Quæ quidem non secundum nudam lectionem evenerunt, sed allegorice solum et cogitandi modo intelliguntur. Nam ipse Christus petra est, qui hæc omnia illis per doctrinam suam impertiebat, non eo solum tempore quo peregrinabatur, sed etiam ante carnalem suum adventum; ita ut ipsi prorsus inexcusabiles; Dei vero judicium, quo sub hæc ipsos repudiavit, justum sit. Cæterum hæc nobis qui ex gentibus ad divinam

[1] Psal. LXXX, 16. — [2] Ibid. 17. — [3] Psal. CXVIII, 103. — [4] Deut. XXXII, 13.

exultationem per priora verba vocati sumus, ad cautelam traduntur, ne in paria ipsi quoque incidamus.

PSALMUS LXXXI.

Psalmus ipsi Asaph[1].

« Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos » dijudicat. » Qui hunc præcedit sermo totum Judæorum populum incusat : nam ibi Deus aperte dicit : « Non audivit populus meus vocem meam, et Israël non intendit mihi. Et dimisi eos secundum desideria cordis » eorum; » ac rursum : « Si populus meus audisset me, » Israël si in viis meis ambulasset, pro nihilo forsitan » inimicos eorum humiliassem : » hic vero psalmus consequenter ad illa populi præsides accusat, principem enim et judices compellat his verbis : « Usquequo judicatis iniquitatem, et facies peccatorum sumitis? judicate pauperem et humilem pupillum et inopem justificate. » Deinde subdit : Hæc ego præcipiebam, illi vero « nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant. » Deos autem vocat eos, sive honoris quo populus ipsos afficiebat causa, cum timore atque veneratione ipsos perinde atque Deum adiens; sive quia locum Dei occuparent, judicandi munere suscepto, iniquos secundum legem sibi traditam supplicio pœnisque afficientes; vel quia a Deo adoptionis nomine exornati sunt; ita ut de ipsis dicatur, « Filios genui et exaltavi; » vel quia ad imaginem et similitudinem Dei, per spiritualem et rationabilem illam in hominibus substantiam, effecti

sunt. In hoc itaque psalmo statim post prædicta, eos qui accusantur his affatur : « Ego dixi, Dii estis et filii Altissimi » omnes. Vos autem sicut homines moriemini, et sicut unus » ex principibus cadetis. » Præsides itaque populi, sacerdotes videlicet et antistites sacrorum ac reliquos principes dijudicans Deus Verbum, hæc quæ jam tractamus enarrat. Quare dicitur : « Deus stetit in sinagoga deorum, in » medio autem deos dijudicat; » secundum Aquilam autem, « Deus stetit in sinagoga fortium, in visceribus » Dominus judicat; » secundum Symmachum vero, « Deus stetit in cœtu Dei, in mediis Deus judicans. » Hic vero Deus, scilicet Dei Verbum, memoratam deorum synagogam judicans et dijudicans, accusationes reis inducit. Et quia potentes potenter examinabuntur, jure prædictorum deorum ordinem segregat et seorsim judicat, cum jam in præcedenti psalmo promiscuæ populi turbæ accusationem protulerit. Imo etiam dijudicat; de iis qui digni salute sunt, ac de iis qui secus se habent, sententiam ferens. Non superbe, non tyrannice, non in alto constitutus judicat; sed judicandis sese attemperans, medius stat inter illos, per hominem quem suscepit ipsis habitu similis effectus. Hinc vero eos qui judicium subituri sunt, præviis monitis ad resipiscentiam vocat, ipsisque prospicit, ut ne in judicii supplicium incidant; sed sese prius emendent, sibique caveant ex oblatis criminibus.

Quocirca dicit : « Usquequo judicatis iniquitatem, et » facies peccatorum sumitis? Judicate egeno et pu- » pillo [1]. » His porro similia per Hesaïam quoque propheticus Spiritus vociferatus est : « Discite bonum facere, » quærite judicium, judicate pupillo et defendite vi- » duam : et venite et disceptemus, dicit Dominus. Et si » fuerint peccata vestra sicut purpura, quasi nivem

[1] Psal. LXXXI, 2, 3.

» dealbabo[1]. » Sed hoc quidem pactum Scriptura proponere antevertit; qui autem deorum nomine ornati, et tanta doctrina dignati sunt, « nescierunt, neque intel» lexerunt, in tenebris ambulant. » Hæc porro ad tempus item primæ Servatoris nostri peregrinationis referantur, quo ad synagogas Judæorum accedens, et in medium principum veniens, cum ipsis disputabat, ipsosque coarguebat, testificans edicensque ea quæ in futuro judicio ipsis eventura erant. Sic itaque Deus illo tempore stabat in synagoga deorum, et in medio memoratos deos judicabat. Pro illo namque, « dijudicat, » Symmachus et Aquila, « judicans, » interpretantur. Et perpende, quæso, quo pacto deos nominaverit eos de quibus judicatur, nec synagogam deorum memorare dubitaverit, ad confusionem eorum qui Salvatoris deitatem abnegant. Nam si eos qui convicti fuerant, et propter nequitiam male audiebant, deos vocare cunctatus non est; tot mirabilium opificem operum, qui judicium a Patre accepit, qui non æquissimum fuerit venerabili Dei honore celebrare? Quod ipse Servator pudore Judæorum principes afficiens, eosdemque his ipsis verbis compellans, objiciebat. Nam cum illi dixissent, « De bono opere non » lapidamus te, sed de blasphemia; quia tu, homo cum » sis, facis teipsum Deum: respondit eis Jesus, Nonne » scriptum est in lege vestra, Ego dixi dii estis? Si illos » dixit deos ad quos sermo Dei factus est, et non po» test solvi Sciptura; quem Pater sanctificavit et misit » in mumdum, vos dicitis quia blasphemat, quia dixi, » Filius Dei sum[2]. » Quod si Servator dicat, Nonne est scriptum in lege? ne mireris; quoniam quemlibet sermonem Dei, non solum qui per Moysen, sed etiam per Prophetas prolatus sit, quasi regiam quamdam legem acci-

[1] Isai. I, 17. — [2] Joan. X, 33.

piendum docet; ita ut præcepta per Prophetas tradita, jure leges Dei esse dicantur, et similiter quæ in psalmis feruntur. Ipsum itaque Dei Verbum, quod formam servi accepit et habitu inventum est ut homo, stetit in synagoga deorum, et medium stans inter homines, qui dii vocantur, judicabat eos; cum diceret illis: « Sermo » quem locutus sum vobis, ipse vos judicat[1]. » Hanc porro Scripturam præstabilius est hoc accipere modo, quam putare Deum qui super omnia est, ipsum Patrem, hic induci inter alios deos stantem. Neque enim licet alios ipsi honore æquales esse suspicari, neque ipsum ita deprimere, ut medius inter homines esse et stare supponatur. Hæc porro omnia Christo Dei competant: qui sane cum hæc dicit, « Usquequo judicatis iniquitatem, et » facies peccatorum sumitis? » non eos solum quos præsens alloquebatur, sed etiam omnes quotquot potestatem de aliisjudicandi acceperint, sic compellat. Merito autem arguit eos, qui divitum personam in occulto accipiunt, pauperes autem opprimunt: cum oporteat cum justitiæ bilance judicium ferre, memores legis quæ ait: « Non » accipies personam in judicio[2]. » Nunc autem plerumque nos erga pauperes in modica lapsos, immanes sumus judices, atque in sententia contra eos ferenda inexorabiles; divitum vero qui gravissima crimina perpetrant, ac deinde in Ecclesiam Dei accedunt, personam accipimus, ita ut nobis etiam competat illud: « Usquequo ju- » dicatis iniquitatem, et facies peccatorum sumitis? » Cum autem dicit, « Usquequo, » de vitæ exitu nos admonet. Quantum, inquit, temporis vobis aderit quo tales sitis? ac demum vos Dei judicium invadet.

Quare subdit: « Judicate egenum et pupillum, humi- » lem et pauperem justificate. Eripite pauperem, et ege-

[1] Joan. XII, 48. — [2] Deut. XVI, 19.

» num de manu peccatoris liberate[1]. » Si itaque his audi-tis ad disciplinam accedamus et præcepta servemus, ex sermonibus utilitatem percipiemus. Etenim nobis quoque dicetur : « Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris » ambulant[2]. » Quid autem nescierunt neque intellexe-runt, nisi se quam primum tribunali Dei sistendos esse, rationem de judiciis injuste latis reddituros ? Illi vero judicium Dei præ oculis non ponentes, in tenebris am-bulant, ignorantiæ caligine mentis oculos opplentes. Quamobrem par est eos verbi splendore illustratos, aut non judicare, memores ejus qui dixit, « Nolite judicare, » ut non judicemini[3]; » aut si id aliquando necesse fuerit, justissimum judicium ferre, ac peccatores con-vincere, etiamsi oportuerit pro veritate mori, in ani-mum inducentes, in universali Dei judicio, quod per Christum suum laturus est, omnium fore consummatio-nem et mutationem. Quod judicium declarat id quod se-quitur[4]. « Movebuntur omnia fundamenta terræ. Ego » dixi, Dii estis, et filii Altissimi omnes. Vos autem si-» cut homines moriemini et sicut unus de principibus » cadetis[4]. » Memoratis diis, ducibus videlicet et princi-pibus populi, qui in medium eorum venit Deus, hæc etiam loquitur : docens se quidem Patris liberalitatem imitatum, nulla invidia cohibitum, deitatem communi-care suam; ita ut illos quoque omnes deos et filios Altis-simi vocaret, quod tamen sibi soli inerat; illi vero gra-tiam contumelia affecerunt. Quo pacto autem qui a Deo imperium accepere, deorum honorem apud subditos ob-tineat, intelliges, si animo advertas dictum Moysi fuisse : « Ecce constitui te hodie deum Pharaonis, et » Aaron frater tuus erit tibi propheta[5]. » Sicut enim

[1] Psal. LXXXI, 4. — [2] Ibid. 5. — [3] Matth. VII, 1. — [4] Psal. LXXXI, 6-7. — [5] Exod. VII, 1.

Moyses cum homo Dei esset, et ab eo honorem accepisset, deus Pharaonis appellatus est, eodem modo quotquot a Deo honorem acceperint, deorum loco subditis habentur. Quamobrem iidem subditi ad eos cum reverentia et timore accedunt, non ob militare satellitium, non ob divitias et potestatem, sed ob honorem ipsis a Deo inditum. Sic enim Moysis vultus gloria replebatur, sic Apostolorum Salvatoris nostri, sic olim Dei Prophetarum, sic omnium qui vere servi Dei erant; qui dum sine splendore pauperesque vitam degerent, a religiosis tamen hominibus ob inditam sibi gratiam in honore habebantur. Ego quidem, ait, sic volui, sic dixi, Dii estis. Volui sane vos perinde atque me in medio vestrum stantem Deum, Altissimi filios effici; vos autem gratiam contempsistis. In vestra itaque humana malitia, et in peccatis vestris moriemini. « Anima » enim « quæ pecca- » verit, ipsa morietur[1]. » Quapropter « vos sicut homi- » nes moriemini, et sicut unus de principibus cadetis. » Quemadmodum enim olim diabolus honore affectus fuit apud Deum, et principum in cælis angelorum unus fuit; deinde pravo consilio usus, ex loco suo decidit, ita ut de illo dicatur: « Quomodo cecidit de cælo Lucifer, qui » mane oriebatur[2]? » tales et vos quoque fuistis: non quod natura mali sitis, sed electione vestra non bona usi. Sane vero ea quæ a me proficiscuntur, ad Dei honorem vos evocabant. Vos autem lapsus principem imitati, « sicut unus de principibus cadetis. Surge Deus judica » terram, quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus[3]. » Cum in præcedenti psalmo totam judaïcam gentem accusasset, et in præsenti principum populi accusationem instituisset, admodum consequenter jam reconciliationem et adventum Christi postulat, non Judæorum genti;

[1] Ezech. XVIII, 4. — [2] Isai. XIV, 12. — [3] Psal. LXXXI, 8.

sed omnibus populis. Quare sic concludit : « Surge Deus, » judica terram, quoniam tu hæreditabis in omnibus » gentibus. » Quis autem sit qui hæreditavit in omnibus gentibus, ne interroges, sed rem perquire; et deprehendes non alium esse, quam Christum Dei; cui a Patre dictum est, « Filius meus es tu : ego hodie genui te. Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et » possessionem tuam terminos terræ[1]. » Hunc ergo qui in medio deorum Deus consistit, et homines illos coarguit excitans, rogat ut jam demum factam sibi promissionem ad finem deducat, dicens : « Surge Deus, judica ter- » ram, quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus. » Nam ii qui prius accusati sunt, inquit, quod iniqui judices fuerint, in tenebris ambularunt. Quoniam vero te juste judicare decet, soli quippe Filio Pater judicium dedit : jam demum tu ipse surge, resurrectione tua communem omnium resurrectionem facturus, et judica terram, omnes homines videlicet qui in terra versantur. Tibi porro convenit omnes homines judicare ; quoniam « in hæreditabis in omnibus gentibus. » Et præsens quidem psalmus synagogam deorum memoravit, ac Deum in medio stantem, deosque dijudicantem, totamque doctrinam suam de judicio instituit; in fine vero adjecit illud, « Surge Deus, judica terram. »

Hæc porro omnia Spiritus sanctus per Prophetam Asaph extulit. Quia vero XLIX psalmum, qui et ipse Asaphi inscribitur, de judicio item edisserentem deprehendimus perinde atque præsentem, jure existimamus illum huic subnectendum esse, utpote qui similiter Asaphi sit, et idem argumentum pertractet. Nam ibi quoque dictum fuit : « Deus deorum Dominus locutus est, et » vocavit terram a solis ortu usque ad occasum. » Ani-

[1] Psal. II, 7.

madvertas quippe velim, præsentis finem sic habere, « Surge Deus, judica terram; » et quadragesimi noni initium hoc esse, « Deus deorum dominus locutus est, » et vocavit terram [1]. » Hic etiam dicitur, « quoniam » tu hæreditabis in omnibus gentibus; » ibi vero, « A » solis ortu usque ad occasum. » Ac rursum in XLIX, dictum est : « Deus manisfeste veniet, Deus noster et non si» lebit.» Cum venerit autem, quid acturus sit, docet præsens psalmus his verbis : « Deus stetit in synagoga » deorum, in medio autem deos dijudicat. » Quomodo dijudicabit, declarat XLIX, his verbis : « Ignis in cons» pectu ejus exardescet, in circuitu ejus tempestas va» lida. Advocabit cælum desursum, et terram dijudicare » populum suum [2]. » Horum causa merito arbitramur quadragesimum nonum huic psalmo subjungendum esse. Illudque item observandum, eosdem psalmos perinde atque subsequentes, qui item Asaphi sunt, abjectionem Judæorum ejusque causas complecti. Quadragesimus vero nonus, ab eodem Propheta scriptus, per sacrificiorum repudiationem, Mosaïcæ legis abrogationem inducit, ita ut in illo ejusdem argumenti series sententiaque exhibeatur. Qua vero de causa XLIX, a præsentibus avulsus et ante quinquagesimi psalmi confessionem positus sit, jam in ejus commentario disputatum est [3].

[1] Psal. XLIX, 1. — [2] Psal. LXIX, 3. — [3] Vide p. 208.

PSALMUS LXXXII.

Canticum psalmi ipsi Asaph [1].

« Deus quis similis erit tibi? ne taceas, neque com» pescaris Deus. » Septuagesimus nonus psalmus destructionem vineæ, Judaïcæ gentis ruinam, loci qui penes eos in pretio et honore habebatur incendium et vastitatem prænuntiabat; duo sequentes causam hujus calamitatis enarrabant; hic vero iis conjunctus, supplicationem et obsecrationem pro populo effert. Post tristia quippe illa quasi medelam quamdam prædictis admovere consentaneum fuit, quandoquidem psalmi Asaph in hoc circumscribentur. Quamobrem canticum psalmi inscriptus est, quia bona populo precatur. Est porro undecimus eorum qui Asaphi inscribuntur, quorum primus erat LXXII, ita ut in eorum quoque numero censeatur XLIX, quia is etiam est Asaphi: atque ita omnes duodecim numero sunt. In præsenti igitur Propheta Deo supplicans ait: « Deus quis similis erit tibi, ne taceas neque com» pescaris Deus. » Ait quippe, Deo patienti, toleranti, ideoque omnes ferenti, nemo similis. Nam quis perinde atque tu, atheorum et impiorum blasphema dicta et superbiam ferre valeat? Quare tibi quidem Deo nemo similis erit. Ego vero ut homo infirmitate superatus mea, hæc supplicare audeo, tibique Deo cum precibus dicere, « Ne taceas, neque compescaris Deus. » Tunc vero tacere Deus dicitur, cum insurgentibus atheis et impiis viris, quasi non advertens ille manet, neque confestim

[1] Psal. LXXXII, 2. — [2] Ibid. 2.

ultionem sumit, nec promeritis eos suppliciis aggreditur. Quamobrem ipse Asaph in XLIX, psalmo Deum hæc peccantibus dicentem inducit : « Hæc fecisti et tacui : » existimasti inique quod ero tui similis[1]. » Causam vero silentii, patientiæ et tolerantiæ Dei docet Apostolus, hæc scribens : « An divitias bonitatis ejus et patientiæ et » longanimitatis contemnis, ignorans quod benignitas » Dei ad pœnitentiam te adducit[2] ? » Sed tu quidem, ait, ut Deus, omnes sustines, omnes clementer toleras, ac de Diis siles qui impie et nefarie peccant, et contra te Deum blasphema dicta proferunt. Ego vero cum hæc videre non possim, supplico deprecorque veniam consequi, quod non simili atque tu modo tolerare valeam : nam quis similis erit tibi ? Quapropter ut homo, studio pietatis erga te incensus, supplicare tibi audeo ut finem facias tolerantiæ et silentii, ac jam demum moveare adversus eos qui intolerabilia ausi sunt. Ideo dico, « Ne ta- » ceas neque compescaris. » Pro quo Aquila, « ne » quiscas, Symmachus vero, » Ne cesses, interpretati sunt. Deinde subdit : « Quoniam ecce inimici tui sonue- » runt, et qui oderunt te extulerunt caput[3]. » Secundum Aquilam vero, « Quoniam ecce inimici tui turba move- » runt, et qui oderunt te extulerunt caput ; secundum » Symmachum vero : » Ecce enim inimici tui, « inquit, » una sonant, et qui oderunt te efferunt caput. » Sonant autem et turbas movent inimici Dei, cum non latenter neque remisse blasphema dicta contra Deum proferre audent ; sed palam et confertim omnes in Deum impia verba evomunt, qualia persecutionum tempore audent efferre. Deinde erecta cervice frementes caput exaltant, quando maxime silentium Dei inducias ipsis præbet. His vero caput efferentibus, Dei homines afflicti humilian-

[1] Psal. XLI, 21. — [2] Rom. II, 4. — [3] Psal. LXXXII, 3.

tur; ut vice versa depressis inimicis Dei, sanctorum religiosorumque virorum capita exaltantur. Quare ex eorum persona alicubi dictum est : « Et nunc exaltavit caput » meum super inimicos meos [1].»

« Super populum tuum malignaverunt consilium, et » cogitaverunt adversus sanctos tuos. Dixerunt, Venite » et disperdamus eos de gente, et non memoretur nomen » Israël ultra [2]. » Deum obsecrat Propheta in Spiritu sancto, monens eum, qui talia patitur, populum ejus esse. Sub hæc autem eorum qui in populo jam olim conspicui fuerunt, sanctorum Dei meminit, supplicans obsecransque, ut ne impiorum sceleratorumque in populo, sed sanctorum suorum recordetur, eorumque gratia totam gentem misericordia donet. Affinia autem impiorum gestis perpetrantes inimici Dei, populum ejus oppugnant, versutia utentes et dolo, ut ipsum dejiciant et a pietate erga Deum avertant. Quocirca dictum est : « Super populum tuum malignaverunt consilium, et co- » gitaverunt adversus sanctos tuos. » Meditati enim cum sollicitudine quasdam occultas machinas contra populum Dei instruunt, et sanctis ejus insidias parant, ac, ob unum quem in animo proponunt scopum, aiunt, « Ve- » nite et disperdamus eos de gente, et non memoretur » nomen Israël ultra. » Inimici itaque Dei populum Dei in hominibus consistere nolunt : quinetiam Israëlis nomen delere satagunt. Deus vero post prioris populi ruinam, populum sibi semper in terra parans, ex gentibus Ecclesiam constituit, novam nuperamque gentem, ex gentibus per totum orbem selectam. Idcirco et Israëlis nomen, et omnium religiosorum virorum memoria magis magisque celebratur, et piæ religionis gesta resplendent.

[1] Psal. XXVI, 6. — [2] Ibid. 4, 5.

« Quoniam cogitaverunt unanimiter simul : adversum » te testamentum disposuerunt tabernacula Idumæo» rum, et Ismaëlitæ, Moab et Agareni, Gebal et Am» mon et Amalec, alienigenæ cum habitantibus Tyrum. » Etenim Assur venit cum illis, facti sunt in adjutorium » filiis Lot, Qiapsalma[1]. » Quasi Deum excitans irritansque Propheta in sua pro populo supplicatione ait, « ad» versum te. » Non enim contra populum, inquit, sed adversum te, et adversus testamentum tuum inimici populi tui machinantur. Hinc narrat quæ in Assyriorum irruptione contra Judaïcum populum gesta sunt. Et hæc vaticinatur, postquam quibus de causis hostibus traditi sint enarraverat. Nam in præcedenti psalmo principes populi coarguebat dicens : « Usquequo judicatis iniqui» tatem ?» ac rursum, « Nescierunt neque intellexerunt, » in tenebris ambulant. » In superiori vero totam gentem accusabat, dicens : « Et non audivit populus meus » vocem meam, et Israël non intendit mihi[2]. » Sed etiam in LXXVII, facinorum ipsorum longum catalogum texuit. Consequenter igitur quæ diuturno post tempore ipsis contigerunt ob allatas causas vaticinatur. Illic autem variis temporibus obsessi sunt, primum a Babyloniis; secundo ab Antiocho rege Syriæ; postremo a Romanis post patratum in Servatorem nostrum scelus. Opportune ex Spiritus præscientia tres illas obsidiones idem Propheta prænuntiat: nam in LXXII, postremam significat, ut propriis in locis declaravimus; in LXXVIII, eam quæ sub Antiocho Syro contigit, uti commonstratum est; in præsenti autem primam meminit, scilicet Assyriorum, quam etiam LXXIX, vaticinatus est, vineæ incendium et vastitatem significans. Ex historia igitur edisci potest, quot gentes in unum contra Judaïcum populum coactæ sint

[1] Psal. LXXXII, 6, 8, 9. — [2] Psal. LXXX, 12.

in prima Assyriorum irruptione, quas præsens prophetia recenset: quæ primos numerat Idumæos, deinde Ismaëlitas, tertio Moabitas, quarto Agarenos, hinc Gebalenos et Ammonitas, et Amalecitas. Præter hos autem dicit, « Alienigenæ cum habitantibus Tyrum. » Pro illo autem, « alienigenæ, » Aquila et Symmachus « Phylistæam » ediderunt. Hoc porro nomine appellari solent qui Gazam, Ascalonem et maritimam incolunt. Hi itaque maritimi Allophyli cum habitantibus Tyrum irruerunt, inquit, in populum tuum; et præter hos omnes Assyrius, quod sane caput malorum est, cum iis impetum faciens, illisque commilitonibus usus castra posuit: omnesque prædicti simul « facti sunt in adjutorium filiis Lot. » Pro quo Aquila. « Facti sunt, » inquit, « brachium filiis » Lot; » Symmachus vero, Facti sunt commilitones filiis Lot. Filii autem Lot erant Ammonitæ et Moabitæ: nam hi duo filii Lot fuere, Moab et Ammon. Hæc porro non alio quam Assyriorum tempore gesta fuisse aperte narrat historia. Illo quippe ævo omnes finitimi populi Jerosolymæ et ei, quod in Scriptura fertur, templo Dei istic posito invidentes, perniciemque totius Judaïcæ gentis sitientes, una irruerunt contra illos, Babyloniorum potentiæ et commilitio adscripti. Tunc multæ adversus eos gentes Assyriis auxiliantes coactæ sunt. At neque Antiocho neque Romanis, in postrema obsidione, gentes prius enumeratæ, in bello contra Judæos inito, opem tulisse videntur.

« Fac illis sicut Madian et Sisaræ, sicut Jabin in tor- » rente Cison. Disperierunt in Ændor, facti sunt ut ster- » cus terræ. Pone principes eorum sicut Oreb et Zeb et » Zebee et Salmona[1]. » Eadem memoratis gentibus futura vaticinatur Propheta, quæ olim Madian, Sisaræ et

[1] Psal. LXXXII, 10, 11, 12.

Jabim in torrente Cison contigerunt : qui omnes disperierunt in Ændor, et facti sunt ut stercus terræ. Ad hæc etiam principes prædictorum populorum eadem perpeti rogat, quæ Oreb et Zeb et Zebee et Salmonas. Horum porro omnium historiam reperias in libro Judicum : ubi quæ Sisara et Jabin atque alii, qui supra recensentur, contra Israëlem moliti sunt, et quæ iidem sunt perpessi, Scriptura enarrat[1]. Eo autem mittemus, si quem ea ediscere libeat quæ ad ipsos attinent : nam æquo prolixior eorum enarratio foret. Eadem porro quæ illi, istos etiam perpeti rogat, quia eodem et isti modo dixerunt : « Hæ» reditatem possideamus sanctuarium Dei[2]. » Illa vero dicebant Sisara, Jabin, et reliqui nominatim recensiti, de Tabernaculo et de arca Dei : hæc quippe erant sanctuarium Dei, cum nondum Jerusalem consisteret. Hæc porro Propheta precatus est adversus eos qui superius indicati sunt, nec diu postea precatio est effectum consecuta. Nam secundum illam Judæorum obsidionem, Assyriorum imperium de repente solutum est, postquam diuturno ævo stetisset; et quidem usque ad illud tempus, quo talia contra Jerosolymam aggredi ausi sunt. Non diu itaque postea Cyrus, cum Persarum regnum occupasset, Assyriorum imperium evertit. Reliquæ vero singulatim recensitæ gentes ea sunt perpessæ, quæ hoc sermone prænuntiantur; ita ut e re quispiam dixerit, Prophetam memoratis gentibus non imprecari mala, sed futura vaticinari, ac pro assueto Scripturæ more, imperantis modum, loco prænuntiantis, usurpare; adeo ut isthæc, « fac il» lis, » nos sic intelligamus, « Facies illis sicut Madian » et Sisaræ. » Hæc porro de Assyriorum, aliarumque his recensitarum gentium excidio prænuntiantur. Neque tamen de iis qui post Salvatoris nostri adventum postre-

[1] Judic. c. IV et seqq. — [2] Psal. LXXXII, 13.

mam Jerosolymorum obsidionem fecerunt, similia feruntur. Quare nihil tale Romani post illatam genti cladem perpessi sunt.


« Deus meus pone illos ut rotam, et sicut stipulam » ante faciem venti[1]. » Non intempestive Propheta, imo potius in eo Spiritus sanctus, Deum ut sibi proprium in hujusmodi narratione memorat dicens, « Deus meus : » neque enim ait, « Deus noster ; » sed, « Deus meus ; » quasi vel unus tantum, vel admodum pauci tempore Assyriorum obsidionis Deo digni relicti fuerint. Nam cum populus omnis lapsus et peccatorum causa obsidentibus traditus esset, non communiter Deum compellat ; sed ex propria persona sic infert : « Deus meus pone illos ut ro» tam. » Ea autem rotæ natura est, ut volubilis sit, nec eodem in loco consistat. Talis vero tota atheorum vita est, quæ certum ad tempus in sublime evecta, deinde instar rotæ in contrarium vertitur. Primum itaque, « pone » illos ut rotam, » inquit; deinde, « sicut stipulam ante » faciem venti, » et, « sicut ignis qui comburet sylvam ; » sub hæc, « sicut flamma quæ comburet montes[2]. » Ipsos namque adversum seipsos insurrecturos, ac sibi ipsis admissorum scelerum supplicium illaturos vaticinatur his verbis, « Pone illos. Huic autem dicto, » sicut stipulam ante faciem venti. « istuc alibi prolatum adjicias, » non sic impii, non sic ; sed tanquam pulvis quem pro» jicit ventus a facie terræ[3]. » illud autem, « sicut ignis » qui comburet sylvam, » declarat illos ipsos ignem, eosdemque sylvam esse; ita ut ipsi a seipsis comburendi sint, secundum illud : « Incedite ad lucem ignis vestri, et ad » flammam quam succendistis[4]. » Illud vero, « Sicut » flamma comburet montes[5], » nequitiæ eorum magnitu-

[1] Psal. LXXXII, 14. — [2] Ibid. 15. — [3] Psal. I, 4. — [4] Isai. L, 2. — [5] Psal. XXXII, 16.

dinem effert, ac denuntiat quomodo flamma ipsorum, elationem et superbiam eorum, montium instar erectam, combustura sit. Subsequitur deinde : « Ita persequeris » illos[1] : » alibi quoque dictum est, « Ignis et sulphur » et spiritus procellarum pars calicis eorum[2]. » His porro declaratur, procellam iramque Dei non animi motum in Deo esse; sed ejus providentiam, qua curat eos contra seipsos insurgentes, sibi facinorum pœnas infligere. Hæc omnia accidere precatur, sive potius prænuntiat adversus inimicos Dei eventura, ut vel hinc saltem aliquando juventur. Siquidem summa est utilitas, nosse Deum, et ad inquisitionem nominis ejus venire, quod ipsis accessurum esse post prædicta docet his verbis : « Et quærent » nomen tuum, Domine. Erubescant et conturbentur in » sæculum sæculi, et confundantur et pereant. Et cog- » noscant quia nomen tibi Dominus : tu solus Altissimus » in omni terra[3]. » Inimicorum Dei mortem duobus futuram modis vaticinatur; alio quidem quo illis spem bonam ascribit; siquidem bona res est cum Dei cognitio, tum nominis ejus comprehensio; itidemque bonum est eos, qui prius Deum non norant, edoceri ipsum solum esse Altissimum super omnem terram; eos quippe, qui talia profitentur, verisimile est jam multiplicium deorum errorem oblivioni mandasse, ac vanam fallacemque falsorum deorum doctrinam abjecisse : alio item modo, turpitudinem, perturbationem, et confusionem, ac præter hæc omnia perniciem prædicit iis qui eorum digni sunt. At enim iis qui ex divinitus immissa conversione sese ad meliorem frugem receperint, divinam adfore cognitionem denuntiat; iis vero qui in nequitia sua consenuerint, exitium ac perniciem interminatur. Quamobrem de pejoribus quidem illis dictum est, « Erubescant

[1] Psal. LXXXII, 17. — [2] Psal. X, 7. — [3] Psal. LXXXII, 18, 19.

» et conturbentur in sæculum sæculi, et confundantur » et pereant; » de iis vero qui ad meliorem se vitam recepturi sunt, illud profertur, « Et cognoscant quia no» men tibi Dominus, tu solus Altissimus in omni terra. » Possunt etiam de iisdem hæc omnia dici; quasi videlicet inimici Dei, quo tempore illa superius memorata perferent, confusione atque rubore replendi, ac perniciei tradendi sint, ipsa experientia cognituri ac confessuri unum solumque Deum esse Altissimum in omni terra, qui ipsos justo judicio ac facinorum suorum causa invadit.



PSALMUS LXXXIII.

In finem, pro torcularibus, filiis Core[1].

« Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum[2]! » Postquam defecere psalmi Asaph inscripti, quorum primus LXXII postremus vero LXXXII erat; jam sequitur LXXXIII filiis Core inscriptus, de quibus in disputatis superius sententiam aperuimus nostram. E re autem fuerit observare omnes Asaphi psalmos duodecim numero esse; totidemque qui « filiorum Core » inscripti sunt. Verum filiorum Core octo psalmi conjunctim positi sunt, a XLI videlicet orsi : reliqui vero quatuor hic sunt constituti, incipientes ab LXXXIII, ac post eos, qui Asaphi inscripti sunt, consequenter positi. Pariterque ex Asaphi psalmis, undecim consequenter positi sunt, a LXXII nempe ad LXXXII. Duodecimus vero octo priores filiorum Core psalmos subsequitur; ita ut ceu mutua quædam pensatio fiat ob prophetias quæ in utrisque communem specu-

[1] Psal. LXXXIII, 1. — [2] Ibid. 2.

landi morem servant. Erant itaque priores illi filiorum Core psalmi octo numero, qui omnes a XLI initium ducunt, et in XLVIII desinunt. Ii vero, ut compendio dicam de populo ex circumcisione fletum ac planctum, Christi adventum, atque vocationem gentium, commemorant. Hoc sane est illorum octo psalmorum argumentum. Ex hisce vero, de quibus nunc agitur, filiorum Core psalmis quatuor numero, duo postremi ortum et mortem Servatoris complectuntur : ac si videlicet Scriptura omnium vaticinia in fine exponere opportune sibi reservarit. Multa autem de ejus ortu in LXXXVI obscure subindicantur; at multo plura et profundiora de morte ejus quam pro hominibus sustinuit, qui postremus filiorum Core inscribitur, nempe LXXXVII complectitur. Duo autem qui in his primum locum occupant, scilicet hic quem tractamus et subsequens, ejus ad homines adventum, et præclara quæ hic editurus erat gesta vaticinantur. Hic porro inscribitur, « In finem, pro torcularibus. » Cumque tres sint qui hoc titulo insigniuntur, hic ex eorum numero « pro torcularibus » similiter inscriptus est; itidemque VIII et LXXX. Verum ex iis duo nuncupantur psalmi, nimirum VIII et præsens. Quare præsentia bona denuntiant. LXXX vero pro « torcularibus » quidem inscriptus est; sed non psalmus, quia contra Israëlem tristia quædam complectitur. Hi porro tres « pro torcularibus » inscripti, ad tres personas pertinent; octavus nempe ad Davidem, LXXX ad Asaphum, hic vero quem tractamus ad filios Core. Atque pariter iidem tres inscribuntur « in » finem, » idque, ut arbitror, ob prophetias quas efferunt, quæ in fine temporum et in consummatione sæculi completæ sunt.

Olim quidem cum una esset vinea de qua dictum est,

« Nam vinea Domini Sabaoth, domus Israël est[1]. » unum ceu torcular in illa erat, cujus meminit Hesaïas ex persona Domini dicens : « Et ædificavi turrim, et protorcu- » lar fodi in ea[2]. » Per turrim vero, Jerosolymitanum fortasse templum significat, per protorcular autem, altare in templo situm : quod sane merito non torcular, sed protorcular vocavit, quia spiritualibus corporalia præibant, et novum Testamentum a veteri præceditur, quod symbola imaginesque veritatis apud Judæos conservabat : ideo altare ipsorum non torcular, sed protorcular vocabatur. Ac cum una esset vinea, unum erat torcular, unius templi altare. Tres porro psalmi de quibus jam sermo, non unum, sed plura torcularia memorant, queis indicantur Ecclesiæ Servatoris nostri totum per orbem constitutæ. In præsenti vero, statim dicitur in titulo, « pro torcularibus ; » mox subsumitur : « Quam dilecta » tabernacula tua, Domine virtutum! » quibus pene declaratur quænam illa præmissa tabernacula fuerint. Palam quippe dicitur esse tabernacula Domini, videlicet Ecclesias ejus, quas in sequentibus clarius his verbis commemorat : « Concupiscit et deficit anima mea in atria » Domini[3]. » Sub hæc rursus ait : « Altaria tua, Domine » virtutum. » Ac perpendas, quæso, annon pari, atque in titulo qui « pro torcularibus » scribitur, oratione tabernacula pluraliter exprimantur, itidemque atria et altaria; ita ut non jam antiquum illud unum tabernaculum Jerosolymis situm, non unum ibidem positum altare, non unum atrium eodem consistens loco, sed universa per orbem altaria, tabernacula et atria hic Scriptura significet. Alii quidem, ait, alia diligunt et magni faciunt; mihi vero, Domine, tabernacula tua dilecta et amabilia sunt, in quibus ipse una cum hominibus morari sedesque

[1] Isai. v, 7. — [2] Ibid. 2. — [3] Psal. LXXXIII, 3.

ponere dignatus es; nam dicis : « Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, illic sum in medio eorum[1]. » Ita porro mihi hæc jam memorata dilecta et amabilia sunt, ut fatear ex eorum concupiscentia animam, eorum amore victam, deficere, atque illam in atriis tuis commemorationem, vitæ quoque anteponere. Neque solum anima, sed et cor meum deficit; imo vero ipsum corpus et caro qua circumvestior. Hæc etenim ex vitæ illius quæ penes te est memoria, gaudio et lætitia replentur; ita ut vere dicam : « Cor meum et caro mea » exultaverunt in Deum vivum. » Deus quippe noster vivens, qui solus propriam et naturalem in se vitam possidet, imo potius omnis vitæ fons est, eam omnibus ad se accedentibus impertit. Quamobrem ipsa caro mea, quæ natura sua mortalis et corruptioni obnoxia est, gaudet et gratulatur; quia per eam immortalis vitæ consors, et divinæ gratiæ particeps futura est.

Hæc autem ait Propheta, suum exhibens adversus ea quæ in prophetia enuntiantur studium et amorem. Ideo Servator noster dicebat : « Multi prophetæ et justi voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt[2] » Ait porro una cum corde carnem ipsam exultare in Deum vivum; queis, ut æstimo, ipsam Servatoris nostri ex mortuis resurrectionem adumbrat. Quia enim ii qui inter gentes dii existimantur, mortui et inanimati sunt : nam « simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum » hominum[3]. » hæc tamen illi olim homines venerabantur. Ego vero, inquit, non deum hujusmodi, sed Deum vivum contemplans, gaudio in corde repleor : ipsaque caro mea in hunc Deum exultavit, utpote in Deum vere viventem et mortuos vivificantem, qui hanc ipsam carnem meam per resurrectionem suam reviviscere faciet.

[1] Matth. XVIII, 26. — [2] Matth. XIII, 17. — [3] Psal. CXIII, 4.

Quare cum anima caro ipsa exultavit. « Etenim passer » invenit sibi domum, et turtur nidum sibi, ubi reponat » pullos suos, altaria tua, Domine virtutum[1]. » Et qui, ait, non æquum fuerit, o Domine, altaria tua dilecta et amabilia esse fateri, quando ea refugium cuique fuere qui dicere valeret, « Anima nostra sicut passer erepta est » de laqueo venantium[3]. » ac rursum ei qui dicat, « In » Domino confido, quomodo dicetis animæ meæ, Transmigra in montem sicut passer? Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in » pharetra[3]. » Nam cum multi sint qui religiosi viri animam ceu laqueis intercipere, et retibus ceu venari conantur, cum ea ultro citroque evolet ac circumquaque se vertat, quod in hac mortali vita, requie nulla fruatur, in solis Dei tabernaculis receptum habere potuit. Quapropter dictum est, « Etenim passer invenit sibi domum, » pariterque turtur nidum; videlicet anima quæ in præsenti honestam et continentem exercet vitam, (hujusmodi namque esse illa avis dicitur,) ac quæ hominum malitiam luget et deplorat, ipsa perfugium reperit, nimirum altaria in toto orbe per Christi doctrinam excitata : ubi ceu in nido ac receptaculo recens natam ac teneram prolem deponet, tutum insidiisque vacuum nacta pullis suis domicilium : ita ut altaria tua passeri pro domo, turturi pro nido habeantur. Hæ quippe aves, passer scilicet et turtur, olim antequam per totum orbem altaria extruerentur, nullum habuere perfugium, at diuturno tempore errabundæ pellebantur et captabantur a venatoribus. Ideo qui ceu passer pellebatur, hæc dicebat : « In Domino confido, quomodo dicetis animæ meæ, » Transmigra in montem sicut passer? » Iidem vero ipsi ex inimicorum manibus erepti, hæc confitebantur : « Ani-

1 Psal. LXXXIII, 4. — 2 Psal. CXXIII, 7. — 3 Psal. X, 1. — 4 Ibid.

» ma nostra sicut passer erepta est de laqueo venan-
» tium[1]. » Occulti ergo et invisibiles venatores, animabus cœlesti ac sublimi vitæ operam dantibus insidiantes, retia et laqueos tendebant, ac venabula cujusvis generis adornabant ad insidias parandas. Quæ in præcedenti his verbis enuntiata sunt : « Quoniam ecce inimici tui so-
» nuerunt, et qui oderunt te extulerunt caput. Super
» populum tuum malignaverunt consilium, cogitaverunt
» adversus sanctos tuos. » Persecutionum tempore, quo inimici Dei populum ejus impugnabant vexabantque, Dei homines instar passerum huc illuc fugientes, demum oblata pace, tabernacula, atria et altaria Dei in perfugium ac requiem invenerunt. E rè autem dixeris, expeditos illos milites, qui monasticam vitam amplexi sunt, pro passeribus habendos esse ; eos autem qui liberis dant operam, et reliquis vitæ negotiis et curis se dedunt, turturis vicem agere, quam jubet offerre Deo pullos suos, eosque in altaribus ceu in nido deponere et consecrare.

« Rex meus et Deus meus, beati omnes qui habitant
» in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te[1].
» Diapsalma[2]. » Quare dilecta et amabilia mihi sunt tabernacula tua, et cur desiderio eorum deficit anima mea, ad hæc etiam in quo exultavit cor meum et caro mea? Quia « passer invenit sibi domum, et turtur nidum, al-
» taria tua, Domine virtutum. » In quibus altaribus qui non ad breve tempus, sed assidue et perseveranter commorantur et habitant, ter beati sunt. His porro dictis legalia omnia a Moyse tradita circumscribit et ablegat. Non enim beatos dixit circumcisos, non eos qui sabbata observant, non Mosaïcorum sacrificiorum cæterorumque corporalis legis præceptorum cultores, neque etiam eos qui ex Abrahami stirpe sunt, non Israëlem, neque Judaï-

[1] Psal. CXXIII, 7. — [2] Psal. LXXXIII, 5.

cam gentem; sed simpliciter omnes qui habitant in domo Dei. Quid beatius enim fuerit, quam Deum suum et Dominum virtutum in regem sibi ascribere, et in domo ejus perpetuo habitare, ex quo Dei immortalitas et æterna vita comparatur? Id sane declarat illud, « Qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt » te. » Qua ratione autem quis valeat in sæcula sæculorum Deum laudare, nisi et ipse perpetuo maneat, ac æternam immortalemque possideat vitam? « Beatus vir » cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo dis» posuit in valle lacrymarum, in loco quem posuit[1]. » Postquam seriem verborumque sententiam absolverat, a Diapsalmate sermonis mutationem orditur. Quamobrem cum superius eos qui habitant in domo Dei beatos pluraliter dixisset, hic unum quempiam in primis beatum prædicat. Quem vero, nisi eum qui in valle lacrymarum Dei patrocinio dignatur, qui etiam ascensiones Dei habet in corde suo? Hunc quippe virum rursus beatum dicit; non autem corporalium Mosis præceptorum cultorem. Talis porro est quisquis in hac mortali et humana vita seipsum deplorat, et terrenam hanc vitam, quam vallem lacrymarum sermo nuncupat, gravate et ægre sustinet : quia hujus vitæ res fletu dignæ sunt, atque homines in terra degentes lacrymis deploranda perpetrant, et quia sancti Dei in hac vita fletibus, gemitibus et ærumnis traditi sunt secundum Apostolum. Quisquis ergo in valle lacrymarum, id est in mortali vita patrocinio Dei fruitur, vere beatus fuerit, quando maxime ascensiones Dei in corda ejus positæ sunt. Cum enim alii homines mortalibus cogitationibus in peccata omnis generis detrahantur, dæmonumque conatibus ac malignorum spirituum suggestionibus supplantentur; qui eorum

[1] Psal. LXXXIII, 6, 7.

machinis non capitur, sed Dei gratia ascensiones bonas et a Deo missas cogitationes in corde suo possidet, hic vere beatus; qui etiam in domo Dei semper habitat, et quasi sacerdos quispiam soli Dei cultui vacat, sane et beatus ille : primo quia in omnibus actibus suis Deum habet susceptorem et patronum; deinde quia ascensiones Dei in corde possidet; quibus ascensionibus significantur cogitationes bonæ, quæ ex Dei nutu in memoriam ejus qui beatus prædicatur ascendunt et accurrunt. Id porro intelligas, si huic dicto conferas illud : « Cum persequen- » tur vos, et adducent in concilia, nolite cogitare quo- » modo aut quid loquamini : dabitur enim vobis sermo » in apertione oris vestri [1]. Non enim vos estis qui loqui- » mini, sed Spiritus Patris vestri, qui in cœlis est, qui » loquitur in vobis [2]. » Nam is in quo Spiritus Dei loquitur, in corde ascensiones Dei obtinet. Unde merito beatus prædicatur. Is ipse in loco fletus, id est, in loco terreno, Dei testamentum et eloquia ejus ceu legatione fungens « disposuit. »

Pro illo autem, « Disposuit in valle lacrymarum, » Symmachus sic habet, « Prægrediens vallem plorabat. » Hic porro per vallem lacrymarum, humanam vitam indicari diximus, quam is qui beatus prædicatur pertransiens et transcurrens quasi advena quispiam et peregrinus, cœlestis patriæ amore flagrans, fletibus lacrymisque beatitudinem patientibus sese macerat, secundum illud : « Beati qui lugent [3]. » Qualis erat Paulus qui talia fatur : « Nosqui sumus in tabernaculo, ingemiscimus gravati [4]. » Pro illo autem, « In loco quem posuit, » Aquila, « Fon- » tem ponent eam; » Symmachus vero, « Fons ordina- » bitur. » Quem, inquit, fontem ponent, nisi vallem lacrymarum? Totum autem locum sic Aquila interpreta-

[1] Matth. x, 19. — [2] Ephes. vi, 19. — [3] Matth. v, 5. — [4] 2 Cor. v, 4.

tur : « Pertranseuntes in valle fletus, fontem ponent » eam. » His porro significat, advenas et peregrinos in hac vita, hominum vallem in fontem posituros, sive fontem ordinaturos esse ex Symmacho, hacque voce divinam doctrinam appellant. Fons quippe vitæ potus immortalitatis in valle fletus a Dei et hominibus apud hominum genus constituitur, per vivificam scilicet et piam doctrinam, quam cum ipsi audierunt, tum aliis per scripta sua reliquerunt[1]. Iis vero ipsis in lacrymarum mercedem condignumque fructum, benedictionem rependet ipsorum legislator. Quibusnam benedictionem impertiet, nisi iis qui in hac valle lacrymis dediti fontem illa posuerint? Pro illo autem, « Legislator; » Aquila, « matutinus; » Symmachus vero, « Commonstrator, » dixit; Quinta autem editio, « Qui illuminat; » alia item quædam Sexta editio, «Qui docet. » Ita ut ex omnibus salutare Verbum indicari, subintelligere liceat. Ipse namque est legislator, illuminator, doctor, idemque matutinus, et commonstrator; secundum singulas virtutum suarum rationes his usus vocabulis. A quo benedictionem nacti qui in valle lacrymantur, ibunt, iter suum perficientes ac in dies roborati, ita ut semper proficiant, et ex minori in majorem virtutem accedant, et a gloria in gloriam, ut ait divinus Apostolus : « In eamdem imaginem transformatis a gloria » in gloriam[2]. » Quare Symmachus sic interpretatus est: « Iter facient ex virtute in virtutem. »

« Videbitur Deus deorum in Sion[3]. Domine Deus » virtutum exaudi orationem meam, auribus percipe » Deus Jacob. » Postquam dixerat, « Benedictionem dabit legislator, » apposite docet qua ratione versantibus in valle hominibus benedictionem daturus sit. Quo pacto dabit, nisi dignatus in terra conspici? Admodum

[1] Psal. LXXXIII, 8. — [2] 2 Cor. III, 18. — [3] Psal. LXXXIII, 9.

consequenter, vaticinatus torcularia Dei per totum orbem multa futura esse, tabernacula item plura, atria quoque et altaria quam plurima, causam adfert cur hæc omnia in terra constituenda sint. Quænam porro sit illa, docet his verbis, « Videbitur Deus deorum in Sion ; » adventum Dei ad homines et conspectum ejus aperte declarans. Deus autem deorum Dei Verbum vocatur ; ita ut intelligatur deos esse, beatos et religiosos viros, ad quos factum est Verbum Dei : quibus etiam dictum est, « Ego » dixi, Dii estis; » et, Deus stetit in synagoga deorum; et, « Deus deorum Dominus locutus est, et vocavit ter» ram[1]. » In his namque non alius Deus deorum vocatus est, quam is solus qui in principio Verbum erat apud Deum, qui scilicet munere suo et ejusdem Spiritus participatione deos illos effecit. Deos namque illos esse dicit, ad quos sermo Dei factus est. Deinde vero Christum nominatim memorat in oratione dicens, «Et respice in faciem » Christi tui. » Pro illo autem, « Videbitur Deus deorum » in Sion, Aquila sic habet, » Videbitur fortis Deus « in Sion. » Quisnam vero sit ille, qui visibilis oculisque spectabilis futurus est, deinde declarat hoc modo : « Auribus percipe Deus Jacob. » Nam hic ipse erat Dei Verbum, qui olim Jacobo hominis specie visus, sic eum affatus est : « Non ultra vocabitur nomen tuum Jacob ; » sed Israël erit nomen tuum quia fortis fuisti cum Deo, » et cum hominibus potens eris[2]. » Quare vir ille religiosus, cum persentisceret eum qui ipsius Deus vocatur, ait : « Vidi Deum facie ad faciem, et salva facta est anima » mea[3]. » Is ipse Deus, inquit, qui Jacobo visus est, rursus videbitur in Sion, Dei Verbi adventum in homines hisce manifeste declarans. Hunc Deum Jacob invocans,

[1] Psal. LXXXI, 6; Psal. LXXXI, 1 ; Psal. XLIX, 1. — [2] Gen. XXXII, 28. — [3] Ibid. 30.

adventum maturare suum rogat. « Protector noster as- » pice Deus [1]. » Quosnam aspicere rogat, nisi eos qui in valle lacrymarum afflictione premuntur? Deinde vero subjungit : Et respice in faciem Christi tui, rogans Dei Verbi adventum ad Christum suum, quem ex semine David induit, accelerari. Quamobrem Aquila sic habet, Clypee noster vide, Deus, et converte vultum uncti tui. « Symmachus vero, » Protector noster vide, Deus, « et aspice vultum Christi tui. » Hæc porro precantur ii, qui totum psalmum pronuntiant : hi autem erant Dei Prophetæ, qui a spiritualibus inimicis servati fuerant, et a bello ad pacem translati, divino afflante spiritu tabernacula Dei prospiciebant, atriorum et altarium ejus percupidi. Qui etiam Dei Verbum, suum in tempore belli protectorem factum, obsecrant ut ad faciem Christi sui respiciat, ut ipso apparente, ac Christum, ex semine David secundum carnem ortum, assumente, malis pristinis omnes eximantur, hominumque genus bona per Christum nanciscatur.

«Quia melior est dies una in atriis tuis super millia[2].» Unam Dei præsentiæ, id est, resurrectionis ex mortuis diem, vel millibus diebus multo meliorem et præstabiliorem esse arbitratur is, qui psalmum hunc profert. Illo autem millenario puto subindicari tempus, quo Jerosolyma substitit : nam totis mille annis templum ejus duravit ; totidem quippe numerantur a templi Salomonis fundatione usque ad Salvatoris nostri adventum. Quos item indicari puto in LXXXIX psalmo, qui inscribitur, « Oratio Moysis; » in sequentibus quippe hæc habet : « Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam dies » hesterna quæ præteriit, et custodia in nocte.» Hujusmodi itaque millenario vel una dies resurrectionis Sal-

[1] Psal. LXXXIII, 10. — [2] Ibid. 11.

vatoris nostri ex mortuis præponenda, et prætiosior haberi debet ei, qui ejusdem amore ducitur. Quare adventum maturare suum rogat dicens : « Aspice Deus, et » respice in faciem Christi tui, quoniam melior est dies » una in atriis tuis super millia. » Neque vero millia hic pluraliter accipienda sunt. Nam apud Hebræos hæc vox millenare unum significat, ut cuique consideranti palam erit. Et quia dies una in atriis per totum orbem in adventu Dei, qui prænuntiatur, fundatis, præstantior est millibus, ideo superius quoque dicebat : « Concupiscit et » deficit anima mea in atria Domini. » Et rursus quia jam supra dixerat, « Beati qui habitant in domo tua, in sæ» cula sæculorum laudabunt te : » his fidem habens ac verum esse dictum hujusmodi persuasus, ea de causa dico : « Elegi abjectus esse in domo Dei mei magis ; » ut in domo Dei consistens in sæcula sæculorum Deum laudare valeam. Sed etiam sicut diem unam millibus antetuli ; ita et domum Dei, quæ est ecclesia Dei viventis, columna et fundamentum veritatis, potius elegi, quam habitare in multis tabernaculis peccatorum. Nam ipsi quoque peccatores in speciem tabernaculorum Dei sese composuerunt : sed tabernacula Dei, amabalia ; peccatorum, odio digna sunt. « Quia misericordiam et verita» tem diligit Dominus Deus, gratiam et gloriam dabit » Dominus[1]. » Pro illo, « Quia misericordiam et ve» ritatem diligit Dominus, » Aquila, « Quia misericordia » et clypeus Dominus Deus ; » Quinta vero editio, « Quia » sol et protector Dominus Deus ; » Symmachus similiter, « Quia sol, » dixit. Ideo namque, ait una illa dies millibus melior est, quia Dominus Dei Verbum diei illius sol est. Hunc vero solem Propheta his verbis subindicavit : « Ti» mentibus autem me orietur sol justitiæ, et medela in

[1] Psal. LXXXIII, 12.

» alis ejus[1]. Eum ipsum significabat qui dixit : » Et oc-
» cidet sol super prophetas qui errare faciunt populum
» meum; » apertius autem Hesaïas, « Non erit tibi sol in
» lucem diei,» inquit, « sed erit[2] Dominus lux sempiterna,
» et Deus gloria tua tibi[2]. » Cum talis sol Dominus sit,
gratiam et gloriam, ac etiam quid præstantius et melius,
atque ineffabile et reconditum bonum dabit iis, qui ambulant in innocentia; sive secundum Symmachum, « iis
» qui ambulant in perfectione. » Ideo dictis fidem habens, ac probe persuasus vera illa esse, sic sermonem claudo : « Domine virtutum, beatus homo qui sperat in
» te. » Nam si quis aliter a multis beatus dicitur, ipsi sane falsa beatitudo adscribitur. Sed, ut vere dicatur, solus ille beatus cui supra dicta competunt, siquidem ipse omnibus repletur bonis, qui sese tibi soli concredidit, totamque spem in promissis tuis deposuit. Cum porro in præsenti psalmo jam tertio beati prædicati fuerint ii de quibus sermo, nulla Judaïcæ gentis vel Israëlis facta mentio est; neque etiam eos qui præcepta Moysis executi sunt beatos prædicavit : sed primo generatim eos qui habitant in domo Dei; secundo omnem hominem cui est auxilium a Domino; ac demum in fine sermonis, indefinite et generatim omnem hominem in Dominum sperantem. Nam cum futura Dei præsentia, et Christi ad homines adventus annuntiaretur, non Judæis tantum, sed omnibus etiam hominibus beatitudines illis, quæ penes Deum sunt, annuntiari oportuit.

[1] Malach. IV, 2; Mich. III, 6; Isai. LX, 19. — [2] Psal. LXXXIII, 13.

PSALMUS LXXXIV.

In finem, filiis Core [1].

2. « Benedixisti, Domine, terram tuam, avertisti cap- » tivitatem Jacob[2]. » Postquam in præcedenti psalmo Dei adventus prænuntiatus fuerat, consequenter in hoc ereptio a malis, necnon captivitatis solutio, venia quoque et remissio peccatorum prædicitur. Hæc quippe omnia Dei ad homines adventum, et reliqua in superiori psalmo enuntiata, subsequebantur. Quia enim in illo multa Dei tabernacula, atria et altaria in terra constituenda esse prædictum esse prædictum fuerat, horumque auctor Deus erat ad homines venturus, ac nominatim Christus hic conspiciendus, unde dicebatur, « Videbitur Deus » deorum in Sion; » ac rursus, « Apparare ad faciem » Christi tui : » jure in præsenti psalmo quæ per totum orbem futura sunt prænuntiantur. Quæ sane in adventu Servatoris nostri completa sunt : quo placitum Deo fuit terram Christi sui aditu dignari. Siquidem olim primo parenti dictum fuerat : « Terra es, et in terram reverte- » ris; » et, « Maledicta terra in operibus tuis; » aliusque Propheta dicit : « Maledictum et cædes et men- » dacium et furtum et adulterium effusa sunt super » terram : et sa nguinem sanguine miscent[3] : » ubi autem Filius Dei peregrinatus eet in terra, terrenumque corpus assumpsit, priorum malorum immutatio facta est, totumque terræ elementum, loco pristinæ maledictionis, benedictionem sortitum est, ac Ecclesiæ oratoria Deo per

[1] Psal. LXXXIV, 1. — [2] Ibid. 2. — [3] Gen. III, 19; Ibid. 17; Osc. IV, 2.

totum orbem constituta sunt. Quare jam dicitur, « Benedixisti, Domine, terram tuam; » in aliis vero, « Dominus regnavit, exultabit terra; » ac rursum; « Cantate Domino omnis terra[1]. » Merito itaque ipsius Domini esse terra dicitur hoc modo : « Benedixisti, Domine, » terram tuam. » Non enim opificium dumtaxat, sed etiam possessio ejus facta est ob allatas superius causas.

Qua ratione autem dicatur, « Avertisti captivitatem » Jacob, » intelliges ex illa Servatoris voce, qua hanc Hesaïæ prophetiam. « Spiritus Domini super me, eo quod » unxerit me, evangelizare pauperibus misit me, prædicare captivis demissionem, et cæcis visus restitutionem[2]; » cum legisset, addidit, « Hodie impleta est hæc » prophetia in auribus vestris[3], » in se completum oraculum significans. Quia scilicet ipse Servator et redemptor animarum hominum esset, quas a dura multiplicium numinum erroris et dæmonum vexationis servitute, solutis peccatorum vinculis, liberabat. Quod etiam in præsenti psalmo denotatur his verbis : « Remisisti iniquitates » plebi tuæ, operuisti omnia peccata eorum[4]. » Iniquitates autem remissas et opertas alius item sermo meminit : « Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum » tecta sunt peccata[2] » His porro Spiritus significat, pristinorum peccatorum remissionem iis, qui ex spirituali animarum captivitate redempti sunt, a Servatore concessam : quibus, si post remissionem iterum peccaverint, non secundo peccata remittit, sed operit. Nam ab illo concessum est, ut bonis operibus secundo peccata remittit, sed operit. Nam ab illo concessum est, ut bonis operibus secundo gestis pristina delicta contegantur. Hæc vero omnia orbi terræ, videlicet illam incolentibus, per

[1] Psal. LXXXVI, 1; Psal. LXXXV, 1. — [2] Isai. LXI, 1; Luc. IV, 18. — [3] Psal. LXXXIV, 3. — [4] Psal. XXXI, 6.

Salvatoris adventum universorum Deus elargitus est, sedata ira ac mitigato furore, quo quidem antea terrigenæ illi digni erant, ob impietatis exuperantiam inimici ejus effecti; at Deus ipse erat, qui in Christo sibi mundum reconciliabat, neque ipsis pristina peccata imputabat. Quamobrem dictum est : « Mitigasti omnem iram » tuam, avertisti ab ira indignationis tuæ. Converte » nos Deus salutarium nostrorum, et averte iram tuam » a nobis. Numquid in æternum irasceris nobis? aut ex» tendes iram tuam a generatione in generationem? » Deus tu convertens vivificabis nos, et plebs tua læta» bitur in te[1]. » Priora quidem de futuris in toto orbe prænuntiabantur, quæ secundum superius traditam interpretationem in adventu Servatoris nostri ad finem deducta sunt. Hæc vero quæ tractamus, orationem continent pro populo ex circumsione. Quia enim Propheta divino affiatus Spiritu Judaïcæ gentis erga Christum incredulitatem prospiciebat, necnon vindictam facinorum causa ipsis infligendam, hanc pro ipsis orationem emittit peropportune; ita ut nulla in psalmo contradictio deprehendatur, quod cum initio meliora orbi vaticinatus esset, jam quasi nihil boni collatum sit, preces instituat. Prima itaque de beneficiis a Salvatore nostro humano generi concedendis prædicta fuerant; secundo autem loco pro contribulibus a Propheta preces emittuntur, ut ira ipsos invasura sedetur, atque ipsi demum Dei ad se conversione, atque illa in Christo Dei lætitia, digna habeantur.

« Ostende nobis, Domine, misericordiam team, et » salutare tuum da nobis[2]. » Hic etiam Propheta precando insistit, ut ipse quoque dignus habeatur, qui ea quæ per misericordiam Dei eventura, quæque antea præ-

[1] Psal. LXXXIV, 4, 5, 6, 7. — [2] Ibid. 8.

nuntiata sunt, oculis percipiat. Rogat item ut splendidi illius Christi ad homines adventus ipse consors efficiatur, cum ait, « Et salutare tuum da nobis. » Salutare autem illud Christum esse clare docet in Evangeliis Simeon; qui Jesu adhuc infante in ulnis accepto, dixit : « Nunc di- » mittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum, » in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum[1]. » Idipsum videre Peroptat propheta : ideo Salvator ait, « Multi » prophetæ et justi voluerunt videre quæ vos videtis, et » non viderunt[2]. Audiam quid loquetur in me Dominus » Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam, et in » sanctos suos et in eos qui convertuntur corde[3]. » Postquam precatus est Propheta, certus se exaudiendum esse, silentio se tradit. Hinc dum responsionem expectat, sese sic alloquitur : Talis fuit precatio mea; jam tempus est ut Spiritum sanctum audiam, et ab illo ediscam, quid de pace populi sui, et de iis qui per Christum suum convertendi sunt, vaticinaturus sit. Deinde vero postquam paulum substitit et quievit, Spiritu divino repletur; et sub hæc prophetiam edit his verbis : « Verumtamen prope » timentes eum salutare ipsius, ut inhabitet gloria in » terra nostra [4]. » His autem declarat jamjam adventurum hominibus esse salutare Dei, de quo superius hæc precabatur : « Ostende nobis, Domine, misericordiam » tuam, et salutare tuum da nobis. » Hoc ipsum salutare jam proximum esse declarat, ac vicinum timentibus eum, ipsumque veram esse causam cur gloria inhabitet et tabernacula ponat in terra nostra. Id autem moris esse Scripturæ divinæ, ut Christum Dei Salutare nuncuper, sæpe et pluribus comprobavimus. Quod sane hoc in vaticinio declaratur, scilicet loco prioris infamiæ, quæ idololatriæ tempore in terra versabatur, gloriam ibidem habitaturam

[1] Luc. II, 29. — [2] Matth. XIII, 17 — [3] Psal. LXXXIV, 9. — [4] Ibid. 10.

et tabernacula gloriæ, Deo per Evangelicam doctrinam referendæ, ubique terrarum figenda esse. Secundum hæc modum aperit quo promissa complenda sunt, his verbis : « Misericordia et veritas obviaverunt sibi, justitia et pax » osculatæ sunt[1]. » His porro binas conjugationes coaluisse docet, quarum prima est misericordiæ et veritatis; secunda vero, justitiæ et pacis. Occurrerunt, inquit, mutuo, amicasque salutationes contulerunt : oscula dederunt simul justitiæ et paci veritas et misericordia. Unde vero profectæ mutuo occurrerint, secundum hæc declarat his verbis : « Veritas de terra orta est, et justi» tia de cœlo prospexit[2]. » Utpote igitur ex magna intercapedine mutuo concurrentes, sese invicem amplexæ et osculatæ sunt, hinc justitia quæ de cœlo in terram prospexit, inde veritas quæ de imo sive de terra orta est. His consequenter adjiciemus et subjungemus ea quæ in principio psalmi posita sunt, et sic habent : « Bene» dixisti, Domine, terram tuam, avertisti captivitatem » Jacob. Remisisti iniquitatem plebis tuæ, operuisti omnia » peccata eorum. » Hæc quippe omnia tum futura prænuntiabantur, cum salutare Dei in terra visum esset. Siquidem una cum salutari veritas de terra orta, ac justitia quæ de cœlo prospiciens ipsi occurrit, Dei gratiam ex æquo exque suprema justi ratione in omnes homines effudit.

His porro divinus Domini et Servatoris nostri Jesu Christi adventus perspicue enuntiatur, per quem solum veritas de terra orta est : quia ipse veritas erat, ac doctrinæ ejus evangelicæ sermo, non ut olim in figuris et symbolis, sed per ipsam veritatem tradebatur. Ideo dictum est : « Lex per Moysem data est, gratia et veritas per » Jesum Christum facta est[3]. » Universa autem opera

[1] Psal. LXXXIV, 11. — [2] Ibid. 12. — [3] Joan. I, 18.

ejus veritas erant, necnon ortus ejus, passio et cætera, quæ specie solum et phantasia gesta fuisse opinabantur athei hæretici. Quod si omnis homo mendax, merito ipse solus, qui veritas est, de terra ortus est, peregrinum quidpiam et insolens; terra quale numquam tulerat bonorum proferente, in quo justitia illa de cœlo prospiciens requievit. Justitia vero, quæ in veritate requievit, quænam alia fuerit, nisi ipse Deus Verbum de quo dictum est, « Qui factus est nobis sapientia a Deo justitia et sanc- » tificatio et redemptio[1] ? » Hic namque ex cœlis descendens in veritate, quæ de terra orta est, requievit, ipsique conjunctus, ceu dilectam amabiliter eam amplexatus est. Veritati porro de terra ortæ præcurrens aderat misericordia : per misericordiam quippe Dei, tota veritatis dispensatio facta est. Justitiam vero de cœlo delapsam pax sequebatur; ut homines terram incolentes, non solum misericordia Dei et veritate, sed etiam illa cœlesti justitia et ejus amica pace fruerentur. Nam olim quidem justitiæ et pacis domicilium cœlum erat; nunc vero terra cum misericordia Dei in terra substitit. Nam hæc subsequentium causa fuit, siquidem propter Dei misericordiam reliqua omnia secuta sunt : post misericordiam quippe veritas, hinc justitia, denique pax. De Servatore certe nostro diserte scribitur : « Quia ipse est pax nostra, » qui fecit utraque unum[2] ; » et, « Pacificans per se sive » quæ in cœlis, sive quæ in terra sunt; » ac rursum, « Veniens evangelizavit pacem iis qui longe, et iis qui » prope sunt. » Jure ergo in psalmo dicitur illud : « Ve- » rumtamen prope timentes eum salutare ipsius, ut in- » habitet gloria in terra nostra. » Multa quippe magnaque gloria in terra nostra, videlicet in orbe, per prophetiarum eventum constitit. Et qui, quæso, non habitatura

[1] 1 Cor. i, 30. — [2] Ephes. ii, 14; Colos. i, 20; Ephes. ii, 17.

erat gloria in terra nostra, quando salutare ipsius, Christus Dei, et illa de cœlo justitia ad eam accedere dignata est? Cum hæc autem omnia a Deo definita et prænuntiata audisset, post editam orationem hæc vaticinatur : « Au- » diam quid loquetur in me Dominus Deus ; » ideoque pergit, « quoniam loquetur pacem in plebem suam. » Hæc vero pax tum populo concessa est, cum « misericor- » cordia et veritas obviaverunt sibi, justitia et pax oscu- » latæ sunt. » Quæ cum ita se habeant, cum ea quæ Propheta precatus fuerat, tum ea quæ ante orationem dixerat, concessa fuere. Nam benedixit Dominus terram suam, misericordia et veritate ac reliquis dignatus eam ; quinetiam animarum humanarum captivitatem avertit, soluto bello quolibet, ac reconciliata pace, fractisque vinculis ac compedibus per peccatum inductis. Quamobrem huic dicto, « Avertisti captivitatem Jacob, » istud subjungitur, » Remisisti iniquitates plebi tuæ ; » et illud, « Operuisti omnia peccata eorum. » Nam reditus ex captivitate, non alio, quam per remissionem peccatorum, modo partus est. Quod autem hæc per adventum Servatoris nostri ad effectum deducta sint, ipse in Evangeliis docuit, cum accepto Hesaïæ libro, postquam legisset illud, « Spi- » ritus Domini super me, eo quod unxerit me, evange- » lizare pauperibus misit me, prædicare captivis dimis- » sionem, et cætera ; intulit his verbis[1] : » Hodie impleta « est hæc Scriptura in auribus vestris. » His si quis animum adhibeat, dicat sane genus hominum olim captivitatem passum esse ab invisibilibus inimicis, vere Dei hostibus, in idololatriam, et in turpia omnia nefariaque opera pellectum; neque cunctetur eam gravem animarum captivitatem pronuntiare, qua cum nos eripuisset liberosque constituisset Salvator et Dominus noster, concessa

[1] Isai. LXI, 1 ; Luc. IV, 18.

per lavacrum regenerationis pristinorum scelerum et impietatum venia ac remissione, auctor nobis fuit gratiarum actionis in psalmo positæ, ita ut nos quoque dicere valeamus : « Benedixisti Domine terram tuam, avertisti » captivitatem Jacob. Remisisti iniquitates plebis tuæ, » operuisti omnia peccata eorum. »

« Etenim Dominus dabit benignitatem, et terra nos» tra dabit fructum suum [1]. » Olim quidem cum sub maledicto terra esset, spinas ac tribulos germinabat, secundum illud : « Maledicta terra in operibus tuis, spinas et » tribulos germinabit tibi [2] : » nunc autem, cum in ea talium bonorum accessio facta est, e re congruentem dicitur proferre fructum; utpote quæ Domini benignitatem consecuta sit. Fructus autem Deo dignus non spinæ et tribuli sunt; sed ea plane quibus Dei benedictionem sortita est. Terra vero quæ decidentem pluviam sæpius excipit et bibit, ac cultoribus suis congruentem herbam profert, ea benedictionis a Deo datæ particeps est. Jure ergo nova cantica edere terra jubetur, utpote quæ jam indicatis bonis dignata sit, cum Spiritus sanctus ipsi accinat et dicat ; « Cantate Domino omnis terra, cantate » Domino canticum novum [3]; » et, « Dominus regna» vit, exultabit terra [3], » et alia his similia. « Justitia » ante eum ambulabit, et ponet in via gressus ejus [4]. » Hujus dicti sententiam liquidius efferunt reliqui interpretes, maximeque Symmachus qui sic habet : « Justitia » uniuscujusque præcedet ipsum, et ponet in via pedes » ejus. » Collatis namque terræ bonis, quisquis terram incolit, utpote qui justitiæ de cœlo prospicientis consors sit, propriam sibi justitiam obtinens, eam in via ad superna ducem, ac gressus suos dirigentem habebit; ut iter

[1] Psal. LXXXIV, 13. — [2] Gen. III, 17. — [3] Psal. LXXXXV, 1; Psal. LXXXXVI, 1. — [4] Psal. LXXXIV, 14.

ad cœlos emensus, roboratusque et a præcurrente justitia sua manu ductus, superna promissa nanciscatur : quæ Salvator et Dominus noster omnibus hominibus annuntiavit dicens : « Appropinquavit regnum cœlorum [1], » et, Beati hujusmodi homines, « quoniam ipsorum est » regnum cœlorum [2]. »

PSALMUS LXXXV.

Oratio ipsi David.

« Inclina Domine aurem tuam et exaudi me, quoniam » inops et pauper sum ego [3]. » Cum his in locis quatuor psalmi filiorum Core inscripti consequenter ponantur, quorum primus est LXXXIII, secundus LXXXIV tertius LXXXVI, postremus LXXXVII, opportune quærat aliquis quid causæ sit, quod oratio Davidis intempestive, ut quispiam dixerit, in medio eorum locata fuerit. Æstimo igitur non sine causa, sed opportunissime vaticiniis de Christo immixtam hanc orationem fuisse. Quia enim bonorum promissa, veniam peccatorum, Dei ad homines adventum, Christi redemptoris ac Servatoris hominum peregrinationem, primi psalmi filiorum Core inscripti vaticinabantur, videlicet LXXXIII, et LXXXIV, imo etiam qui postea filiorum Core inscribuntur, gentium vocationem, Christi ortum, mortem ab eo pro hominibus susceptam, prædicabant; arbitror in medio prophetiæ hasce res prænuntiantis necessario positam fuisse Davidis orationem, qua supplicat bona per Salvatorem univer-

[1] Matth. III, 2. — [2] Ibid. 3. — [3] Psal. LXXXV, 1.

sis hominibus procuranda, sibi quoque conferri; ut et ipse bonorum quæ in prophetia enuntiantur consors, veniam peccatorum consequatur, magnoque illo ac salutari bono fruatur, quod omnibus gentibus promittitur. In hac itaque oratione David effusam in omnes gentes gratiam memorat, quam demirari se et stupere profitetur his verbis : « Non est similis tui in diis, Domine, et non » est secundum opera tua. Omnes gentes quascumque fe» cisti venient et adorabunt coram te. » Quia igitur ipse quoque paria bona consequi precabatur, orationem suam in medio psalmorum evangelicorum congruenter locavit. Hæc de proposita quæstione dicta sint. Nec ignorandum, alios plerosque psalmos esse qui, « oratio, » inscribuntur; sed hic cum hoc additamento, « Davidis, » profertur; alius vero inscribitur, « Oratio Moysis hominis » Dei ; » alius, « Oratio pauperis, cum anxius fuerit, et » in conspectu Domini effuderit precem suam [1]. » Sed quemadmodum Apostoli Salvatoris nostri, veteris Scripturæ orationibus superiores effecti, accedentes rogabant eum, ut se orandi modum edoceret ; ille vero ipsis solis, et similibus ipsorum, congruentem tradidit orationem, cum dixit illis, « Sic vos orate : Pater noster qui es in » cœlis, sanctificetur nomen tuum [2], » et cætera, itaque seipsum quisque probet, num dignus sit, utpote jam Filius Dei effectus, Patrem qui in cœlis est invocare, ac illud proferre, « Pater noster qui es in cœlis, » etc. Quod si talis non sit, curet statui suo congruentem orationem deligere, ex libro psalmorum et ex propheticis vocibus desumptam. Hæc igitur oratio Davidis est : nam sic explicarunt Aquila et Symmachus, qui pro illo, « Davidi, » interpretati sunt, « Davidis. » Videtur porro David, divino afflatus Spiritu, beatitudinem illam de pauperibus

[1] Psal. LXXXIX, 1 ; Psal. CI, 1 — [2] Matth. VI, 9.

a Salvatore nostro prolatam non ignorasse : quare se pauperem et inopem esse fatetur, etiamsi rex ac divitiis instructus multis esset. Sed quia spiritu talis erat secundum illud, « Beati pauperes spiritu [1] ; » merito paupertatem et inopiam inter virtutes et recte facta sua in oratione recenset. Alio item modo dixeris : Sicut Moyses audita Dei voce, se balbutientem esse fatebatur, idque dicebat vocem suam cum divina comparando ; ita et David, etiamsi magnus, dives et sapiens, cum hominibus comparatus, esset ; at elevatis ad Deum oculis, se nihil esse vidit : et quia nondum posset Deum Patrem vocare, Dominum eum appellavit, se famuli locum tenere significans. Deinde utpote qui in infimis et in profundo maneat, cum Deus in alto exsistat, rogat ut inclinet aurem suam, quod ipse præ infirmitate tantum edere clamorem non possit, qui in altum perveniat, et ad Deum pertingat. Quamobrem supplicat ut Deus inclinet aurem suam, et ut divinus auditus humilitati suæ attemperetur.

« Custodi animam meam, quoniam sanctus sum : sal» vum fac servum tuum, Deus, sperantem in te [2]. » In quo statu erat, se conservari a Deo postulat, ut ne anima sua virtutibus quas obtinebat spoliaretur : quas virtutes, his declarabat, primo cum diceret, « Quoniam inops et » pauper sum ego ; » secundo, « Quoniam sanctus » sum : quare alibi dicit, Non veniat mihi pes super» biæ [3]. » Cum autem se nondum filium esse putet, se se jure servum confitetur et ait, « Salvum fac servum » tuum, Deus, sperantem in te. » Servus porro Dei est, qui peccato non servit, nullique affectui subditus est, sed uni Dei Verbo subjectus ; et qui in nullo alio spem habet, nisi in uno Deo. « Miserere mei, Domine, quo» niam ad te clamabo tota die : lætifica animam servi

[1] Matth. v, 3. — [2] Psal. LXXXV, 2. — [3] Psal. XXXV, 12.

» tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi [1]. » Licet sanctus sim, ait, licet inops et pauper spiritu; sed nondum mihi fidens orationem emitto. Precor autem et rogo tuam consequi misericordiam ; et hæc perpetua oratio mea est. Pro illo autem, « Tota die, » Symmachus sic edidit, « Quia ad te clamans singulis diebus. » Non enim una tantum die orationi vacandum, sed per totam vitam. Et quia de nulla humana re admodum gaudebat, illud etiam a Deo præberi sibi rogabat, id est, ut lætitia illa quæ apud ipsum Deum habetur, anima sua digna haberetur : gnarus utique corpus et carnem suam corporeis rebus gaudere. Quare hæc quidem respuit, solam vero, quæ apud Deum est, lætitiam postulat, animæ suæ voluptatem procurans. Sciebat quippe, non posse omnes illam consequi; sed eos tantum qui a mortali vita et a corporeis cupidinibus sese amovent, et ad Deum solum mente et cogitationibus accedunt; ideo jure adjicit, « Quoniam ad te Domine animam » meam levavi. Quoniam tu, Domine, suavis et » mitis, et multæ misericordiæ omnibus invocantibus » te [2]. » Pro illo, « et mitis, » Aquila et Theodotio, « et » propitius, ediderunt, Symmachus vero, dimittens. » Hæc porro commodum a Davide dicta sunt, » ut verbum leniret, quod sane durum videri possit; quale illud erat, « Ad te animam meam levavi; » ac rursum superius, « Quoniam sanctus sum. » Et hæc quidem mihi, ait, non mea virtute parta sunt, sed gratia tua. Tu enim me ad hæc duxisti, qui suavis es et peccata dimittis, non mihi tantum, sed etiam omnibus invocantibus te : nam multæ misericordiæ es. Cum autem hæc in communi dixerit, « omnibus invocantibus te, nos omnes ad parem orationem et spem hortatur. « Auribus perci-

[1] Psal. LXXXV, 3, 4. — [2] Ibid. 5.

» pe, Domine, orationem meam, et intende voci de-
» precationis meæ. In die tribulationis meæ clamavi
» ad te, quia exaudisti me [1]. » Hinc item declaratur hunc psalmum esse orationem, ut ipse titulus indicat. Quia vero de præterito tempore hæc, « clamavi, » et, « exaudisti, » dicuntur; animadvertas Aquilam dicere, « Invocabo te, quia exaudies me; » ita ut orationis verba pro futuro tempore auxilium a Deo postulent; ut si quando calamitosum tempus accedat, instetque afflictio, Dominum in tribulationibus invocans, propitium illum nanciscatur. Bonum autem est ante afflictiones et tristia tempora non supine in concupiscentiis, neque segniter agere in orationibus ad Dominum emittendis, sed ad futurum tempus se præparare.

« Non est similis tui in diis, Domine, et non est secun-
» dum opera tua. Omnes gentes quascumque fecisti ve-
» nient et adorabunt coram te, Domine, et glorificabunt
» nomen tuum. Quoniam magnus es tu et faciens mira-
» bilia, tu es Deus solus [2]. » Omnes quidem orationes a sanctis Dei emissæ, utiles et necessariæ sunt : æstimo tamen non omnes scripto consignatas fuisse, sed eas solum quas Spiritu sancto moti emiserunt, ita ut propheticas ederent voces. Puto igitur Davidem multas Deo emisisse orationes, quarum nulla scripto consignata fuit, exceptis iis quæ vi prospiciendi et vaticinandi præditæ erant. Ideo hæc oratio in libro psalmorum posita, et in medium prophetiarum de Christo inserta fuit, utpote quæ propheticis dictis condita sit, et vocationem gentium complectatur. His itaque vocatio gentium manifeste prænuntiatur. Postquam enim multa sibi soli precatus esset, dicens, « exaudi me, et, » custodi animam meam, « et, » salvum fac servum tuum, Deus meus, » et, miserere

[1] Psal. LXXXV, 6, 7. — [2] Ibid. 8, 9, 10.

mei, « et lætifica animam servi tui; » cum, inquam, talia pro seipso precatus esset, dives ille et munificus Deus ostendit illi, non ipsi soli precanti, quæ in oratione ferebantur, ab se concedenda, sed divinam gratiam in omnes gentes effundendam esse : quia futurum esset ut illæ quoque iis fruerentur, quæ David consequi rogabat. Quare Spiritu sancto illustratus, et futura prospiciens, magnum Dei gratiæ donum summopere miratur, et supra dicta verba profert. Putet vero quispiam hic deos vocari justos religiosos que viros, quia dictum est, « Ego dixi, Dii estis, et filii Altissimi omnes [1]; » alius vero eas, quæ in cœlo sunt, divinas virtutes, quia Apostolus ait : « Nam etsi sunt qui dicantur dii, sive in cœlo, » sive in terra, (sicut sunt dii multi, et domini multi) : » nobis tamen unus Deus, Pater[2].» Quoniam igitur neque Angelorum, neque Prophetarum quispiam, vocationis gentium auctor fuit, jure arbitror de persona Christi dictum fuisse, Non est similis tui in diis, Domine. Alius dicet, quia a multis hominibus errore ductis dii esse falso existimantur, et apud omnes gentes, alius alio in loco deus habetur, solusque Salvator et Dominus noster per totum orbem Deus prædicatur, et ex omnibus gentibus populum sibi cooptavit; ideo hanc theologiam prophetice de ipsius persona proferri. Deinde quia ante Salvatorem nostrum Prophetæ multi mirabilium operum auctores fuerunt, neque tamen ullus talia edidisse scribitur, qualia in Evangeliis Salvator noster fecisse commemoratur, et qualia per gentium conversionem exhibentur, idcirco illud etiam dictum fuisse, « et non est secundum » opera tua. » Quænam sint illa opera, sub hæc docet his verbis : « Omnes gentes quascumque fecisti venient, » et adorabunt coram te. » Quod si illud adjiciatur, « Tu

[1] Psal. LXXXI, 6. — [2] 1 Cor. VIII, 5.

» es Deus solus; » id applices Salvatori, hoc item apponens, « Non est similis tui in diis, Domine : » sicut enim si te cum memoratis diis comparemus, non est similis tui; sic si te conferamus cum iisdem, tu es Deus solus. Siquidem solus Salvator et Dominus noster in principio erat, Dei Verbum erat, apud Deum erat, et Deus erat : quamobrem non est similis ipsi in diis, ac solus ipse quasi in diis Deus fuerit, cum nullus ex multis illis, qui dii vocantur, comparatione illius deus dici possit. Alius vero, quia secundum hæc omnia additur, « Tu es Deus so» lus, » dixerit ad Patrem et Deum universorum hæc omnia in oratione enuntiata referri : nam per ejus donum et gratiam vocatio gentium per Filium ejus facta est : et ipse fuit omnium creator, conditor et opifex, qui per Filium condidit, tum quæ in cœlo, tum quæ in terra sunt : ipse quoque per Filium mirabilia omnia fecit, tum quæ in veteri Testamento enarrantur, tum quæ in novo describuntur; ideoque dici, « Non est secundum opera » tua; » et, Magnus es tu et faciens mirabilia, tu es Deus solus [1]. » Illud autem, « solus, » a Salvatore quoque nostro ad Patrem dictum fuit in illo, « Ut cognos» cant te solum verum Deum [2]. » Quoniam vero paternæ deitatis particeps est Filius, cum sit ejusdem regni consors, utpote unigenitus Filius, Dei Verbum, et Dei sapientia; jure et ipse præsenti theologiæ accenseatur qua hæc docemur, inter multos illos qui dii vocantur non esse quempiam similem Deo universorum : nam in uno solo Unigenito ejus Verbo, Patris similitudo servatur. Quare imago Dei vocatur, et, « Deus erat Verbum [3]; » ita ut in ipso solo Patris similitudo conservetur, sed non in illis multis diis.

« Deduc me, Domine, in via tua, et ingrediar in ve-

[1] Psal. LXXXV, 10. — [2] Joan. XVII, 3. — [3] Joan. I, 1.

» ritate tua, lætetur cor meum ut timeat nomen tuum [1]. » Ne aberremus a veritate Dei, ductore egemus : quare Aquila, « Illumina, » inquit, « me in via tua, Domine, » ambulabo in veritate tua; » Symmachus vero, « Os- » tende mihi, Domine, viam tuam, ut iter faciam in » veritate tua. » Rursum item pro illo, « Lætetur cor » meum, ut timeat nomen tuum, » Aquila dicit, « So- » litarium fac cor meum, ut timeat nomen tuum; » Symmachus vero, « Unito cor meum in timorem nomi- » nis tui. Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto » corde meo, et glorificabo nomen tuum in æternum [2]. » Cum multa in præcedentibus bona dixisset, confessionem peccati sui necessario revocat in memoriam, ut ne ex concessa sibi venia, et ex collatis sibi post remissionem muneribus, mollius segniusque versari videretur. Sese igitur ipse vertit et commovet, ac peccati sui memoriam repetit, ut hinc majore erga Deum gratiarum actione utatur. Quamobrem ait, « Confitebor tibi; » ac subjicit, « Eruisti animam meam ex inferno inferiori. » Nam peccatum mortale hujusmodi est, ut in profundissimum inferni detrahat. Cum enim multa sint peccatorum genera, videntur alia ad superficiem inferni deferre, alia ad infimum, sive, ut quis dixerit, ad ipsum profundum, de quo fertur : « Viæ viri quæ videntur esse rectæ, » postrema autem earum respiciunt in profundum in- » ferni [3]. » Verum inde, ait, me eruisti, « quoniam mi- » sericordia tua magna est super me [4]. » Cum enim misericordiam magnam consequi in quinquagesimo psalmo precatus sit, in quo dicebat, « Miserere mei secundum » magnam misericordiam tuam; » hic se vota assecutum declarat; quare non simpliciter, sed in toto corde confitetur. « Deus iniqui insurrexerunt super me, et sy-

[1] Psal. LXXXV, 11. — [2] Psal. LXXXV, 12. — [3] Prov. XVI, 25. — [4] Psal. LXXXV, 13.

» nagoga potentium quæsierunt animam meam, et non » proposuerunt te in conspectu suo. Et tu Domine » Deus miserator et misericors, patiens et multæ mise» ricordiæ et verax [1]. » Cum ex oratione ad confessionem conversus esset, falsus se Deo gratiam habere, quia eripuisset animam suam ex inferno inferiori; quasi ad defensionem suam, causam affert cur peccaverit, complurium invisibilium inimicorum, qui suo secundum Deum profectui inviderent, insidiis id se perpessum affirmans. Quare ait : « Deus iniqui insurrexerunt super » me. » Reliqui vero omnes interpretes, « superbi, » dixerunt, invisibiles et superbas virtutes subindicantes. Quam porro vim perpessa sit Davidis anima, non ab una virtute, sed a pluribus, ipse docet his verbis, « Et synagoga » potentium; » sive ut Aquila, « Et synagoga roborato» rum; » aut ut Symmachus, « Et synagoga intolerabi» lium quæsivit animam meam. » Verum synagoga quidem inimicorum quæsivit animam meam, qui non posuerunt Deum ante oculos suos : tu autem, Domine, ea concessisti, ea dedisti, quæ ipsi non expectabant, cum animam meam liberasti ex inferno inferiori. Idque præstitisti, utpote misericors, miserator, et patiens et multæ misericordiæ, in omnibusque iis verax fuisti.

« Respice in me et miserere mei : da imperium puero » tuo, et Salvum fac filium ancillæ tuæ[2]. » Respiciens, inquit, me, miserere mei. Hic porro David humilitatem suam et animi afflictionem exhibet, quam item in orationis exordio declaravit, cum diceret, « Inops et pau» per sum ego. » Pro illo autem, « Da imperium puero » tuo, » apertius Symmachus interpretatus est his verbis : « Da robur a te servo tuo. » Siquidem ne ex infirmitate peream, cum aliis quæ largitus es, etiam roborari

[1] Psal. LXXXV, 14, 15. — [2] Ibid. 16.

me postulo, ut ne iterum impugner a synagoga potentium. Sic robore addito me servabis, utpote servum tuum, filium ancillæ tuæ; sive Ecclesiæ tuæ; vel matris quæ in recto secundum Deum instituto ipsum educavit. « Fac » mecum signum in bonum, et videant qui oderunt me, » et confundantur, quoniam tu Domine adjuvisti me et » consolatus es me [1]. » Quemadmodum Caïno signum posuit Deus, nequitiæ illius indicium, quod signum qui videbant, ab eo interficiendo arcebantur, quia Deus decreverat ut ingemisceret et remeret super terram; sic etiam perfectis suis signum dat in bonum, quod cernentes amici, gaudent; inimici vero et qui oderunt eum, pudore afficiuntur, a signo indicium habentes, ipsum in ejusmodi casu, auxilio et consolatione muniti. Et fortasse inimicæ virtutes, signum Caïno impositum cernentes, gaudebant, quod soleant de alienis lætari malis; Angeli vero Dei de illo gemebant, ex signo impendentem illi a Deo iram agnoscentes. At in religiosa anima contrarium accidit; inimicæ quippe virtutes confunduntur, bonum illud signum in ipsa positum conspicientes; divini autem et boni Angeli gaudent et gratulantur ei. Idipsum docuit Salvator noster dicens, gaudium esse in cœlis super uno peccatore pœnitentiam agente[2].

[1] Psal. LXXXV, 17; Gen. IV, 15. — [2] Luc. XV, 17,

PSALMUS LXXXVI.

Filiis Core, psalmus cantici [1].

« Fundamenta ejus in montibus sanctis : diligit Domi-» nus portas Sion super omnia tabernacula Jacob [3]. Glo-» riosa dicta sunt de te, civitas Dei [1]. Memorabo Rahab » et Babylonem, scientibus me. » Pro illo, « Filiis Core, » Aquila et Symmachus, « Filiorum Core, » ediderunt, quasi psalmus ab iis compositus sit, vel ab iis recitatus, non modo cum psalterio, sed etiam cum cantico. Cum autem mecum reputarem, qua de causa psalmi, qui « fi-» liorum Core, » inscripti sunt, non una conjuncti sint, sed primo separatim positi a XLI ac rursus duo seorsim locati, nempe LXXXIII, et LXXXIV iterumque alii duo, scilicet hic quem tractamus et subsequens; et cur in medio istorum positus sit LXXXV inscriptus, « Oratio Davidis : » qua de re quæ tum succurrebant, in postremorum explicatione a me jam tradita sunt. Secus fortasse quispiam dixerit; nempe omnes qui in libro psalmorum feruntur, a diversis viris prophetico Spiritu afflatis pronuntiatos, separatim positos fuisse, tum quia non eodem tempore dicti, tum quia non ab iisdem prophetice pronuntiati fuerant. A principio itaque quidam Moysis inscriptus fuit, alii Asaphi, alii Davidis, unus Salomonis, Ætham Esdraïtæ quoque alius; multi vero præter hosce inscriptione carent; ita ut cujusnam sint scire nequeamus. Cum ergo varie recitati fuissent, sparsim positi a studiosis harum rerum viris antiquitus servabantur. Deinde vero,

[1] Psal. LXXXVI, 1. — [2] Ibid. 2, 3, 4.

[dixerit idem], CL psalmos unum in librum coactos fuisse. Ac fortasse qui collegit, sive is Esdras fuerit, ut aiunt Hebræi, sive alius quispiam, eos qui primo ad manum venerunt, primos in libro constituit. Nam cum non omnes uno eodemque tempore repererit, necessario eos qui casu in manus inciderunt primo repertis adjunxit. Quamobrem cum octo primos filiorum Core, ut verisimile est, una simul repertos, in libro simul posuisset, iis postea subjunxit eos, qui sub hæc sese obtulerunt. Deinde cum plures alii reperti et in libro psalmorum repositi fuissent, post LXXXII psalmum, binos alios filiorum Core deprehensos, nempe LXXXIII et LXXXIV consequenter locavit. Tum post elapsum temporis spatium cum oratio Davidis reperta fuisset, eam post LXXXIV reposuit. Ac rursum post orationem Davidis, quæ LXXXV numero posita fuerat, inventos fuisse dicet duos alios filiorum Core; hunc quem tractamus, et sequentem : ac sic necessario orationi Davidis conjunctos fuisse. Idipsum porro dixerit idem in reliquorum psalmorum ordinatione contigisse.

Hæc vero sententia propheticis exemplis confirmatur : nam in propheticis libris frequenter reperire est ea, quæ prius dicta sunt, secundo loco posita, et quæ postremo prænuntiata sunt, iis quæ præcesserant præmissa. Nam Jeremias initium prophetandi ducit a tempore Josiæ, et usque ad Sedeciam et captivitatem pertingit : Sedecias vero quartus erat a Josia rex. Post Josiam enim secundus regnum excipit Joachim filius ejus, sub hæc tertius Jechonias filius Joachim, et post eum quartus Sedecias frater Joachim : ac cum Jeremias his omnibus regnantibus prophetaverit, ejus Scriptura a Josia init; sub hæc Jechoniæ, qui tertius a Josia erat, meminit, tum ea quæ sub Sedecia vaticinatur, qui quartus erat a Josia; his quarto loco subjungit ea quæ prænuntiata sunt sub Joa-

chim, qui secundus post Josiam erat. Adjicit postea quæ in principio ipsius Joachim dicta sunt: hinc quæ sub Sedecia; rursum ea quæ sub Joachim. Deinde captivitatem in Babylonem meminit, et quomodo post Sedeciam residui populi dux Godolias constitutus sit, et quo pacto Ismaël Godoliam occiderit, post quem Joanan filius Cariæ dux fuit. Post hos autem omnes affert deinde prophetias anno quarto Joachim pronuntiatas; sub hæc illas quæ initio regni Sedeciæ dictæ sunt. Similia quoque in Ezechiele reperias. Nam in hujus quoque Scriptura prophetiæ non ordine temporis jacent; sed quæ vigesimum septimum captivitatis annum spectant, præmittuntur iis quæ de undecimo captivitatis anno dicta sunt; post illas enim vigesimi septimi anni prophetias, quæ undecimo anno dictæ sunt, feruntur: deinde vero post illas undecimi anni, quædam habentur dccimo anno dictæ, hinc quæ anni vigesimi quinti sunt. Quorum omnium non aliam causam quis afferat præter jam traditam. Nam cum sparsim, ut verisimile est, variis temporibus, et sub singulis regibus reparatim editæ prophetiæ, a studiosis antiquitus servatæ fuissent; sive Esdras, sive quidam alii, singulorum Prophetarum dicta, variis temporibus prolata, uno volumine circumscribentes, ea quæ primo reperta fuerant, primo loco posuerunt, deinde ea quæ postea ad manum venerunt, subjunxere, etiam si tempore præirent. Eadem vero ratione psalmi digesti sunt, sive omnes una spectentur, sive ii seorsim quos jam tractamus; nisi fortasse profundior aliqua intelligendi ratio, nobis occulta, aliam causam ad quæstionis solutionem afferat. Ea vero quæ de ordine psalmorum filiorum Core, et de oratione Davidis quæ ante hunc psalmum posita, et in medio psalmorum filiorum Core locata est, prout succurrebant a nobis exposita sunt, cuique volenti legere

licet. Et hæc quidem a nobis exercitationis causa dicta sint.

Quia vero in hoc psalmo indefinite sic incipitur, « Fun» damenta ejus in montibus sanctis; » merito roget aliquis, quisnam ille sit. Cui respondeat incunctanter quispiam, Deum esse intelligendum; quia deinde subjungitur, « civitas Dei. » Ego vero considerata psalmi serie, cum deinceps dictum occurrat: « Numquid Sioni dicet, » Homo et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam; » pro quo Aquila interpretatus est, « Et Sioni dicetur, » Vir et vir natus est in ea, et ipse firmabit eam; » Symmachus vero, « De Sion dicetur, secundum singulos » homines ipse natus est ibi, ipse vero firmavit eam; » arbitror congruentissime dictum esse illud, « Funda» menta ejus in montibus, » sine additamento illo, « Dei; » ut perquirentes quis ille esset, ex sequentibus comperiremus, eum esse virum qui Sionem fundasse dicitur, quique istic natus est. Nam ait, « Homo natus est » in ea, et ipse fundavit eam; » sive, « et ipse firmavit » eam. » Cum dicitur ergo, « Fundamenta ejus, » subaudiamus nos virum qui fundavit eam, videlicet Dei civitatem. Dei vero civitatem, eam esse putare quæ in Palæstina olim Judæorum metropolis erat, id non solum vile et abjectum, sed etiam impium esset. Nam de illa Judææ civitate, quæ jam ab alienigenis gentibus incolitur, existimare dictum esse illud, « Diligit Dominus » portas Sion, » quæjam desertæ et dirutæ sunt; et illud « Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei; » ac rursum alibi, « Fluminis impetus lætificant civitatem Dei; » et iterum, « magnus Dominus et laudabilis nimis in civitate » Dei nostri, in monte sancto ejus[1]; » hæc, in quam, omnia dicta intelligere de civitate, quam nunc Græci, alieni-

[1] Psal. XLV, 5; Psal. XLVII, 2.

genæ et idololatræ incolunt, abjecta sane mihi et vilissima sententia videtur. Quod si quis perpendat solere divinas et propheticas voces, civitatem Dei vocare pium ac religiosum institutum, is sane videbit quo pacto per totum orbem, Deo dilectum illud et religiosum institutum et civitatem Salvator et Dominus noster Jesus, Christus Dei, fundaverit et firmaverit. Quare diversimode prædicatur a Prophetis, cum dicitur de illo, « Hic ædificabit civita- » tem meam. » Nam Dei civitatem, videlicet institutum secundum Deum, et religiosam vitæ rationem per totum orbem solus ille, in ipsa civitate genitus, constituit et firmavit per Ecclesiam suam catholicam, in omni loco, regione et civitate constitutam : de qua dictum putare convenit illud, « gloriosa dicta sunt de te, civitas » Dei; » et illud, « Fluminis impetus lætificant civita- » tem Dei[1] ! » et quæcumque illis similia in divinis Scripturis feruntur.

Hujus itaque maximæ et Deo dignæ civitatis, scilicet Ecclesiæ Dei, et pii instituti in ea servati, fundamenta sunt in montibus sanctis. Locum autem explicat Apostolus his verbis : Superædificati super fundamentum « Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari » lapide Jesu Christo[2]. » Et vero fundamenta ejus non inferius posita et penes nos sunt; sed sursum, et in iis qui montes sancti vocantur. Quare dicitur, « Funda- » menta ejus in montibus sanctis. » Illi porro montes sancti, sunt cœli cœlorum, ubi magnum illud institutum cœlestis Sionis et vere magnæ Dei civitatis consistit. Neque meus hic sermo est, sed ejusdem Apostoli dicentis : « Illa vero quæ sursum est Jerusalem, libera est, quæ » est mater nostra; » et, « Accessistis ad Sion montem, » et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem; et

[1] Psal. XLV, 5. — [2] Ephes. II, 20.

» multorum millium Angelorum frequentiam, et Eccle-
» siam primitivorum qui descripti sunt in cœlis[1].» Hujus itaque magnæ Dei civitatis imago fuerit Ecclesia Dei, quæ est in terra; fulcra autem et fundamenta ejus ea sunt, quæ superius per montes sanctos significari tradidimus; ingressus autem et primi aditus cœlestis illius civitatis apud nos sunt. Qui ingressus et aditus ad religiosum illud institutum, hic portæ Sion vocantur, cum dicitur : «Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula
» Jacob. » Hic autem mihi per illa tabernacula Jacob, Judaïcæ traditiones et Mosaïci corporales cultus significari videntur : quibus præstantiores apud Deum sunt portæ Sion, id est, ingressus et aditus ad regnum cœleste, in Ecclesia stabiliti. In ea namque sola prædicatur regnum cœlorum; totusque salutaris Evangelii scopus eo respicit. Siquidem salutaria promissa, Evangelica prædicatio, totaque Christiani instituti spes, regnum cœlorum spectant. Scriptum est enim hæc prædicasse Salvatorem : « Appropinquavit regnum cœlorum[2]; » ipseque beatos prædicavit eos qui propria sibi beatitudine digni sunt, ipsisque regnum cœlorum pollicitus est, imo etiam discipulos suos precandi et regnum cœlorum petendi modum edocuit, hanc orationis formam tradens : « Fiat voluntas
» tua, adveniat regnum tuum[3]. » Jure ergo hæc omnia portœ regni cœlorum vocata sunt, utpote ingressus aditusque itineris illo instituendi. Diligit ergo Dominus has cœlestis Sionis portas plus quam omnes legales et Judaïcas synagogas, quas tabernacula Jacob appellavit. Apud Judæos enim cœlestis illa Dei civitas nullatenus memoratur, neque pro scopo habent ipsi regnum cœlorum; sed deorsum proni, in terra spem habent, et promissa sibi data hic expectant : quare portæ illæ cœlestis Sion, quas

[1] Gal. IV, 26; Hebr, XII, 22. — [2] Matth. X, 7. — [3] Matth. VI, 10.

supra declaravimus, majore in pretio apud Deum habentur, quam tabernacula Jacob. Cujus Sionis fundamenta non hic et in terra, humili loco posita sunt, sed in montibus sanctis, uti supra explicavimus.

« Memorabo Rahab et Babylonem scientibus me. Et » ecce Alienigenæ et Tyrus et populus Æthiopum, hi » facti sunt illic. » Pro illo, « Memorabo Rahab et Baby- » lonem, » Aquila dicit, « Memorabo impetum et Ba- » bylonem; » Symmachus, « Memoria repetam super- » biam et Babylonem. » Æstimo autem per Babylonem, Tyrum et Rahab, et per Alienigenas ac populum Æthiopum, vocationem gentium adumbrari, quæ a priore instituto mutatæ et translatæ, regeneratione civitate Dei dignatæ sunt; quas prioris generis sui memores esse sermo expetit. Nam cum dicitur Alienigenas, Tyrum et populum Æthiopum illic factos fuisse, quid aliud quam alienigenarum gentium in civitate Dei regeneratio significatur? Aquila vero ait, « Phylistæa et Tyrus cum Æthio- » pia, hic natus est illic; » simili modo Symmachus interpretatus est his verbis, « Ecce Phylistæi et Tyrus cum » Æthiopia, hic natus est illic. » Illic vero ubinam natos dicit, nisi in civitate Dei, aut in spiritualibus ejus portis? Illud quippe ipsa orationis series subindicat. Cum dixisset enim, « Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei; » subjicit postea, tales et tales alienigenas illic ortos esse, et populum Æthiopum ibidem esse natum; videlicet in memorata Dei civitate, aut in portis ejus, speculandi modo intellectis. Hæc opere completa, veritatem verborum salutaris gratiæ comprobant: quæ Babylonios, Tyrios et omnes alienigenas Israëlitico generi extraneos, per lavacrum regenerationis et per omnia novi Testamenti mysteria in prædicta civitate Dei regenerat. « Mater Sion » dicet, Homo et homo natus est in ea, et ipse fundavit

» eam Altissimus[1]. » Reliquorum interpretum editiones clarius horum sententiam exposuerunt. Nam Symmachus hoc modo interpretatus est : « De Sion dicetur per singu-» los, Homo hic natus est illic : ipse fundavit eam Altis-» simus. Dominus numerabit scribens populos : hic natus » est illic. » Theodotio vero ait : « Et Sioni dicetur, Vir » et vir natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus. » Dominus narrabit in scriptura populorum, Hic natus » est in ea. » Et animadvertas, quæso, sicut in his dictum est de Alienigenis, « Alienigenæ et Tyrus et populus » Æthiopum hi facti sunt illic ; » sic et hoc loco, « Di-» cetur, » inquit, « Vir et vir natus est ibi ; » et postea rursum, « Dominus scribens populos hic natus est illic. » Nam id primo de populo Alienigenarum dictum est ; secundo, de viro qui illic natus fuisse dicïtur ; tertio, de ipso Domino. Etenim, inquit, ipse Dominus, qui hæc vaticinatur et populos scribit, hic natus est illic.

Aperte autem Scriptura per virum qui natus est illic, nimirum in civitate Dei, Salvatoris nostri hominem subindicavit. Cum porro ipsum Dominum illic natum dicit, De[2] Verbi in homine habitationem declarat. Quemadmodum enim Sion, quæ civitas Dei est, locus est viri in ea nati ; ita ipse vir locus efficitur et receptaculum Dei Verbi in se nati, qui quasi in loco sacro et in templo, imo potius quasi in statua et receptaculo deitatis suæ, in ipso habitat. Et hæc necessario docet hæc Scriptura, ut notum sit qua ratione Alieniginæ et Tyrus et populus Æthiopum in civitate Dei facti fuerint, et filii Dei per regenerationem ibi acceptam sint effecti. Nam qua ratione tanta in cœlis gratia effusa sit, allatis iis quæ ad virum eo in loco editum, et ad Dominum item in hujusmodi vero natum pertinent, aperte declarat. Quibus omnibus sub-

1 Psal. LXXXVI, 5, 6.

dit illud, « Sicut lætantium omnium habitatio est in te[1]; » pro quo Aquila dicit, « Et canentes quasi chori omnes » fontes in te; » Symmachus vero, « Et laudabunt quasi » in tibiis omnes fontes in te. » His porro significari arbitror fidelium omnium, qui sancta Dei civitate donandi sunt, congregationem, atque in chorum unum reductionem. Nam cum dicitur, « in te; » indicari suspicor civitatis Dei locum, cujus fundamenta quidem in montibus sanctis erant, portæ vero et aditus infimo in loco et apud nos siti sunt: in medio autem illius, quasi in chorea et concentu divino, congregati illi habitaturi esse prænuntiantur. Animadverte porro qua ratione hic psalmus, Dei generationem secundum Septuaginta interpretum lectionem vaticinans, mysterium occultarit. Illa enim secundum Symmachum explicatio, « Dominus numerabit scri» bens populos, hic natus est ibi; » vel secundum Aquilam, « Dominus narrabit in scribendo populos, hic na» tus est ibi; » vel secundum Thodotionem. « Dominus » narrabit in scriptura populorum, hic natus est ibi, » non eadem apud LXX reperitur: sed dicitur, « Dominus » narrabit in scriptura populorum et principum, horum » qui fuerunt in ea; » quia, ut arbitror, interpretes veram sententiam occultarunt, quod alienis gentibus, tempore Ptolemæi, Scripturam interpretaturi essent, cum nondum Salvator noster in mundo apparuisset. Totusque psalmus admodum ænigmaticus et obscurus est: quippe qui « Fundamenta ejus » dicat, et quis sitis de quo loquitur taceat, nec indicet illum; ac rursum montes sanctos memoret, portasque tabernaculis Jacob a Domino antelatas, itemque civitatem Dei gloriose celebratam: ad hæc vero omnia, in civitate, non Israëlem, neque Judaïcam gentem, sed Rahab olim meretricem, Babylo-

[1] Psal. LXXXVI, 7.

nem, Tyrios, Æthiopas, alieginasque nominet. Hi quippe omnes cur in civitate Dei nascituri esse dicantur, non aliam causam quis proferat, nisi generationem viri qui in illa natus est, et Domini item in illa nati, videlicet in viro quem jam diximus. Quapropter omnimodam communemque lætitiam, choreas, cantica, laudes, divinorum sacrorumque eloquiorum fontes in fine psalmi vaticinatur. Cum autem dicit, in scriptura populorum omnia reponenda esse, arbitror eum tempus descriptionis gentium, quæ in ortu Salvatoris nostri Jesu Christi facta est, indicare : tunc enim « exiit edictum a Cæsare Au» gusto, ut describeretur universus orbis[1] ; » Cum Cyrenius in Judæam veniens censum edidit. Quod significat Evangelista dicens : « Hæc descriptio prima[2]; » ita ut tempus illud in hoc psalmo accurate significetur. Num forte ideo psalmus iste segregatus, longeque ab aliis qui filiorum Core inscribuntur hoc consilio positus est, ut mysteria ibi de Christi ortu enuntiata occultarentur ; ita ut ista quoque ratio et responsio adferri possit ad quæsita nostra initio sermonis proposita. Idipsum quoque dicas de LXXXVII, qui hunc sequitur, et filiorum Core pariter inscriptus est. Quia ille Servatoris nostri mortem vaticinatur, consequenter ad hunc, qui ortum ejus prædixerat.

[1] Luc. II, 1. — [2] Ibid. 2.

PSALMUS LXXXVII.

Canticum psalmi, filiis Core, in finem, pro Maheleth ad respondendum, intellectus Æman Esdraitæ. [1]

« DOMINE Deus salutis meæ, in die clamavi, et nocte » coram te [2]. » Præsens quoque psalmus ut præcedens, filiorum Core est. Sed ille quidem Christi ortum subindicabat his verbis : « Et Sioni dicetur, Vir et vir natus est » in ea, et ipse firmabit eam, » ut Aquila interpretatur : tempus etiam ortus prædicti viri significat in sequentibus dicens, « In scribendo populos, hic natus est ibi. » Hujus porro dicti sententiam apertius extulit Quinta editio, in qua dictum est, « In descriptione populorum, hic nascetur ibi. » Manifestissime quippe descriptionem memoravit, cujus tempore Salvator et Dominus noster natus est, sicut enarrat Evangelista : « In diebus illis, exiit » edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus » orbis. Hæc descriptio prima facta est, præside Syriæ » Cyrenio [3]. » Verum ille quidem psalmus ortum ejus significabat ; hic vero mortem. Illud autem, « pro Maheleth, » Symmachus, « per chorum, » interpretatus est; Aquila vero, « super choream. » Videturque mihi hic Christi populum et Ecclesiasticam Choream adumbrari, in qua mors Servatoris nostri hymnis celebratur. Quia vero ortus ejus per hanc choream canitur, jure præcedens psalmus, qui ortum ejus vaticinabatur, hæc dixit, « Et canentes sicut chori omnes fontes in te : » quibus declarantur Christi chori in Ecclesia canentes et

[1] Psal. LXXXVII, 1. — [2] Ibid. 2. — [3] Luc. II, 1.

hymnis mysteria ejus celebrantes. Æman vero Esdraïten, unum ex filiis Zaræ filii Juda esse aiunt, vocatumque apud Hebræos patronymice Zaraïten : fuisseque filios Zaræ numero quinque, ut testificatur primus Paralipomenon liber his verbis: « Filii Juda, Phares et Zara : Fi-» lii Zaræ, Zambri, Æthan et Æman et Chalchal et » Darda, numero quinque[1]. » Hos Hebræus ait in Ægypto ante Moysis ætatem vaticinatos esse, auctoresque esse psalmorum qui nomine suo inscripti sunt : qualis est hic quem tractamus, et subsequens, qui inscriptus est, « Æthan Ezraïtæ : » de illis quoque hæc in tertio libro Regum dicta esse putat : « Et Sapientior erat Salomon » Æthan Ezraïta, Æman et Æman et Chalchal et Dar-» dan[2]. » Hæc de historia dicta sunto. An vero horum nominum significationes ad psalmi speculationem conferant, tu ipse consideres velim. Cum autem hic psalmus postremus sit eorum, qui filiorum Core inscripti sunt, Salvatoris nostri ad inferos descensum complectitur : ita ut quasi de industria provisum sit, ut mortis ejus mysterium in fine omnium traderetur. Videnturque mihi hi quatuor filiorum Core psalmi, nempe LXXXIII LXXXIV, LXXXVI et LXXXVIII, aliquid connexionis inter se habere. Nam LXXXIII, Dei adventum ad homines et Christi prophetiam manifeste complectitur ; sequens vero ea quæ in vaticinio ferebantur quamprimum accedere precabatur : præcedens autem psalmus ejus in carne ortum jam subindicabat ; hic vero consequenter ad eos omnes mortem ejus, quam pro hominibus suscepit, prænuntiat.

« Domine Deus salutis meæ, in die clamavi et nocte » coram te. Intret in conspectu tuo oratio mea : inclina » aurem tuam ad precem meam[3]. » In vigesimo-primo psalmo, qui itidem ad Christum refertur, ejusque pas-

1 I Par. II, 6. — 2 3 Reg. IV, 31. — 3 Psal. LXXXVII, 3.

sionem aperte vaticinatur, ut ab initio declaratur his verbis, « Deus Deus meus respice in me, quare me dereli» quisti[1] ? » quod Salvatorem ad verbum in passione dixisse narratur ; statim post initium additur, « Deus » meus clamabo per diem et non exaudies, et nocte et » non ad insipientiam mihi. » Præsens item psalmus ait, « In die clamavi et nocte coram te. » Videturque mihi his subindicare totam incarnati Salvatoris nostri vitam, quæ non solum die sed etiam nocte Deo consecrata fuit. In Evangeliis porro dicitur eum semper orationibus vacasse. In præsenti vero Patrem obsecrat et rogat ut inclinet aurem ad precem suam ; id est, ut annuat petitionibus suis. Idque precatur utpote qui pro omnibus gentibus ipse se Patri in sacrificium oblaturus esset. Cum autem multa de morte sua deinceps narraturus, prospiceret eam quæ se post mortem exceptura erat Salutem, initium psalmi saluti suæ congruenter applicat cum ait : « Domine Deus salutis meæ. Quia repleta est malis anima » mea, et vita mea inferno appropinquavit. Æstimatus » sum cum descendentibus in lacum[2]. » His descensum ad inferos suum manifeste declarat, necnon mala illa queis afflictam animam suam fuisse testificatur. Mala vero calamitates appellat : nam mali nomen latius intelligitur ; sive etiam his indicat hominum malitiam, qua repletam dixit animam suam ; imo etiam peccata nostra, quæ in se ipse suscepit : ac quorum causa factus est pro nobis maledictum, secundum Apostolum dicentem : « Dominus pro nobis mortuus est, factus pro nobis ma» ledictum[3] : quia scriptum est, Maledictus omnis qui » pendet in ligno[4]. » Quare, ut in psalmo fertur, repleta est malis anima ejus, et vita ejus inferno appropinqua-

[1] Psal. XXI, 2. — [2] Psal. LXXXVII, 4, 5. — [3] Gal. III, 13. — [4] Levit. XVIII, 15.

vit, quod ipsum descensum ejus in mortem clare significat. Ideo Aquila sic edidit, « Et vita mea in infernum » devenit ; » Symmachus vero, « Et vita mea infernum » attigit. » Ut autem alibi dictum est, « Cum iniquis re» putatus est ; » sic et hoc loco, Æstimatus sum, « in» quit, » cum descendentibus in lacum. Pro quo Symmachus edidit, « Reputatus sum cum deductis in lacum. » Siquidem omnes homines in locum mortis, qui jam lacui comparatur, detrahuntur et deducuntur, atque illuc propter peccata sua, ista regione digni judicati, descendunt. Et ego quoque in eorum numero computatus sum, et si non id promeritus, sed Patri obsequens fuerim usque ad mortem. Hic itaque « vita mea, » inquit, « inferno » appropinquavit, » et, « æstimatus sum cum descen» dentibus in lacum. » In alio item psalmo hæc ipsa commemorans, reditum inde significat his verbis: «Domine » eduxisti ab inferno animam meam, salvasti me a des» cendentibus in lacum [1] ; » ac rursum alibi, « Expec» tans expectavi Dominum, et intendit mihi : et exau» divit deprecationem meam, et eduxit me de lacu mi» seriæ. Et statuit supra petram pedes meos [2] ; » et in decimo quinto psalmo dictum est, « Non derelinques » animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum vi» dere corruptionem [3]. »

« Factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos » liber : sicut vulnerati dormientes in sepulcro, quorum » non es memor amplius, et ipsi de manu tua repulsi » sunt [4]. » Qui vere sine adjutorio sub mortis imperio degunt, ab ipsa deferuntur et abducuntur. Solus autem Servator et Dominus noster seipsum exinanivit et humiliavit usque ad mortem : et sicut factus est in similitudinem carnis peccati, ita factus est sicut unus ex homini-

[1] Psal. XXIX, 4. — [2] Psal. XXXIX, 2. — [3] Psal. XV, 10. — [4] Psal. LXXXVII, 6.

bus sine adjutorio. At quia non vere et reipsa in multitudine illa numerabatur, solus inter mortuos liber erat, nec sub mortis servitute remansit. Pro illo autem, « Inter mortuos liber, » Aquila, « in mortuis liber, » edidit; Symmachus vero, « Intra mortuos dimissus liber. » Hæc porro cum distinctione legas; ita ut isthæc, « Factus » sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos, » sejungas; deinde vero addita post illud, « inter mortuos, » interpunctione, quasi negative adjicias illud, « liber : » ut hæc sit dicti sententia, Ego qui liber et solus vere omnium Dominus sum, factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos; non vere quidem sine adjutorio, sed quasi sine adjutorio. Hæc autem dicta alii nemini competere posse, quam ei qui mortem quidem attigit, et ad inferos descendit, neque tamen in servitutem ejus redactus est, cuivis puto manifestum esse; ita ut nulli alii hominum psalmi verba possint aptari, præterquam Salvatori nostro. Quemadmodum autem factus est sicut homo sine adjutorio; ita etiam « sicut vulnerati dormientes in » sepulcro, quorum non es memor amplius. » His etiam sepultura ejus indicatur, quam divinus Apostolus ad Corinthios scribens his commemorat : « Tradidi enim vobis » in primis quod et accepi : quoniam Christus mortuus » est pro peccatis nostris secundum Scripturas, et quia » sepultus est[1]. » Hesaïas quoque sepulturam ejus memorat his verbis : « In pace sepultura ejus sublata est ex » medio[2]. » Pro illo autem, « Sicut vulnerati, » Aquila, « Perinde atque occisi; » Symmachus vero, « Quasi vul- » nerati : » idque clare quodammodo impletum est, quando miles lancea latus ejus vulneravit : quod autem in sepulcro etiam vulneratus jacuerit, propalam est. Cæterum cum dicit se factum esse sicut vulneratum, et si-

[1] I Cor. XV, 3. — [2] Isai. LXVII, 2.

milem dormientibus in sepulcro, hic series non terminatur; sed si totum connectas dicti sententiam deprehendes : « Factus sum, » inquit, « sicut vulnerati, quorum » non es memor amplius. » Cæteri namque post mortem in sepulcris depositi, relicti sunt, ac terra et pulvis remanserunt, Deo post mortem nullam eorum memoriam retinente : ego vero factus sum sicut unus eorum, licet non illis similis sim; nam mei post inflictum vulnus, post mortem et post depositionem in sepulcro, memor fuisti, ac vita et salute, quæ penes te est, dignatus me es. Quare ab initio gratiarum actionis hymnum emisit his verbis : « Domine Deus salutis meæ, in die cla- » mavi et nocte coram te. » Quæ me spectabant talia erant. Attamen factus sum multis in sepulcro jacentibus similis, qui non amplius memoria tua digni habentur, quia de manu tua repulsi sunt. Nam illius loco, « Quo- » rum non es memor amplius, et ipsi de manu tua re- » pulsi sunt, » Aquila edidit, « Quorum non recordatus » es ultra, et ipsi ex manu tua abscissi sunt; » Symmachus autem, « Quorum non recordaberis ultra, qui a » manu tua excisi sunt. »

« Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis et in » umbra mortis[1]. » Loco illius, « Posuerunt me, » Aquila, « Posuisti me; » Symmachus vero, « statuisti me, » ediderunt. Queis declarat se ex nutu et voluntate Patris, non modo in mortem, in infernum et in memoratum lacum descendisse; sed etiam in profundissima, infima et extrema, ut ita dicam, ibi posita loca. Idipsumque in Evangeliis narrat his verbis : « Oportet Filium hominis » manere in corde terræ tribus diebus et tribus nocti- » bus[2]. » Pro illo autem, « In tenebrosis et in umbra » mortis, » Aquila sic habet, « In tenebrosis et in pro-

[1] Psal. LXXXVII, 7. — [2] Matth. XII, 40.

» fundis; » Symmachus vero, « In tenebrosis obtectum; » Quinta editio, « In tenebrosis, in latibulis. » Hoc autem necessario a me observatum est, ne quis suspicetur ipsum in morte non fuisse, quia a LXX interpretibus dicitur, « In tenebrosis et in umbra mortis. » Nam commonstratur eum in tenebrosis, profundis et latibulis ipsius mortis fuisse : quamobrem neque Hebraïcum exemplar, neque reliqui interpretes, umbram mortis interpretati sunt. Nam præsentem vitam, umbram mortis plerumque vocare Scriptura consuevit. Hic vero Salvator, in ipsa morte constitutus, totam œconomiam suam describit. « Super me confirmatus est furor tuus, et omnes fluctus » tuos induxisti super me[5]. Diapsalma. Longe fecisti notos meos a me, posuerunt me abominationem sibi. » Traditus sum, et non egrediebar[1]. » Quoniam Christus pro nobis mortuus est, secundum Apostolum, factus pro nobis maledictum; ideo scribitur, « Maledictus omnis » qui pendet in ligno : » et quia eum, qui peccatum non noverat, Deus pro nobis peccatum effecit, secundum eumdem Apostolum, jure imminentem nobis, qui nuper impii et peccatores eramus, iram Dei, et furorem ejus instantem nobis in se pertrahens, atque ob vim sui erga homines amoris, supplicium et destinatam nobis ultionem in se suscipiens, has proferebat voces; utpote qui factus esset agnus Dei qui tollit peccatum mundi[2]. Quare hæc de illo Propheta loquitur : « Hic peccata nostra portat, » et pro nobis cruciatur : ejus vibice nos sanati sumus, » et Dominus tradidit eum peccatis nostris[3]. » Hæc igitur et ipse declarat in psalmo dicens : « Super me con» firmatus est furor tuus, et omnes fructus tuos induxisti » super me. » Pro quo Symmachus ait, « Super me ag» gravatus est furor tuus, et procellis afflictasti me. »

[1] Psal. LXXXVII, 8, 9. — [2] Gal. III, 13 ; 2 Cor. V, 21. — [3] Isai. LIII, 3.

Nam ceu quidam amantissimus pater, tempestatis aut belli tempore genuinos filios protegens, illos quidem occultavit, in ulnis obtegens atque in tuto ponens; sese vero procellis ac telis pro omnibus objecit, mortem suam pro filiorum salute in commutationem tradens, et iram illis imminentem ad se convertens. Quamobrem qui benedictio Dei erat, factus est maledictum; et qui justitia erat, factus est peccatum, furoremque Dei contra homines aggravatum ad se pertrahens, ipsum quidem ab se repulit; ita ut neque se neque alios vel minimum læderet; illum vero utpote Patrem, hominum generi placatum reddidit. Quomodo autem omnes Discipuli ejus tempore passionis ipsum deseruerint; alii autem negaverint, non est quod referamus, quando quatuor Evangelistæ simul idipsum nos edocent. Hæc igitur ille prænuntians, his vocibus vaticinatur, quas Symmachus hac ratione interpretatus est, « Longe fecisti notos meos a me : posuisti » me abominabilem ipsis, custoditum et non progredien- » tem. » Tunc itaque ipsum Discipuli abnegarunt, cum in domo Caïphæ summi pontificis in custodia detineretur. « Oculi mei languerunt præ inopia. Clamavi ad te, » Domine, tota die, expandi ad te manus meas[1]. » Hæc item clarius Symmachus edidit his verbis, « Oculus meus » effluxit propter vexationem : invocavi te singulis die- » bus, expandi ad te manus meas. » Etenim semper hominum miserias deflebat, oculosque affligebat suos, eorum qui se non susceperant perniciem deplorans. Atque ut Jerosolymam lacrymis prosequebatur, ita par erat eum, utpote hominum amantem, optimique Patris Filium, proditoris Apostoli casum, totius Judaïcæ gentis abjectionem, ac reliquorum qui peribant ruinam deflere; qua de causa manus expandebat ac vociferabatur, in

[1] Psal. LXXXVII, 10.

orationibus ad Patrem clamans, gemitibus inenarrabilibus apud Patrem intercedens. Alio item modo oculum, sive oculos ejus infirmantes, neutiquam aberres si dicas Apostolos esse, siquidem corpus ejus, totus populus ejus est, ut docet is qui dixit : « Vos autem omnes corpus » Christi, et membra ex parte[1]. » manus autem suas, opera scilicet ad Patris gloriam edita, expandebat, ei qui solus ipsa videre poterat obtendens : imo etiam in frequentibus orationibus et in passione sua manus pro mundo, cujus peccatum auferebat, expandit, ut Patrem placaret.

Quænam autem expansis manibus Patrem rogaverit, et quænam memorata die ad Patrem suum clamaverit, ipse mox aperit dicens : « Numquid mortuis facies mira- » bilia, aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi? » Diapsalma. Numquid narrabit aliquis in sepulcro » misericordiam tuam, et veritatem tuam in perdi- » tione. » Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia « tua, et justitia tua in terra oblivionis[2] » Pro illo, « Numquid mortuis facies mirabilia? » Symmachus ait, « An mortuis facies prodigia? » et in sequentibus ubicumque dicitur, « Numquid narrabit aliquis in sepul- » cro; » ac rursum, « Numquid cognoscentur in tene- » bris; » Symmachus, « An narrabit, An cognoscentur, » edidit. Non enim quod hæc fieri posse desperaret, ita locutus est, in illa scilicet passionis suæ die; sed a Patre solo talia perfici posse persuasum habens, sui ad mortem descensus causam ita narrat : « An mortuis facies prodi- » gia? » An talia et talia patrabis? Neque enim me eousque devenire, o Pater, ac in morte, et in lacu infirmo deponi voluisses, nisi etiam in mortuis mirabilia exhibere in animo plane habuisses; ut quæ medici non va-

[1] 1 Cor. XII, 27. — [2] Psal. LXXXVII, 11, 12, 13.

lent, potestas tua operaretur; id est, ut qui in morte positi erant, resurgentes confiterentur tibi. Non enim medicorum est hæc facultas, sed divinæ magnificentiæ tuæ. Igitur me mortem ideo subire voluisti, ut in sepulcris misericordia tua narraretur, et in perditione veritas tua cognoscetur; in tenebris mirabilia tua prædicarentur, in terra oblivionis justitia tua memoraretur. Quod si quis animum adhibeat iis, quæ nostro tempore ad sepulcrum et Martyrium Salvatoris nostri patrata sunt, mirabilibus, is sane deprehendet quo pacto ea quæ prænuntiata fuerant opere completa sint. Animadverte porro quot diversis modis hic regionem mortis explicet. Nam primo mortuos vocat; secundo, qui habitant in sepulcro; tertio, qui sunt in perditione; quarto, qui in tenebris versantur; quinto, qui sunt in terra oblivionis. Hæc quippe omnia de iisdem enuntiat, queis hominum amans et benignus Deus mirabilia exhibiturus erat : ii videlicet misericordiam, veritatem et justitiam Dei narrabunt. Qua ratione autem hæc omnia, videlicet mirabilia Dei, misericordia, veritas et justitia ejus ad illos olim mortuos, ad sepulcra, ad perditionem, ad tenebras et ad terram oblivionis pervenerint, scire licebit, si cogitemus quot bonorum nobis olim in morte versantibus auctor fuerit Salvator et Dominus noster, quorum gratia in illa loca descendit, ut non vivis modo, sed etiam mortuis dominaretur : nam quæ causa fuerit descensus ejus in mortem, hic apertissime declaravit : quæ secundum Evangelistas tunc impleta sunt, cum multa corpora sanctorum, qui dormierant, resurrexerunt, et cum ipso Servatore in sanctam Dei civitatem, videlicet in illam cœlestem, ingressi sunt.

« Et ego ad te clamavi, et mane oratio mea præve-

» niet te [1]. » Quemadmodum in titulo psalmi XXI qui aperte ex persona Salvatoris nostri profertur, dicitur, « Pro susceptione matutina, » quo resurrectio Salvatoris nostri, quæ mane contigit, subindicatur; idipsum jam his significari puto, « Mane oratio mea præveniet te : » quo indicatur, orationem Salvatoris non alio tempore effectum consecutam esse, nisi illucescente aurora et matutinis horis, cum resurrectio mortuorum accidisse narratur. Quare neque vespere, neque meridie, neque alio quodam tempore, sed « mane oratio mea præveniet te. » Ut quid, Domine, repellis animam meam, avertis fa- » ciem tuam a me [2]? » In vigesimo quoque primo dicebat : « Deus, Deus meus respice in me, quare me dere- » liquisti ? » Hic autem dicit, « Ut quid, » interrogando qua de causa derelictus a Patre sit, et quare ille animam suam repulerit; ut si nos aliquando dubii quæramus, quare Deus Filio suo non pepercit, sed tradidit eum, volens hominum manibus dedititium esse, (id enim erat eum relinquere ac repellere); ediscamus id nostri gratia plane factum, ut docuit Apostolus his verbis : « Sed pro » nobis omnibus [3], » ut fieret agnus Dei et ovis immolata pro salute mundi. Quamobrem Propheta quoque dicebat : « Et Dominus tradidit eum peccatis nostris. Et » hic peccata nostra portat, et pro nobis cruciatur. Et » ipse vulneratus est propter peccata nostra, infirmatus » est propter iniquitates nostras : vibice ejus nos sanati » sumus [4]. » In XXI autem subjungit, « Deus clamabo » per diem, et non exaudies, et nocte et non ad insi- » pientiam mihi ; » in præsenti vero, « Avertis faciem » tuam a me. » Hæc porro similia puto iis quæ in Evangelio opere completa feruntur, ubi a Discipulis semotus, in faciem procubuit orans et dicens : « Pater si possibile

[1] Psal. LXXXVII, 14. — [2] Ibid. 15. — [3] Rom. VIII, 32. — [4] Isai. LIII, 5.

» est, transeat hic calix a me. Verumtamen non sicut » ego volo, sd sicut tu [1]; » ac rursum, « Pater si non » potest hic transire, nisi bibam illum, fiat voluntas » tua [2]. »

« Pauper sum ego et in laboribus a juventute mea : » exaltatus autem, humiliatus sum et perplexus. In me » transierunt iræ tuæ, terrores tui conturbaverunt me. » Circumdederunt me sicut aqua tota die, circumdede- » runt me simul. Elongasti a me amicum et proximum, » et notos meos a miseria [3]. » Hæc clarius Symmachus edidit his verbis : « Pauper cum sim et deficiens a juven- » tute, suscepi timorem tuum. Ad hæc per me præter- » mearunt iræ tuæ, terrores tui tacere me fecerunt. Cir- » cumvenerunt me sicut aquæ, tota die circumdederunt » me. » Aquila vero, « Super me, » inquit, « præterie- » runt iræ tuæ. » Quomodo autem pauper fuerit et in laboribus a juventute, docet ipse in Evangeliis de se loquens his verbis : « Discite a me quia mitis sum et humi- » lis corde [4]. » Apostolus item ait : « Qui cum in forma » Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem » Deo; sed semetipsum exinanivit [5]; » ita ut perspicuum sit qua de causa apud LXX interpretes dicatur, « Pauper » sum ego et in laboribus a juventute mea. » Verum in juventure sua, cum alio quin a Josepho, qui pater ejus esse putabatur, et a Matre sua secundum carnem, educaretur, pauper inter pauperes erat; et cum secundum aliam vitam suam dives esset, nostri causa inops effectus est, ut nos ejus inopia divites essemus. Cum porro demum prodigia et Dei virtutes edens, exaltatus est, et per passionem suam elevatus, humiliatus est. Quare dicebat : « Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exal-

[1] Matth. XXVI, 39. — [2] Ibid. 42. — [3] Psal. LXXXVII, 16, 17, 18, 19. — [4] Matth. XI, 29. — [5] Philip. II, 6.

» tari oportet filium hominis [1]; » ac rursum, « Cum » exaltaveritis filium hominis, tunc cognoscetis quia ego » sum [2]; » in præsenti vero ait, « Exaltatus autem, hu- » miliatus sum et perplexus. » Illud autem; « Per me » prætermearunt iræ tuæ, » secundum Symmachum, vel secundum Aquilam, « Super me præterierunt iræ » tuæ, » vel secundum LXX. « In me transierunt iræ » tuæ, clare denuntiat, non in illo constitisse, sed per eum præteriisse; neque stetisse, sed transiisse. Illud autem, « conturbaverunt me, » secundum LXX huic Evangeliorum dicto simile est : « Nunc anima mea turbata » est; » et, « Tristis est anima mea usque ad mor- » tem [3] : » et cætera quoque secundum historiam implebantur, cum eo relicto Apostoli abscesserunt, Petrus vero ter negavit eum. Et alia quoque ratione hæc omnia dicebat, aliorum mala sibi ut propria adscribens, videlicet proditoris Judæ perniciem, totiusque Judaïcæ gentis ruinam : de quibus, quasi de filiis improbis, iniquitatis suæ causa pereuntibus, vehementi miserationis et humanitatis affectu eorum mala ad personam propriam referens, ingemiscebat. Id porro intelligas si his Prophetæ verbis attendas, « Hic peccata nostra portat, et pro no- » bis cruciatur [4]. » Quare eorum gratia dolore affectus exclamabat dicens : « In me transierunt iræ tuæ, terro- » res tui conturbaverunt me. » Videbat enim non ita multo post venturam iram, quæ omnia illis augusta et veneranda de medio sustulit; ita ut sancta sanctorum et altare a fundamentis diruerentur, regesque eorum qui diuturna atavorum successione ad illud usque tempus devenerant, finem imperandi facerent; jus et facultas illa suis vivendi legibus, qua a longissimo ævo usi fue-

[1] Joan. III, 14. — [2] Joan. VIII, 28. — [3] Joan. XII, 27; Matth. XXVI, 38. — [4] Isai. LIII, 5.

rant, legalis cultus cum ipso sacerdotio, ac reliquis ducibus principibusque suis extinguerentur; ita ut ne vestigium quidem eorum ad hoc usque tempus residuum manserit. Quæ omnia perpessi sunt, ira Dei non diu post passionem ejus, ob admissa contra ipsum facinora, totam eorum gentem invadente. Quæ ipse significabat his verbis, « In me transierunt iræ tuæ, » ac si diceret, « Propter me; » sive secundum Symmachum, « Per » me; » quia secundum rei veritatem talia propter ipsum passi sint. Imo etiam illorum cladem prospiciens dicebat, « Terrores tui conturbaverunt me. Etiamsi enim terrores Dei, quos ipsis Prophetæ interminabantur, eos ob duritiem cordis non conturbarent; me tamen, qui terribilium sermonum tuorum exitum prospicerem, terrores tui conturbaverunt. Sic itaque ob eorum impietates Patrem pro illis deprecans, animo valde mœstus, ipsorumque causa turbatus, tristis erat usque ad mortem : quia imminebant illis iræ Dei tela; ita ut orationes, quas pro illis emittebat, nihil loci haberent : quare cum in Evangeliis pronus et procumbens in faciem jacensque preces emitteret, hæcque clamaret : « Pater, si possibile » est, transeat a me calix iste [1]; » deinde, ubi vidit Patris voluntatem abnuere, subjunxit, « Verumtatem non » sicut ego volo, sed sicut tu [2]. » Et secundo abiens procumbit in faciem, et his verbis orat : « Pater si possibile » non est ut hic transeat, nisi bibam illum, fiat volun» tas tua [3]; » ac tertio profectus eumdem sermonem protulit. Quare idipsum his verbis significabat : « Ut quid » Domine repellis animam meam, avertis faciem tuam » a me? » et illud, « In me transierunt iræ tuæ, terro» res tui conturbaverunt me. » Videns autem longe a salute Dei excidisse eos, pro quibus orationes effundebat,

1 Matth. xxvi, 39. — 2 Ibid. — 3 Ibid. 42.

pro iisdem sibi patrum suorum causa carissimis et dilectissimis, dicebat : « Elongasti a me amicum et proxi- » mum, et notos meos a miseria. » Indicat autem eos in Judaïca gente, qui pridem noti sibi et amici essent, quoniam portio et hæreditas ipsius erant, sed ob suam incredulitatem vere procul ab eo remoti sunt ; et qui olim amici fuerant, sese inimicos constituerunt ; et cum noti ejus essent, venientem ipsum non noverunt, neque susceperunt. Quorum omnium causa a Deo longe facti sunt. ob miseriam videlicet suam. Sic igitur a Deo exciderunt secundum illud dictum : « Quoniam qui elongant se a te » peribunt [1]. » Atque huc desinunt psalmi filiorum Core inscripti.

[1] Psal. LXXII, 27.

PSALMUS LXXXVIII.

Intellectus Æthan Ezraitæ[1].

« Misericordias Domini in æternum cantabo. In ge- » nerationem et generationem annuntiabo veritatem » tuam in ore meo[2]. » Quoniam in sequentibus dicturus est, « Ubi sunt misericordia tuæ antiquæ, Domine, quas » jurasti David in veritate tua? » iis quæ postea proferet jam respondere antevertit, ac si diceret : Etiamsi humanæ res animam meam in angustiam et dubitationem conjiciant ac perturbent, caligineque me et hæsitatione afficiant ob tua, o Domine, judicia; ita ut mox quæstionem movere ausim de promissis, quæ tu Deus mendacii expers Davidi dedisti; et tamen pollicitationibus tuis contraria acciderunt, quamobrem dicturus sum, « Ubi sunt mise- » ricordiæ tuæ antiquæ Domine? » verumtamen certus promissionem tuam non irritam fore, neque sermonis tui veritatem lapsuram esse, sermones quos ex humana infirmitate prolaturus sum prævertens, fidem meam et pietatem sententiæ meæ prius profiteor, ac dico, « Mise- » ricordias tuas, Domine, in æternum cantabo. » Non enim nunc duntaxat, cum hæc loquor et profero, misecordias Domini cantabo, verum etiam in tristioribus temporibus, in ipsis videlicet queis dicturus sum, « Ubi sunt » misericordiæ tuæ antiquæ, Domine? » Tunc enim et omni sequenti tempore, imo per omne sæculum, non finem faciam celebrandi misericordias tuas Domine : probe sciens te, quando semel ea in prophetia psalmi

[1] Psal. LXXXVIII, 1. — [2] Ibid. 2.

pollicitus es, non irrita illa facturum esse, utpote Deum veracem. Quamobrem non modo misericordias tuas, Domine, in æternum cantabo, sed etiam veritatem tuam per singulas generationes annuntiabo. Etsi enim aliqua interim eventura sint, quæ tuis Davidi datis pollicitationibus contraria videantur; nihilominus tamen credo ac plane persuasum mihi est, sermonum tuorum, Domine, veritatem nunquam esse lapsuram. Ideo per totum vitæ meæ tempus non finem faciam annuntiandi veritatem tuam in orem in ore meo. Verum etiam scripto consignatam illam posteris tradam : ut ipsi quoque, perinde atque ego edoceantur et discant per singulas generationes veritatem tuam in ore ferre, ac persuasum habeant nunquam posse promissa tua excidere. Totus autem sermo Christi ex semine David generationem, et regnum ejus vaticinatur. Quandoquidem enim in præcedentibus ejus in hominibus generatio prænuntiabatur, ut in psalmo LXXXVI, declaratum est; at præter generationem ejus scitu quoque opus erat unde proditurus esset. Hoc præsens Scriptura necessario docet, quæ promissionem Dei ad Davidem factam de Christo ex semine ejus prodituro complectitur: ita ut hic congruenter post antecedentes psalmos positus sit. Inscriptus autem solum est; « Intellectus, » ac neque psalmus neque hymnus dicitur. Fuerit vero canticum propheticum, ea quæ secundum Deum est intelligentia indigens. Quare dictum est, « In æternum cantabo, et, in generationem et generationem annuntiabo veritatem tuam. » Ab his quippe verbis, « In æternum cantabo, » jure canticum esse dicatur; ab illis autem, « Annuntiabo veritatem tuam » in generationem et generationem, » et a sequentibus, prophetia fuerit. Dictus autem est Æthan Ez-




raïtæ: qua de re in prius explicatis psalmis pro facultate disputatum a nobis est.

« Quoniam dixisti, in æternum misericordia ædifi-» cabitur, in cælis præparabitur veritas tua »[1]. Pro illo autem, « Quoniam dixisti. » Aquila interpretatus est: « Quoniam dixi[1]; » Symmachs vero; « Quoniam » dixi. » Theodotio similiter; « Quoniam dixi; » Quinta item editio, « Quoniam dixi; » quasi scilicet ex Prophetæ persona sermo enuntietur; hic porro erat Æthan Ezraïtes, ut titulus declarat. Hujusmodi vero sententiam Propheta subindicat: Jam antea dixi, « Misericor-» dias Domini in æternum cantabo. « Id autem qui fieri possit, nisi prima illa Dei misericordia, ab initio et a conditu mundi in hominibus fundata, sequenti tempore accreverit, et instar ædificii accessionem habuerit? Nam Dei erga homines misericordia quotidie crescit, et quasi fabrica augetur et exstruitur in generationem et generationem. Quia igitur dixi et affirmavi, in æternum misericordim Dei ædificandam esse, et ideo me misericordias ejus in æternum cantaturum esse; non ignorandum est, verbi veritatem in cœlis præparandam esse. Terrena quippe negotia et hominum malitia non multam verbi accurationem exhibere possunt; quia multa in vita hominum inæquabilitas est. Verum quoniam promissa Dei ad Davidem facta, divina ac cœlestia sunt, neque, ut Judæi suspicantur, terrena et corporea; ea de causa jure Propheta prius distinguit, non in terra, sed in cœlis veritatem promissorum Dei præparandam esse. Quamobrem Symmachus hæc clarius explicat dicens: « In cœlis fundabitur veritas tua. »

« Disposui testamentum electis meis, juravi David » servo meo, usque in æternum præparabo semen

[1] Psal. LXXXVIII, 3.



» tuum, et ædificabo in generationem et generationem » thronum tuum. Diapsalma; Confitebuntur cœli mira- » bilia tua, Domine, etenim veritatem tuam in Ecclesia » sanctorum [1]. » Hæc ex persona Dei manifeste dicta sunt: ac videtur mihi ideo apud LXX, superius dictum fuisse, « Quoniam dixisti, In æternum misericordia ædi- » ficabitur, in cœlis præparabitur veritas tua; » quibus hæc subdiderunt, « Disposui testamentum electis meis; » ut per hyperbaton dicti sententia sic exprimatur: Quoniam tu ipse, Domine, in promissionibus Davidis dixisti, In æternum misericordia mea erga Davidem, sive erga omnes homines ædificabitur; et hæc adjecisti, « Disposui testamentum electis meis, » scilicet, electo meo, et, « juravi David servo meo, » et cætera: persuasum mihi es promissa tua numquam irrita fore, sed vera firmaque mensura esse; sed non ita, ut in terra consistant: neque enim terrena et sensilia sunt, neque venalia et brevi tempore duratura, qualis hominum vita est; sed inmortalia, æterna et deitati tuæ congruentia. Quapropter non in terra, sed in cœlis præparabitur veritas eorum quæ Davidi pollicitus es. Pro illo autem, « Disposui testamentum electis meis, » reliqui omnes interpretes, « electo meo, » dixerunt. Quæ sane interpretatio veræ sententiæ magis congruit: non enim de multis sermo est, sed de uno Davide; ipsi quippe juravi, inquit, utpote servo meo et electo meo. Neque enim satis erat ipsi testamentum disponere, sicut Noë, postea vero Abrahamo, deindeque filiis Israël in deserto per Moysen disposui: nam cum iis sine juramento; at cum electo, servo et famulo meo Davide, adhibito jurejurando fœdus et testemantum inii. Juravi enim ipsi, futurum esse ut semen ejus in æter-

[1] Psal. LXXXVIII, 4, 5, 6.

num præparetur, et thronus ejus ædificetur, non in unam generationem, sed in generationem et generationem. Cur autem Deus juraverit, S. Apostolus in epistola ad Hebræos testificatur, « Ut per duas res » immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, » fortissimum solatium habeamus [1]. » Nam ad accessionem majoris certitudinis Deus juramentum adhibuit. Per quem autem juraverit, in sequentibus docet his verbis : « Semel juravi in sancto meo. » Ubi perpendas qui sit ille sanctus Dei, per quem quasi per Filium unigenitum jurat, ad promissionem omnino confirmandam. Sane vero sanctum illum vel dæmones in Evangeliis confessi sunt, cum divinam ejus potestatem, qua se puniebat et ejiciebat non ferentes, hæc clamabant : « Sine, » quid nobis et tibi Jesu Nazarene ? Novimus te quis » sis sanctus Dei [2]. » Per hunc itaque jurans Deus, ut Pater per unigenitum et dilectum Filium, Davidi promissionem dabat. Quod ipse ita docet : « Semel juravi » in sancto meo, si David mentiar. » Cum autem mecum quærerem, cur nemini sanctorum, nisi Davidi, promissionem de Semine ipsius cum juramento Deus ediderit ; hanc me deprehendisse causam æstimo : comperi namque Davidem ante illam a Deo sibi datam promissionem juramento usum fuisse. Jurasse autem ipsum docet Spiritus divinus in CXXXI dicens : « Memento Domine David, et omnis mansuetudinis ejus : » sicut juravit Domino, vovit Deo Jacob : si introiero » in tabernaculum domus meæ, si ascendero in lectum strati mei : si dedero semnum oculis muis, et » palpebris meis dormitationem, donec inveniam locum » Domino, tabernaculm Deo Jacob. » Davidi hæc voventi et pollicenti, ac his de rebus juranti, parem

[1] Hebr. VI, 18. — [2] Luc. IV, 34.

Deus vicem reddens, juravit et ipse, et pro singulis pollicitationibus singulos retulit, juramentum juramento pensavit. Quapropter in eodem CXXXI in quo dicitur jurasse Davidem, deinde adjicitur Spiritus sancti testimonium, quod sic habet : « Juravit Dominus David ve» ritatem, et non frustrabitur eum: De fructu ventris » tui ponam super thronum tuum. » Prior itaque David juravit ; deinde vicem rependens Deus, mutuo et ipse juravit: prior item David, pia motus cogitatione, quidpiam Deo pollicitus est; hic Deus ceu gratiam gratia pensans, ipsi vice versa promisit, secundum Salvatoris nostri voces quæ sic habent, « In qua mensura mensi » fueritis, remetietur vobis, mensuram bonam agita» tam, compressam, supereffluentem, dabunt in sinum » vestrum [1], » Qua mensura igitur David mensus est, cum ex bona et religiosa cogitatione congruentem promissionem juratus dedit, eadem mensura repensum illi est, ac datæ sunt illi retributiones promissionesque cum juramento Dei.

Quid sibi velit autem illa Davidis cum juramento pollicitatio, jam perpendere opportunum erit. Cum videret gentes per totum orbem diabolico multorum numinum errori subjectas, ac ubique terrarum templa, delubra, sacra malignis dæmonibus per urbes, regiones et vicos excitata, ac in montibus et collibus improbam illam et adversariam potestatem apud omnes homines honorari, Dei autem omnium opificis et conditoris ne minimam usquam memoriam servari; de re tali vulneratus animo, bonoque studio incensus, secundum eum qui dixit, Zelo « Zelatus sum Domino [2]. » votum vovit et promissionem edidit, quam jurejurando adstrinxit; videlicet se primum, omnium regi Deo templum et sacrum

[1] Matth. VII, 2 ; Luc. VI, 38. — [2] 3 Reg. XVII, 14.

in terra excitaturum, in quo Tabernaculum testimonii, et Arcam testamenti a Moyse in deserto jussu Dei constructam, deponeret. Nam illa ad tempus usque Davidis circumquaque ferebatur, et a loco in locum, ac modo in Galgala, modo in Manasepha, mox in Silo, aliquando apud Allophylos, inde in Besamys, hinc in Cariathiarim, postea in domum Aminadab, inde in domum Abeddara, advecta fuit; unde eam in urbem Sion David transtulit. Quod ille conspicatus, domum sacram et templum excitare cogitavit, ubi arcam Dei deponeret et stabiliret. Qua de re David Domino juravit, et votum vovit Deo Jacob dicens : « Si introiero in » tabernaculum domus meæ, si ascendero in lectum » strati mei : si dedero somnum oculis meis, et pal- » pebris meis dormitationem, donec inveniam locum » Domino, tabernaculum Deo Jacob [1]. » Hæc illo cogitante, pium quidem propositum Deus approbat : neque tamen permittit domum exstrui : non opus esse Deo dicens domo sensibili, vel ex inanimatis lapidibus construenda, sed si opus esset Deum in terra habitare, ex ipsis David semine proditurum esse, qui suam deitatem exciperet, quique sacram domum et templum sanctum Deo dignum extrueret, cujus thronus per omne sæculum duraturus esset. Significabat autem Christum suum ex semine Davidis secundum carnem oriturum, et Ecclesiam ab eo per totum orbem constituendam. Quod autem hæc ita se haberent, Regnorum Scriptura docet hoc pacto : « Factum est autem cum sederet David » in domo sua, et Dominus possessionem ei dedisset » in circuitu ab omnibus inimicis suis; dixit Rex ad » Nathan Prophetam : Ecce ego habito in domo cedrina, et arca Dei sedet in medio tabernaculi; » aut, « in

[1] Psal. CXXXI, 3.

» medio pellis, » ut Hebraïca lectio significat. « Et di-
» xit Nathan ad Regem, Omnia quæ sunt in corde tuo
» vade et fac, quia Dominus tecum est. Et factum
» est in nocte illa, et factum est verbum Domini ad
» Nathan dicens: Vade ad servum meum David, et
» dic : Hæc dicit Dominus, Non tu ædificabis mihi
» domum ad habitandum : quia non habitavi in domo
» a die illa qua eduxi filios Israël ex Ægypto, usque in
» diem hanc: et ambulabam in diversorio et in taber-
» naculo in cunctis locis per quæ transivi cum omni
» Israël; si loquens locutus sum ad unam tribum
» Israël, cui præcepi pascere populum meum Israël
» dicens: Quare non ædificastis mihi domum cedrinam?
» Et nunc hæc dices servo meo David: Hæc dicit Do-
» minus omnipotens, Ego tuli te ex ovili sequentem
» oves, ut esses in ducem Israël, et eram tecum in om-
» nibus ubicumque ambulabas: et perdidi omnes inimi-
» cos tuos a facie tua, et feci te nominatum secundum
» nomen magnorum qui sunt in terra. Et ponam lo-
» cum populo meo Israël, et plantabo eum et habitabit
» per se, et non sollicitus erit amplius: et non addet
» filius iniquitatis humiliare ipsum sicut a principio, a
» diebus quibus constitui judices super populum meum
» Israël: et requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis.
» Et annuntiabit tibi Dominus, ut domum ædifices
» ipsi. Et erit, cum impleti fuerint dies tui, et dor-
» mieris cum patribus tuis, et suscitabo semen tuum post
» te, quod erit in ventre tuo, et pæparabo regnum
» tuum. Ipse ædificabit mihi domum, et erigam reg-
» num ejus usque in sæculum. Ego ero illi in Patrem,
» et ipse erit mihi in Filium. Et si venerit iniquitas ejus,
» et arguam eum in virga vivorum, et in plagis filiorum

[1] 2 Reg. VII, 1.

» hominum. Misericordiam autem meam non auferam
» ab eo, sicut abstuli ab iis quos abstuli a facie mea. Et
» fidelis erit domus ejus et regnum ejus usque in sæculum
» in conspectu meo: et thronus ejus erit erectus in sœ-
» culum secundum omnes sermones hos, et secundum
» universam visionem hanc. » Sic locutus est Nathan Davidi. Hæc porro omnia in medium atuli, ut declararem, cum Davidi ædificaturum se domum arcæ Dei primus promisisset, Deum approbata illius pietate, vicissim pollicitum ei esse, excitaturum se semen ejus esse, cujus opera sibi domum excitaret: et cum David prior jurasset, se nihil aliud ante facturum, quam invenisset Deo locum, Deum vicissim jurasse pollicendo, et humano sese mori attemperasse in loquendo: nam infinita prope alia in divina Scriptura ex humana consuetudine et quadam cogitandi ratione de Deo dicuntur. Quibus ita commonstratis, jam restat ut psalmi dictum consideremus.

Quid sibi vult ergo promissio Dei? Hæc duo prænuntiat, primo se Davidis semen in sæculum servaturum; secundo, thronum ejus ædificaturum in generationem et generationem. Deinde quia hæc non sensibili more in terra, neque in regno humana ratione considerato futura erant, promissiorum complementum in cœlos remittit. Quapropter sicut superius dixit: « In cœlo præparabitur
» veritas tua; » sic post Dei promissionem jam infert,
« Confitebuntur cœli mirabilia tua, Domine. » Neque enim homines qui in terra sunt, inquit, intelligere poterunt, quam mentem habeant, o Domine, promissa tua, nec quænam sint propheticorum sermonum complementa; sed ipsi cœli videlicet, et quæ in cœlo sunt divinæ virtutes: quoniam cœlis competit mirabilia tua, quæ in promissionibus feruntur, enarrare et interpretari.

Quemadmodum vicissim veritatem tuam, quæ in promissis Davidi datis celebratur, cogitare et enuntiare non aliorum erat, quam cœlorum tantum, et Angelorum qui in cœlis sunt : hi namque veritatem tuam et mirabilia tua in Ecclesia sanctorum confitebuntur. Etenim si aliquando talis Eclesia in terra extet, quæ Ecclesia sanctorum vocetur ; præter hos sanctos, ipsi cœli, sive divinæ virtutes, sive cœlestes homines, mirabilia tua et veritatem tuam, quæ in præsentibus promissis fertur, confitebuntur. Quod si in ipsis cœlis ecclesia quædam sit primitivorum, descriptorum in cœlis, ea verius et accuratius Ecclesia sanctorum esse dicatur : in qua cœli veritatem promissorum Dei, et mirabilia in promissis posita, enarrabunt. Mirabilia autem illa quæ fierint, nisi Davidem electum Dei vocari, necnon semen ab ipso proditurum esse, quod thronum æternum nacturum sit, atque testamentum æternum, sive pactum ab illo cum Deo percussum fuisse? Sic enim Aquila et Symmachus interpretati sunt, qui « pactum » pro testamento dixerunt. Mirabile quoque erat jurare Deum homini, ipsique dicere : « Usque in æternum præparabo » semen tuum, » secundum Symmachum : « Et ædifi» cabo in unamquamque generationem thronum tuum,» secundum eumdem. At maximum omnium miraculum illud erat, videlicet hæc pollicitum Deum, juramento eadem obsignasse : verum quod omnium omnino mirabilissimum est, Dei sermones, quos juratus protulerat, non ad effectum deductos esse, sed juramentis contraria evenisse videri. Nam deinde pergit, divinis promissis opposita contigisse narrans : quorum maxime causa obstupescit miraturque Propheta, et quasi rem ægre ferens ait : « Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine, » quas jurasti David in veritate tua ? » At angustiæ

suæ medelam adhibuit, tum superius cum diceret : « In » cœlis præparabitur veritas tua : « tum in his quæ tractamus dicens: « Confitebuntur cœli mirabilia tua, » etenim veritatem in Ecclesia sanctorum. Quoniam » quis in nubibus æquabitur Domino, similis erit Do- » mino in filiis Dei [1]? » Pro illo, « in nubibus, » Symmachus ait, « Quis enim in æthere ? » Ad modum congruenter hæc jam præmissis adjecit : veritatem enim tuam, inquit, et mirabilia tua etiamsi homines intelligere non valeant; qua de causa jamjam dicturus sum, « Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine, quas » jurasti David ? » At cœli enarrabunt, et Ecclesia sanctorum testificabitur, nihil eorum quæ Davidi jurasti lapsurum esse, neque irritas fore promissiones tuas : fieri enim nequit te mentiri. Quis enim æqualis tibi erit in veritate, aut quis similis erit tibi in eo, quod loquaris et promissiones tuæ firmæ et plenæ fidei evadant? Tuæ quippe voluntati nemo potest obsistere, ita ut ea, quæ a te semel definita sunt, evertat, nedum ea quæ cum juramento promissa sunt; ita ut etiamsi nobis nota non esset promissorum tuorum veritas, at illud probe sciamus, « quoniam potens es Domine, et veritas tua in » circuitu tuo. » Omnia igitur quæcumque volueris potes, et prædictorum de Davide verborum veritas circa te volvitur; ita ut omnibus, qui circa te positi sunt et deitatem stipant tuam, nota sit; ab iis vero qui procul te sunt ignoretur.

Ex his porro videtur mihi Propheta Spiritu sancto divine repletus, ac mentis oculis spirituali lumine illustratus, gloriam vidisse Unigeniti Dei, in medio Ecclesiæ sanctorum stantis, et sanctorum qui in regno ejus sunt multitudine stipati. Cum cœlos namque memorasset,

[1] Psal. LXXXVIII, 7.

et Spiritu divino sanctorum Ecclesiam intueretur, videtur in medio eorum Filium Dei conspexisse : deinde autem ipso considerato, occulos vertere ad sanctorum Angelorum, Archangelorum, Spirituum divinorum, et virtutum circumpositum chorum : horum divinitatem mirari; eum vero qui omnes excedit, omnes superat, Unigenitum Dei, cum stupore considerare : deinde ex admiratione hæc effari, « Quoniam quis in nubibus » æquabitur Domino ? » Sive secundum Symmachum, « Quis enim in æthere conferet se Domino in filiis Dei? » Hæc de Unigenito Dei dicta, piam servant sententiam; de Patre vero ac Deo universorum secus: impropria enim et impia comparatio esset. Nam filiis Dei omnium Causam conferre, et eum qui supra omnia est Deus aliis comparare, improbissimus omnium ausus esset. At sine periculo Filius Dei unigenitus, filiis Dei comparatur, ac dicitur eum incomparabilem esse, cum nullo conferendum, atque admodum antecellere asseritur his verbis, « Quis in nubibus æquabitur Domino ? » Ac si dicatur nemo. Etiamsi enim multi sancti, et millia Angelorum, Ecclesia primitivorum, principatus, potestates, throni, dominationes, spiritus sancti, virtutes divinæ in cœlestibus exercitibus versentur, cœlestem implentes Ecclesiam; at quis, ait, in æthere supra firmamentum posito æquabitur Domino? Quod si multi filii Dei sunt multique dii, secundum illud, « Deus stetit in synagoga deorum, et, » Deus Deorum Dominus locutus est, et Ego dixi: Dii estis, et filii Altissimi omnes: » sed « qui similis erit Domino in filiis Dei[1]? » Nam cum innumeri ejus filii sint, nemo, inquit, huic similis erit, aut æquabitur, utpote qui electus sit, unigenitus et primogenitus omnis creaturæ, Verbum item et sapientia, virtus et sapientia

[1] Psal. LXXXI, 1; Psal. XLIX, 1; Psal. LXXXI, 1.

Dei. Mihique videtur horum notitiam in præcedentibus tradere, cum ait : « Confitebuntur cœli mirabilia tua. » Siquidem ex mirabilibus unum hoc erat, quod deinceps de unigenito Dei additurus erat et quidem necessario. Quia enim illum ex semine David nasciturum esse, in prophetia indicandum erat, deitatem ejus qui in ipso habitaturus erat antea contemplabatur ; ut una edisceremus quæ virtus in ipso habitatura esset, et sciremus ipsum quidem filium esse Davidis, eum vero qui in ipso habitaturus esset, Filium Dei.

« Deus qui glorificatur in consilio sanctorum, magnus » et terribilis super omnes qui in circuitu ejus sunt [1]. » Quinam sit is, qui cum nemine comparari vel conferri possit, neminem similem admittat in iis qui filii Dei vocantur, hic declarat dicens : Hic est « Deus, qui glori- » ficatur, in consilio sanctorum. » Consilium autem sanctorum jam supra dixit Ecclesiam sanctorum esse : videturque Ecclesiam primogenitorum, qui descripti sunt in cœlis, concilium nominare, quadam habita ratione ad senatus qui variis in locis existunt. In hoc autem consilio sanctorum gloria ejus celebratur, qui nullam comparationem vel similitudinem admittit cum iis qui filii Dei vocantur : neque solum glorificatur in consilio sanctorum, sed etiam terribilis est super omnes qui in circuitu ejus sunt. Quinam autem in circuitu ejus fuerint, nisi filii Dei, qui et ipsi quoque dii nuncupantur : quorum causa dictum est, « Deus stetit in synagoga deorum [2]? » Etenim illud, « in consilio sanctorum ; et illud, in Ec- » clesia primogenitorum, et, in synagoga deorum ; » unum et idem esse videtur mihi. Horum itaque in medio stans, his stipatus Filius Dei, glorificatus, magnus et terribilis dicitur. Hæc vero Symmachus sic edidit : « Deus

[1] Psal. LXXXVIII, 8. — [2] Psal. LXXXI, 1.

» invicte in conversatione sanctorum multa, et tremen-
» de in omnibus qui circum te sunt; » Aquila autem ait,
« Fortis roboratus in secreto sanctorum, multitudo,
» multitudo, et tremendus super omnes qui in circuitu
» ejus sunt. » Ipsa porro dicti sententia seriem aperit. Nam quia potens es, Domine, inquit, et veritas tua in circuitu tuo, jure magnus es et terribilis et glorificatus in consilio sanctorum, et in iis qui deitatem stipant tuam, qui conspecta promissorum tuorum veritate debitas cum admiratione deitatis tuæ gratiarum actiones emittunt. Quare paulo antea dicebam : « Confitebuntur cœli mi-
» rabilia tua, et veritatem tuam in Ecclesia sancto-
» rum. »

« Domine Deus virtutum quis similis tibi ? potens es
» Domine, et veritas tua in circuitu tuo. Tu dominaris
» potestati maris, motum autem fluctuum ejus tu miti-
» gas. Tu humiliasti sicut vulneratum superbum, in
» brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos[1]. » In his quoque nullam factarum rerum similem Filio Dei, qui Deus prædicatur, admittit; ipsum namque et potentem et potentium Deum ac virtutum dominum dicit, ita ut nemo ipsi repugnare, neque ejus voluntati contradicere possit : quare, utpote solus potens, omnia dicit et facit; illud enim, « Quis similis tibi? » non raros esse, sed nullum esse declarat. Neminem itaque similem esse ait illi, qui Dominus prædicatur, cum eidem illos comparat, qui superius filii Dei dicti sunt. Hæc enim eidem hærent sententiæ, cui isthæc superius dicta : « Quoniam quis in
» nubibus æquabitur Domino? similis erit Domino in
» filiis Dei? » Nunc item, Quis similis tibi? ait, quia potens es, et veritas sermonum tuorum, promissa quoque tua circa te et penes te sunt. Penes te quippe est, et

[1] Psal. LXXXVIII, 9, 10, 11.

penes eos qui te circumdant, veritas tua : nam si qui proxime te, et in circuitu tuo sunt, illi sane veritatem norunt tuam. Nos autem qui in terra et adhuc procul te versamur, ex iis quæ sive in terra sive in mari a providentia tua geruntur, magna tua opificia contemplantes, confitemur te potentem, et veritatem tuam in circuitu tuo esse. Nam tu solus mari et tantæ aquarum plenitudini dominaris, motum fluctuum ejus unus mitigas, ipsique claustra, portas et terminos fixisti, ne prætergressum pelagus inundet orbem. Quod sane vel unum maximum fuerit potestatis tuæ argumentum. Etenim tanta aquarum commotio, tibi ut Domino obsequens, dum tumens in altum evehitur, reformidat tamen, et in seipsa, terminis conclusa suis, colliditur. Quemadmodum autem fluctus marisque comminationes jussu tuo refrænasti, et elationes, minas iramque ejus sedasti; ita quoque si ex invisibilibus virtutibus quædam providentiæ tuæ consilio inimicæ et adversariæ fuerint, eas quoque, utpote qui solus potentissimus omnium sis, dissipasti, earumque principem et tyrannum, arrogantem illum et superbum principem hujus sæculi, virtute tua humiliasti, et vulnerasti, percussum nempe gladio illo tuo magno et terribili, ut in prophetia fertur : « Inducet Dominus gladium » grandem et fortem super draconem, serpentem tortu» osum, fugientem : et occidet draconem qui est in » mari [1]. » Et quia alius Propheta draconem hunc vulneratum in mari degere docuit his verbis, « Hoc mare » magnum et spatiosum, illic reptilia quorum non est » numerus. Draco iste quem formasti ad illudendum » ei; » consideres velim, num illud ipsum mare præsens sermo subindicet dum ait : « Tu dominaris potestati » maris, motum autem fluctuum ejus tu mitigas : » his

[1] Isai. XXVII, 1.

enim subnectit illud, « Tu humiliasti sicut vulneratum » superbum : in brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos » tuos. » Nam adversariarum potestatum, dæmonum, et spirituum malignorum locum, mare videtur nuncupare. Quare iis quæ de mari dixerat, subdidit ea quæ ad vulneratum spectant, et ad inimicos Dei, queis adversarias potestates et earum principem clare indicat. In alio quoque psalmo dictum est : « Tu confregisti capita dra- » conum in aquis. Tu confregisti capita draconis, de- » disti eum escam populis Æthiopibus[1]. » In Job item : » Duces autem draconem hamo, pones circulum circa » nares ejus, et armilla perfora bis labium ejus. Loque- » tur autem tibi cum supplicatione ac deprecatione » molliter, accipiesque ipsum in servum sempiter- » num. » Hinc vero infert, « Ipse autem est rex o- » mnium quæ in aquis sunt [2]. » Ibidem autem de ipso dracone dicitur ad Job ex persona Domini : « Non times » quia præparatus mihi est[3]? » In præsenti etiam eadem apposite meminit Spiritus divinus, Unigeniti Dei usque ad dictum mare descensum declarans. Postquam igitur Deum illum esse prædicasset, ac priorem illius in sanctis conversationem indicasset, ac dixisset quinam ille sit, ac cum qualibus et inter quales prodeat; declarat postea eumdem ipsum memorato mari imperaturum, vulneratum illum in mari degentem humiliaturum, omnesque inimicos suos in brachio virtutis suæ dissipaturum esse. Hæc porro necessario dicit : nam sic antea locutus, « Potens es Domine, et veritas tua in circuitu tuo,» jam ad dicti veritatem comprobandam, ipsa re denotat qua ratione Dominus potens sit; ut hinc promissa Davidi facta vera esse declaret.

[1] Job. XL, 20. — [2] Job. XLI, 25. — [3] Job. XLI, 1. Vulgata secus habet.

« Tui sunt cœli et tua est terra, orbem terræ et pleni-
» tudinem ejus tu fundasti, Aquilonem et mare tu cre-
» asti. Thabor et Hermon in nomine tuo exultabunt [1]. »
Horum talis sententia est : Davidi, Domine, promissa dedisti de semine ejus, ac de throno ejus usque in æternum duraturo : atque ipsi Davidi jurasti te ea perfecturum esse. Nos autem homines videmus hæc, non quantum ad ea quæ sub sensum et aspectum cadunt, impleri: quare dicimus, « Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ,
» Domine? » persuasum tamen habemus te prorsus veracem esse, quia « potens es, et veritas tua in circuitu
» tuo. » Testes porro veritatis tuæ sunt quotquot circa te consistunt : nam cœlestes virtutes « confitebuntur mi-
» rabilia tua, et veritatem tuam in Ecclesia sanctorum. »
Et sane jure cœlestes illæ virtutes veritatem tuam confitebuntur, quia in cœlo præparabitur veritas tua; ita ut promissa tua ad Davidem facta, non utique terrena et corporea habenda sint : nam in cœlo præparabitur veritas tua. Hæc vero a Spiritu sancto edoctus dico : « Mise-
» ricordias tuas in æternum cantabo. In generationem
» et generationem annuntiabo veritatem tuam in ore
» meo. » Te porro, utpote Deum et Dominum universorum, veracem credere convenit, quia nullus est tibi virtute similis : siquidem incorporearum et divinarum virtutum dominus es, solusque ac super omnes potens es, ita ut veritatem tuam credibilem facere possis. Quod si quis in rerum natura superbus existat, nempe diabolus tibi semper adversarius, ac veritatem oppugnans tuam; tu sane hunc humiliasti : si vero huic superiores quædam inimicæ et adversæ tibi virtutes sint, eas quoque dissipasti. Tu ubique imperas, et universorum substantiæ dominaris, quia universorum opifex es. Ipsum quippe

[1] Psal. LXXXVIII, 12.

mare, tantumque humidæ substantiæ elementum, tuum est opificium, teque dominum adscribit suum. Quid si cœli quidam ipso firmamento superiores cogitentur, qui scilicet divinorum spirituum, sanctarum virtutum, Angelorum et Archangelorum deitatem tuam stipantium, domicilia sint; hi quoque cum omnibus incolis suis tui sunt. Aliud etiam elementum non exiguum, arida nempe substantia et terra cœlis subjecta, tua item est. Cum itaque omnia tuo nutui serviant, et tu omnibus imperes, utpote omnium dominus, rex et deus, quis resistet tibi? Et quid impedimento fuerit, quominus tua electo tuo Davidi data promissa, quæ juratus edidisti, credibilia reddantur?

Admodum congruenter supra dictis jam subjicit illud, « Tui sunt cœli, et tua est terra : orbem terræ et plenitudinem ejus tu fundasti. » Non modo enim cœlum, ait, et virtutes ibi versantes, sed etiam terram fundasti : cui accinit illa Proverbiorum sententia : « Deus sapientia fundavit terram : præparavit autem cœlos in prudentia [1]. » Hic vero habitatam terræ partem, quasi præstantiorem, οικουμενην nominavit, ad discrimen inter desertam et cultam. Imo etiam plenitudinem orbis terræ adjecit, his significans humanum genus, quod orbem terræ implet. Neque tamen aberres, si alio explicandi more dicas, plenitudinem esse Salvatoris Ecclesiam, quam ipsum Dei Verbum fundavit supra petram. Quapropter alibi dictum est : « Dominus regnavit, decorem » indutus est. Etenim correxit orbem terræ, qui non » commovebitur [2]. » Quomodo autem fundaverit orbem terræ deinde adjicit, « Aquilonem et mare tu creasti : » Quinta vero editio, « Aquilonem et Notum tu creasti. » Videturque mihi per duo latera et extrema orbis, totum

[1] Prov. III, 19. — [2] Psal. LXXXXII, 1.

mundum significare, quem replevit Salvatoris nostri virtus. Animadvertas porro velim, quo pacto hic pro facie totius mundi, orientem ponat; pro sinistra, borealem plagam; pro dextera meridionalem et australem. Nam cum ait, « Aquilonem et dextera tu creasti, » Borealem plagam sinistrum esse latus declarat; siquidem dextrum est Australe. Si itaque stantes Notum in dextera, Aquilonem in sinistra habeamus, adversum habebimus Orientem, a tergo autem Occidentem : ita ut secundum physicam considerationem hæc dicta sint, ad totius mundi positionem declarandam. Quæ indicare necessarium fuit ad significandum, divinarum Scripturarum doctrinam neque horum quidem notitiam prætermisisse. Nam omnia, inquit, tu creasti, sive dextras mundi partes sive sinistras. Verum dextras solum nominatim memoravit, atque a sinistri nomine consulto abstinuit. Quare secundum Symmachum dicitur, « In » Aquilonem et dexteram tu creasti; » secundum Aquilam vero, « Aquilonem et dexteram tu creasti. » Quinta autem editio accuratius explicavit quænam dextera essent dicens, « Aquilonem et Notum tu creasti. » Sinistra porro apud omnes interpretes silentio mittitur, quia putatur quid infaustum esse, et dextro oppositum : nihil autem in universo infaustum et bono oppositum est. Omnia enim, inquit, tu creasti. Duo autem montes, Thabor et Hermon, per excellentiam præter omnes alios memorati sunt : etenim hi in nomine tuo exultabunt. Secundum Aquilam vero, « Thabor et Hermon in nomine tuo lau» dabunt; » secundum Symmachum autem, « Thabor et » Hermon nomen tuum celebrabunt. » Horum porro montium variis in locis meminit veteris Testamenti historia : arbitrorque his in montibus mirabiles illas Salvatoris nostri transfigurationes, frequentesque moras exti-

tisse, quando cum hominibus versabatur. An vero ipsa nominum significatio aliquid nobis ad horum intelligentiam conferat, tu ipse consideres velim.

« Tuum brachium cum potentia : firmetur manus » tua, exaltetur dextera tua : justitia et judicium præ- » paratio throni tui. Misericordia et veritas præcedent » faciem tuam [1]. » Hæc item ad unigeniti Dei gloriam » celebrandam usurpantur : quæ Aquila clarius interpre- » tatur hoc pacto,» Tuum brachium cum potentia : « in- » victa manus tua, excelsa dextera tua : justitia et » judicium basis throni tui. » Opportune autem divinas hasce virtutes, de Deo loquens, memoravit, ob promissa Dei Davidi facta. Etenim, inquit, nihil voluntati obsistet tuæ : cum voluntate quippe tibi, utpote Deo et Domino universorum, adest potestas. Nam magnum tibi brachium est, et potestas et imperium in omnia, manus firmata, excelsissima dextera : thronusque regni tui, ut throni regnantium in terra ex pretiosa materia confecti sunt, ita et ipse ex iis quæ te Deum decent concinnatus est. Divinæ itaque virtutes, justitia et judicium, thronum exornant tuum. Quapropter, o Deus, cum tot tantæque penes te potestates sint, veritas plana via et sine obice promissionibus tuis præcurrit : cum nemo possit obsistere decretis tuis, quibus jurasti Davidi, ex misericordia et gratia tua jam memoratas edeus pollicitationes. Pro illo autem, « Justitia et judicium præpara- » tio throni tui; » secundum Aquilam, « Justitia et » judicium fundamentum throni ejus, » dicitur; Symmachus vero « basin » dixit esse justitiam et judicium. Justitiæ autem et judicio, quod cum justitia efferretur, præcurrit misericordia et veritas. Justitiam enim misericordia temperans, mitiores contra eos qui peccaverunt

[1] Psal. LXXXVIII, 14, 15.

profert comminationes : nam alias justitiam ejus non temperatam nullus hominum sustineret.

« Beatus populus qui scit jubilationem. Domine in » lumine vultus tui ambulabunt, et in nomine tuo exul» tabunt tota die, et in justitia tua exaltabuntur. Quo» niam gloria virtutis eorum tu es, et in beneplacito tuo » exaltabitur cornu nostrum. Quia Domini est assumptio » nostra et sancti Israël regis nostri [1]. » Jubilationis modum alia ratione intelligas, ex militum in tempore belli jubilatione, ut hostes majore edito clamore, additaque symphonia, perterrefaciant. Divinus autem Apostolus tales esse docet orationes in Spiritu sancto, nec alta voce, sed in virtute Spiritus emissas, cum ait : « Ipse » Spiritus postulat pro nobis, gemitibus inenarrabili» bus [2]. » Tanta porro tamque rara est jubilatio illa, passim a divinis Scripturis memorata, ut beatus prædicetur qui gnarus illius est, perinde atque alii ex præclaris secundum Deum gestis beati dicuntur. Ideo hic dicitur, « Beatus populus qui scit jubilationem. » Alibi vero divinus sermo hujusmodi jubilationem hostiam esse docet his verbis : « Circuivi et immolavi in tabernaculo ejus » hostiam jubilationis [3]. » Hic porro videtur mihi Spiritus sanctus populum Christi aperte beatum prædicare : ipse namque cum in notitiam venerit victoriæ a Salvatore nostro de inimicis partæ, adversus hostes jubilat et clamat, ac pro rege suo jubilationem edit. Imo etiam unus ille populus incruentam et rationabilem hostiam per jubilationem offerre Deo solet : quia in spiritualibus sacrificiis, atque in cultu quem in novo Testamento persolvimus, necnon in sacrificiis incruentis et materiæ expertibus, una voce Deo gratiarum actionem emittimus. Pro illo autem, « Qui scit jubilationem, » Symma-

[1] Psal. LXXXVIII, 16, 17, 18, 19. — [2] Rom. VIII, 26. — [3] Psal. XXVI, 6.

chus, « Qui scit significationem, » interpretatus est. Cur autem beatus est populus qui memoratam jubilationem novit, nisi quia Salvatoris Deitatem agnoscens, quæ vultus ejus vocatur, vultus ejusdem lumine perfusus, sic iter agit suum dicens, « Signatum est super nos lumen » vultus tui, Domine ; » et, « In lumine tuo videbimus » lumen [1]? » Ea de causa igitur beatus est hic populus. Tertio; quia cum non satis habeat quod cognitione Christi illustretur; sed etiam in nomine ejus glorietur, et ab eo Christianus nuncupetur, lætatur et exultat tota die, imo potius omnibus diebus; ita enim Symmachus interpretatus est; ideoque beatus est. Quarto, quia magnitudine et sublimitate crescens justitia Dei exaltatur : Deo æquum esse censente, populum illum in sublimitatem et in gloriæ magnitudinem agere, qui memoratam illam jubilationem novit, ac qui a facie Salvatoris illustratur, et in nomine ejus exultat, gloriaturque; sed non in recte factis suis.

Necessario autem prædicti Domini mentionem sermo fecit, Christi ad homines adventus præclarum facinus vaticinans. Antequam enim ortum ejus doceret, qui ex semine David prodituras erat; ac prænuntiaret omnium apud Judæos venerabilium eversionem, qua de causa dubius infit, « Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, » Domine? » opportune quidem de veritate promissorum Dei ad Davidem factorum præmissam doctrinam edidit. Quoniam vero nos prius edidicisse opus erat, cui populo gratia beneficii a Servatore collati reservaretur, congruenter memoravit, non Israëlem , neque Judaïcam gentem, sed populum qui scit jubilationem; quem populum jure beatum prædicavit, multa ipsi bona pollicitus. Nam quia sciunt illi jubilationem, primo quidem in

[1] Psal. IV, 7; Psal. XXXV, 18.

lumine vultus Dei ambulabunt, deinde in nomine ejus exultabunt singulis diebus; tertio in justitia ejus exaltabuntur; quarto gloria virtutis eorum erit ipse Dominus. Quia enim hic populus fortis et potens est, utpote qui supra petram ædificatus sit, ita ut portæ inferi non prævaleant adversus eum, jure gloriabitur, non in propria virtute, sed in Domino qui fundavit eum supra petram. Propter hæc omnia « beatus populus qui scit jubilatio-» nem. » Nostrum item Prophetarum qui hæc per Spiritum vaticinamur, cornu exaltabitur. Quod autem cornu, nisi id quod ex semine David secundum tuam, Domine, promissionem proditurum est? Nam illud cornu nostrum, quo inimicos nostros ventilabimus, in beneplacito tuo exaltabitur : te sancto Israël, rege nostro, hujus cornu ortum procurante. Hæ porro voces Prophetarum fuerint, ex propria persona hæc quæ jam tractamus proferentium, ac confitentium cornu suum esse Christum Dei, qui secundum carnem proditurus in lucem est.

« Tunc locutus es in visione filiis tuis et dixisti, Posui » adjutorium in potente; exaltavi electum ex populo » meo. Inveni David servum meum, oleo sancto meo » unxi eum. Manus enim mea auxiliabitur ei, et bra-» chium meum confortabit eum. Non proficiet inimicus » in eo, et filius iniquitatis non nocebit ei. Et concidam » a facie ipsius inimicos ejus, et odientes eum in fugam » convertam. Et veritas mea et misericordia mea cum » ipso, et in nomine meo exaltabitur cornu ejus [1]. » Cum semel antea sermo cornu memoraverit, cum diceret : « In beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum; » necessario docet in sequentibus quodnam illud cornu, unde venturum et quomodo exaltandum sit. Quamobrem

[1] Psal. LXXXVIII, 20, 21, 22, 23, 24, 25.

dicit, « Quia Domini est asumptio, » illius cornu videlicet. Domini autem cujusnam, nisi sancti Israël regis nostri? Ipse namque Dominus et sanctus Israël rex, Dei Verbum, assumptio erit cornu nostri, uti pollicitus est, cum per Prophetas sermonem faceret de illo qui ex semine David proditurus erat. Cum enim, inquit, locutus es in visione sanctis tuis, et hæc tu Deus per filios suos Prophetas promisisti, quibus futurorum visiones revelasti, per eos namque promissiones Davidi edebas; tunc his usus verbis es, « Posui adjutorium in potente : exaltavi » electum de plebe mea. » Pro quo Symmachus hoc pacto interpretatus est, « Posui adjutorium virorum, » exaltavi electum a populo meo. Inveni David servum » meum, » et reliqua LXX interpretationi similia : quorum hæc est sententia. Cum in hominibus diu multumque quæsiissem virum me dignum, vix tandem inveni David servum meum, qui ingenti pietate motus, solus ex iis qui a sæculo fuerunt domum mihi orationis extruere cogitavit. Quare boni piique consilii vicem ipsi rependens, pro domo quam excitare voluit, mihi ex semine ejus templum sanctissimum adornabo. Nam qui ex semine David factus est homo, Dei Verbi in ipso habitantis templum erat. Quod etiam Salvator ipse docebat de corpore suo dicens : « Solvite templum hoc, et in tribus diebus » excitabo illud [1]. » Atque admodum congruenter promissioni ad Davidem factæ, Deus ipsi vicem rependit. Quia igitur, inquit, idoneum et dignum promissionum mearum virum reperi, Davidem scilicet; ideo ipsum auxilio meo dignatus sum, electum declaravi, et super totum populum exaltavi. Ad hæc vero, quia post multam perquisitionem, ipsum solum pollicitationum mearum dignum inveni; talem deprehensum, dignum item habui

[1] Joan. II, 19.

qui oleo sancto meo ungeretur, quo ipsum effeci Christum, et hæc illi me beneficia collaturum polliceor : « Dextera mea firmiter ipsi aderit, et brachium meum » confortabit eum : inimicus eum non decipiet, neque » filius iniquitatis affliget eum. Imo etiam concidam in » conspectu ejus odientes eum, et affligentes eum percu- » tiam : confirmatio et gratia mea aderit ipsi. » Et hæc quidem omnia ipsi aderunt, secundum Symmachi interpretationem. Secundum LXX vero, « Manus mea, *inquit*, auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit » eum : non proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis » non affliget ipsum. Et concidam a facie ipsius inimicos » ejus, et odientes eum in fugam convertam. Et veritas » mea et misericordia mea cum ipso, » ac demum post hæc omnia, « in nomine meo exaltabitur cornu » ejus. »

Hoc autem cornu ejus ex ipso proditurum, et templum ex semine ipsius mihi excitandum est, ipsumque cornu ejus in nomine meo exaltabitur; nomine quippe et appellatione mea dignabitur. Denominationibus enim meis nuncupabitur, et appellationibus quoque meis apud omnes exaltabitur. Quamobrem superius dicebatur, « Et in » beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum. » Sed Prophetarum quidem chorus sic superius Deum alloquebatur, « Et in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum; » jam vero ipse Deus, promissa Davidi data efferens, cætera omnia his obsignat, « In nomine meo exaltabitur » cornu ejus, » Christum ex eo proditurum significans; qui non modo Prophetarum, sed etiam Davidis cornu vocatur; de quo sub hæc adjicit : « Et ponam in mari » manum ejus, et in fluminibus dexteram ejus. Ipse invocabit me, pater meus es tu, Deus meus et susceptor » salutis meæ. Et ego primogenitum ponam illum, ex-

» celsum præ regibus terræ. In æternum servabo illi mi-
» sericordiam meam, et testamentum meum fidele ip-
» si [1]. » Si quis horum sententiam accuratius perpendat, hæc non de Davide, sed de cornu, quod ex Davide proditurum erat, prænuntiata esse deprehendet. Nam cum dixisset, « et in nomine meo exaltabitur cornu ejus; » de cornu illo statim subjunxit, « Ponam in mari manum » ejus, » scilicet cornu illius, et cætera : quæ omnia ad Christum ex semine David nasciturum referre convenit. Nam si quis isthæc non eo modo intelligat, sed ad Davidem referat, ipsius sane sententia non consistet : quomodo enim Deus Davidis manum in mari posuerit et in fluminibus dexteram ejus, explicet qui voluerit. Neque enim David maritimæ regioni imperavit. Aut cur de Davide dicatur, « ipse invocabit me, Pater meus es tu : et » ego primogenitum ponam illum? » Qua de causa enim potius, quam Abraham, aut Isaac, aut Israël, aut ipse Moyses, aut Helias, aut aliijusti et Prophetæ, primogenitus Dei David esse putetur? Qui vere dixerit Deus, « Ponam » illum excelsum præ regibus terræ? » Quandonam David præ regibus verbi gratia, Persarum, Scytharum, Indorum, Æthiopum, Maurorum, Hispanorum, Britannorum, aut reliquarum gentium exaltatus est? Quod si hæc acceperis de eo qui ex semine ejus nasciturus erat, firmissime et accuratissime dicta congruere deprehendes.

Prophetiæ autem exitum testificatur Evangelium : ubi secundum Lucam, Zacharias etiam Joannis pater prophetica virtute ipsum Christum cornu vocavit. Ait enim Evangelista : « Et Zacharias repletus est Spiritu sancto,
» et prophetavit dicens, Benedictus Deus Israël, quia vi-
» sitavit et fecit redemptionem plebis suæ. Et erexit cor-
» nu salutis nobis in domo David pueri sui. Sicut locu-

[1] Psal. LXXXVIII, 26, 27, 28, 29.

» tus est per os sanctorum qui a sæculo sunt prophetarum » ejus [1]. » Cornu vero proprie vocatur Christus Dei. Quare unicornis etiam dicitur in Scriptura, quæ sic habet : « Et dilectus quemadmodum filius unicornium : [2] » quia per ipsum omnis adversaria et inimica Deo virtus eversa est, cornu impetita et depulsa. Solus itaque ex successoribus Davidis, Jesus Christus Salvator et Dominus noster, ex semine ejus natus, deitatis in ipso habitantis cornu, omnem dæmonum et idolorum errorem vere ac funditus destruxit. Quamobrem cornu et unicornis in sacris Litteris merito vocatur. Ipsius vero, et non alius, manus et dextera toti mundo dominata est in fluminibus et maribus. Siquidem gentium insulas replevit doctrina ejus, et ubique terrarum universum humanum genus Dominum illum, Deum et Regem appellat. Simile porro est hoc dictum, « Ponam in mari manum ejus, et in fluminibus » dexteram ejus, » ei quod de eodem ipso in LXXI psalmo dicitur, « Et dominabitur a mari usque ad mare, et » a flumine usque ad terminos orbis terrarum [3]. » Cum cœpisset enim Servator a Baptismate ad Jordanem fluvium suscepto regnum Dei prædicare, totum replevit orbem. In Zacharia vero Propheta dicitur : « Gaude et » lætare filia Sion : Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, » et insidens subjugali, et pullo juveni. Et dominabitur » a mari usque ad mare, et a fluminibus usque ad exitus » terræ [4]. » Pro quo Hebraïcum habet, « Et a fluminibus usque ad terminos terræ. » Dixerit porro quispiam, profundiore intelligendi ritu hic ejus dexteram in fluminibus dici, quia omnes qui a dextris ejus sunt, per lavacrum regenerationis purgantur, et divina regeneratione per influxum Spiritus sancti dignantur. Dextros sane illos ei esse didicimus, quibus pollicendo dixit :

[1] Luc. I, 67. — [2] Psal. XXVIII, 6. — [3] Psal. LXXI, 8. — [4] Zach. IX, 9.

« Venite benedicti Patris mei, possidete regnum vobis » paratum a constitutione mundi. Esurivi enim, et de- » distis mihi manducare[1], » et cætera. Illos enim, quos oves suas vocavit, a dextris se constituturum promisit; quamobrem profundiore et secretiore ratione dexteram ejus in fluminibus futuram esse dictum est. Flumina porro illius dicantur populi ejus, secundum illud, « Flu- » mina plaudent manu simul; » ac rursum, « Eleva- » verunt flumina, Domine, elevaverunt flumina vocem » suam. Elevabunt flumina fluctus suos[2]. » In hisce fluminibus suis se manum suam positurum esse declarat.

Altera vero manus est, quam esse sinistram cogitandum nobis reliquit, quamque se in mari positurum esse dixit, id est, in salsis vitæ fluctibus, ubi commoratur ille draco, secundum illud : « Hoc mare magnum et spa- » tiosum : illic reptilia quorum non est numerus : dra- » co iste quem formasti ad illudendum ei[3]. » His vero draconibus, et mari hac ratione intellecto, non dextera, sed alia quam dextera manus imponetur, vindicans et ulciscens inimicos ac deprimens eos. Hic vero ipse jam memoratus (videlicet cornu illud Davidis), qui ex semine ejus nasciturus est, Patrem vocabit Deum, utpote qui dignus habitus sit in quo habitaret unigenitus Filius Dei, et qui ipsi copularetur et jungeretur. Quapropter ipse Deus Verbum, primogenitus omnis creaturæ, qui ante promiserat et dixerat, « In nomine meo exaltabi- » tur cornu ejus, » proprium nomen et propriam dignitatem tradens ei, qui ex semine David nasciturus est, primogenitum ponet illum; ut etiam ille secundum carnem ex semine David natus, Filius Dei vocetur, et ob suam cum unigenito Dei conjunctionem, primogenitus nuncupetur. Hæc enim in causa erant quod exaltatum

[1] Matth. xxv, 34. — [2] Psal. LXXXXVII, 2; Psal. LXXXXII, 3. — [3] Psal. CIII, 25.

eum esse promitteret dicens, « In nomine meo exaltabi- » tur cornu ejus. » Nomen quippe suum Filius Dei unigenitus filio David secundum carnem dedit. Hunc item excelsum præ regibus terræ positurum se pollicitus est; sive ex Symmacho, « Supremum regum terræ. » Omnibus enim se impugnaturis superior et fortior evasurus erat, insultus et persecutiones in Ecclesiam suam concitatas atterens; doctrinæ vero suæ sermonem gloria et vi muniens. Item ait se in æternum misericordiam suam ipsi servaturum, et testamentum suum fidele et firmum effecturum esse; haud dubie novum Testamentum, quod omnibus per universum orbem gentibus prædicavit, Mosaïci Testamenti loco Evangelium tradens, quod se fidele effecturum et firmaturum pollicitus est.

« Et ponam in sæculum sæculi semen ejus, et thro- » num ejus sicut dies cœli. Si dereliquerint filii ejus le- » gem meam, et in judiciis meis non ambulaverint; si » justitias meas profanaverint, et mandata mea non cus- » todierint; visitabo in virga iniquitates eorum, et in » verberibus peccata eorum. Misericordiam autem meam » non dissipabo ab eo, neque nocebo in veritate mea : » neque profanabo testamentum meum, et quæ proce- » dunt de labiis meis non faciam irrita [3]. » Quæ de cornu dicta fuerant in præcedentibus, impleta feruntur. Cornu porro significabatur non aliud a Christo, qui secundum carnem ex semine David natus est. Consequenter autem ad illa quæ de ipso vaticinatus erat, quænam ejus successio futura sit declarat dicens, Non in unum præsens sæculum duntaxat, sed in subsequens sæculum sæculi memorati cornu semen ponam : et thronum ejus, non ad paucos dies, neque ad breves annorum periodos, custodiam; sed efficiam ut diebus cœli coæquetur. Sym-

[1] Psal. LXXXVIII, 30, 31, 32, 33, 34, 35.

machus autem his verbis interpretatus est, « Et faciam » perpetuum semen ejus, et thronum ejus, in quantum » dies cœli. » Semen autem Christi quid esse putandum est, nisi Ecclesias per totum orbem ab illo constitutas, et eos qui in omnibus gentibus regenerati in ipso populi sunt? Thronus vero ejus est, qui in Ecclesia ipsius per totum orbem præsulum, qui a tempore ejus fuerunt, successione firmatus est : quem thronum perseveraturum ait sicut dies cœli; non perinde atque Judæorum regium thronum, qui postquam modico tempore durasset, (scilicet annis circiter quadringentis, a Davide usque ad captivitatem in Babylone), extinctus est. At hic thronus præsulum Ecclesiæ, qui in præsenti vaticinio fertur, permanebit ac conservabitur sicut dies cœli. Quod si quando contigerit populum et filios, scilicet successores, ejus qui in prophetia enuntiatur, scelerate agere, ipsos ait persecutionibus agitatos, rerum conversionem experturos, neque tamen thronos suos amissuros unquam, neque misericordia Dei privandos esse. Nam si talia et talia peregerint filii ejus, nempe Christi, hæc illis eventura denuntiat : « Visitabo in virga iniquitates eorum, » videlicet filiorum, « et in verberibus peccata eorum : mise- » ricordiam autem meam non dissipabo ab eo. » Et attendas velim non dictum esse, « ab eis; » sed, « ab eo, » id est, qui in prophetia fertur; etiamsi superius pluraliter dicatur illud, « Visitabo in virga iniquitates eorum, » et in verberibus peccata eorum. » Quorumnam eorum, nisi cornu illius filiorum? In illo autem, « Misericordiam » meam non dissipabo ab eo, » de uno tantum dicitur, scilicet de throno, aut de cornu ejus qui in prophetia memoratur. Infert postea, « Neque profanabo testamen- » tum meum, » novum scilicet illud et recens, ut palam est, de quo superius dicebat, « Et testamentum meum

» fidele ipsi. » Ac sursum sermonis veritatem obsignat dicens : « Neque nocebo in veritate mea, nec quæ pro- » cedunt de labiis meis faciam irrita; » sed fidelia, inquit, et vera faciam promissa mea, addens sermonibus opera rerumque complementa.

Et hæc quidem taliaque sunt Davidi data promissa de cornu et de throno ejus, ac de iis qui ab eo prodituri sunt, necnon de novo Testamento ejus. Quia vero tales pollicitationes, non simplici quodam et nudo sermone prolatas æstimare oportebat, iterum resumit ac verba repetit, et ad promissorum confirmationem ea jurejurando consignat, cum ait : « Semel juravi in sancto meo, » si David mentiar, semen ejus in æternum manebit, et » thronus ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna » perfecta in æternum : et testis in cœlo fidelis. Diapsal- » ma [1]. » Mendacii quidem expers Deus est, etiamsi promissionem juramento non muniat : quia vero homines alloquens, opus erat ut humano ritu uteretur, secundum morem hominum jurantium, et ad confirmationem verborum testimonium Dei usurpantium; et ipse ait se jurasse, nec pejeraturum esse; « Ut per duas res immobi- » les [2], » ait divinus Apostolus, « quibus impossibile est » mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus. » Alia quoque allata est causa, cur jurasse Deus feratur, ut videlicet Davidis promissioni cum juramento datæ vicem rependeret. Jurat porro Deus per sanctum suum, quemadmodum pater jurat per salutem legitimi ac dilecti filii sui : eodem, inquit, modo et ego « juravi in sancto » meo, » id est, per sanctum meum, « si David men- » tiar. » Quid autem continet juramentum illud? « Se- » men ejus, » inquit, « in æternum manebit. » Hoc primum est, et hæc prima promissio de semine; de quo su-

[1] Psal. LXXXVIII, 36, 37, 38. — [2] Hebr. VI, 18.

perius dicebatur, « Et ponam in sæculum sæculi semen » ejus; » indicabat vero Christi successionem. Secunda autem promissio de memorato throno est : quare dicit, « Et thronus ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut » luna perfecta in æternum. » Semen itaque, id est, disseminatum Christi sermonem, sive populum et Ecclesiam ejus, nunquam periturum esse ait, neque defecturum; thronum autem ejus permansurum in sæculum; sive secundum Symmachum, « Sicut luna firma in æter» num manebit; » sic erit Ecclesiasticus Christi thronus. Num forte cum prius dixerit, « Semel juravi in sancto » meo, » et subdiderit, « Semen ejus in æternum ma» nebit, » sancti sui semen in sæculum imperaturūm esse vaticinatur? ita ut semen sancti Dei, id est, unigeniti Dei sit doctrina ejus quam in terra seminavit, ipse sator ejus effectus, secundum parabolam ab eo prolatam, qua dicit : « Exiit qui seminat seminare [1], » et cætera. Et hæc quidem ait, ita erunt, ita fient, et credibilia reddentur. Nam horum testis fidelis, est Deus in cœlo habitans. Veritatem porro sermonis confirmat rerum eventus et consummatio : nam illius cornu Davidis, id est, Salvatoris nostri Jesu Christi, semen et successionem ipsis oculis videmus : imo etiam sancti Dei, unigeniti ipsius Verbi sparsum in terra cœleste semen Evangelicæ doctrinæ æternum perseverans : itemque thronum ejus per totum orbem in singulis gentibus, urbibus, vicis et agris stabilitum, orbemque totum implentem videmus. Quod si quis non hac ratione, sed Judaïco more thronum accipiat, ratus corporeum Davidis regnum ita vocari, falsæ deprehendentur prophetiæ. Nam post Judaïcæ gentis in Babylone captivitatem, nemo in throno Davidis sedit : sed ex illo ad hoc usque tempus anni sunt circiter

[1] Luc. VIII, 5.

mille, a quo tempore, ejus destructo regno, ac ipsius successione cessante, Davidis thronus solutus est. Quamobrem posteriora psalmi dicta hæc ipsa deplorant, aperteque corporei et materialis throni ruinam significant, ac declarant promissis contraria accidisse, quantum ad sensibilem thronum et corpoream regni Davidis successionem pertinet. Quæ sane non silentio mitti, sed in prophetia de Christo memorari oportuit; ut ediscamus, instante rerum in vaticinio memoratarum tempore, sensibilium illorum, de quibus agi putant Judæi, solutionem futuram esse; alia vero, quæ divino more intelliguntur, Dei promissionis complementa et consummationem fore.

« Tu vero repulisti et despexisti, abjecisti Christum » tuum. Evertisti testamentum servi tui, profanasti in » terra sanctuarium ejus : destruxisti omnes sepes ejus, » posuisti munimenta ejus formidinem. Diripuerunt eum » omnes transeuntes viam : factus est opprobrium vicinis » suis. Exaltasti dexteram tribulantium eum, lætificasti » omnes inimicos ejus. Avertisti adjutorium gladii » ejus, et non es auxiliatus ei in bello. Solvisti eum ab » emundatione, thronum ejus in terram confregisti. Minorasti » dies temporis ejus, perfudisti eum confusione. » Diapsalma[1]. » Hæc de corporea Davidis successione, et de regno ejus sensibili, quod tempore abductæ Judæorum in Babylonem captivitatis destructum fuit, intelligi comprobantur. Ex illo namque tempore Christus, id est, rex sensibilis ex genere Davidis defecit, thronus regni ejus confractus est, et reliqua omnia quæ in vaticinio feruntur impleta sunt. Quibus de causis ex persona Judæorum hic sermo lamenta edit; quasi scilicet alia Deus promiserit, alia evenerint. Nos vero animadvertere con-

[1] Psal, LXXXVIII, 39, 40, 41, 42, 43, 44, 45, 46.

venit, cum Deus mendacii expers sit, necessario veros esse sermones ejus : si autem erga sensibile Davidis regnum veri non reperiantur, restat ut alio modo promissa intelligamus. Quis ille modus sit, docet superius divinus Spiritus, cum dicitur, « In cœlo præparabitur veritas » tua, » ac rursum, « confitebuntur cœli mirabilia tua, » Domine, etenim veritatem tuam in ecclesia sancto» rum; » iterumque, « potens es, Domine, et veritas » tua in circuitu tuo; » et rursum, « Misericordia et » veritas præcedent faciem tuam. » Hæc quippe omnia declarant, Dei promissa nunquam irrita esse, sed qua ipse novit ratione impleri. Nam « in cœlo, » inquit, » præparabitur veritas tua : aperte significans cœlestes ac divinas esse Dei promissiones. Ac verborum complementa declaravit per Salvatorem nostrum Jesum Christum, ex semine Davidis ortum, perfecta esse : nam hujus regnum et thronus, non humanus, neque ex hoc mundo erat. Idcirco dicebat Pilato : « Regnum meum non » est ex hoc mundo [1]. » Sciscitante autem illo, num rex esset, respondit, « in hoc natus sum. » Igitur si in hoc natus est, in hoc manebit. Huic porro sermoni testimonium affert qui ortum ejus Virgini promisit Angelus Gabriel, qui dixit ei : « Et ecce concipies in utero, et pa» ries, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, » et filius Altissimi vocabitur. Et dabit illi Deus thronum » David patris sui, et regnabit in æternum, et regni ejus » non erit finis [2]. » In hoc itaque natus est; sed regnum ejus non erat ex hoc mundo : nam hujus mundi regnum non potest in æternum durare neque fine caret, neque in infinitum extenditur; regnum vero semini Davidis promissum æternum erat et immortale : ait enim, « Et

[1] Joan. XVIII, 36. — [2] Luc. I, 31.

» thronus ejus erit sicut sol in conspectu meo, et sicut » luna perfecta in æternum, et testis in cœlo fidelis. »

Talia porro sunt quæ Virgini de Filio ex se nascituro promissa sunt. Oracula enim ipsi fundens Angelus, hæc pollicitus est : « Et dabit illi Deus thronum David patris » ejus. » Qualis vero ille et cujusmodi esset, sub hæc explicat dicens, « Et regnabit in æternum, et regni ejus » non erit finis. » Talis ille thronus erat, quem Davidi Deus cum juramento pollicitus est. Quod declarans Angelus, oraculum suum interpretatus est; primo quidem dicens, « Et dabit illi Deus thronum David patris ejus[1]; » postea vero adjiciens, « Et regnabit in æternum, et regni » ejus non erit finis. » Hæc opere completa sunt in Salvatore nostro Jesu, Christo Dei, qui ex semine David ortus, imperat, legem dat, et regnat in universo orbe, non humano quidem modo, sed divina virtute : et semen ejus vere in sæculum manet; id est, successio ejus, quæ per Apostolos et Discipulos ipsius totum implet mundum; sive rationabile cœlestis doctrinæ ejus semen. Sed etiam thronus ejus solis instar resplendet, hominum animas illuminans et radiis illustrans. Hæc porro omnia jam ad effectum deducta sunt, et in dies hactenus implentur, secundum ea quæ Davidi juravit Deus. Verum quoniam non humano ritu, neque secundum morem regum mundanorum, hæc promissa in successoribus Davidis impleta sunt; neque in ipso Salvatore nostro, corporeo more finem acceperunt, quia regnum ejus non fuit ex hoc mundo, neque ille in sensibili Davidis throno sedit; imo vero contrarium accidit, adveniente passione ejus; hæc ipsa divinus et propheticus Spiritus jure ac merito declaravit, ad perquisitionem consummationis divini sermonis nos excitans, quare ait : « Nunc autem repulisti et

[1] Luc. 1, 31.

» despexisti, Domine, abjecisti Christum tuum : ever» tisti testamentum servi tui, » et cætera : queis clare Christum memorans, indicat, nihil eorum quæ ad successionem Davidis, et corporeum ejus regnum, necnon eorum quæ in passione Christo Dei acciderunt, latere sibi. Hæc igitur docuit de successione ejus et regno, ac de eo qui ex semine David proditurus erat exspectanda esse. Licet enim superius quamplurima de illo gloriosa dicta fuerint, quod scilicet exaltandus sit, quod in mare et in flumina manum extensurus sit, quod Deum invocaturus sit Patrem, et ab illo rursum primogenitus declarandus sit, præstantior futurus sit omnibus regibus, testamentum fidele habiturus sit, et semen in sæculum sæculi permanens, thronum item durantem sicut dies cœli et sicut lunam ac solem; attamen hæc tristia ipsi eventura esse prænuntiat : hæcque necessario prædicit, ac docere antevertit Spiritus divinus; ut si quando secundum sermonem ejus hæc Christo et Davidis successioni acciderint, ne turbentur ii, qui jam olim et a majoribus hæc futura esse existimabant, gnari scilicet in prophetia isthæc futura prænuntiari, sive tristia, sive mitiora : quæ sane idem sermo, licet contraria, in eodem ipso eventura vaticinatur, quæque ipsis operibus completa accepimus. Nam tempore passionis Servatoris nostri tristia illa in ipso sunt impleta; postea vero, præstantiora illa promissa in eodem operibus ipsis perfecta sunt.

Quæ igitur in passione ejus acciderunt, accurate prænuntiata sunt his verbis : « Tu vero repulisti et despexisti, » abjecisti Christum tuum. » Pro quo Aquila ait, « Distu» listi cum uncto tuo; » Symmachus autem, « Iratus es » contra Christum tuum. » Tunc porro quæ ad Testamentum Apostolis datum spectabant, dissipata sunt, quando ipsum abnegarunt, et sanctuarium ejus, id est,

corpus ex sancta Virgine acceptum, in terra profanatum est. Imo etiam omnes sepes ejus tunc abstulit Deus, videlicet Angelos stipantes eum, ac satellitium agentes et ministrantes. Itemque munimenta ejus ablata. Ea autem erant Apostoli ejus et Discipuli, qui tanta formidine repleti sunt, ut abnegarent eum, ipsoque relicto fugerent. Tunc autem factus est in opprobrium vicinis suis, et exaltata est dextera tribulantium eum : ac cætera omnia in eo, qui ex semine Davidis prodierat, tunc impleta sunt. Alias enim nemo possit isthæc ipsi Davidi coaptare, neque ostendere hæc quæ tractamus impleta in ipso esse; ut neque præstantiora et mitiora quæ in promissis Dei feruntur. Neque enim Davidis thronus radios instar solis emittendo totum illuminavit orbem, neque ut luna perpetuus fuit, neque in sæculum sæculi conservatus est. Neque ulla ratione potest ille David primogenitus Dei vocari : quandoquidem ante et post illum sexcenti illo præstantiores fuere. Neque videtur David dexteram in flumina, sinistram in mare extendisse, neque dominatus est a mari usque ad mare, neque regnum obtinuit, quod pertingeret usque ad terminos terræ. Neque etiam filio ejus Salomoni hæc adaptari possunt : nam hic perinde atque pater ejus, non ultra Judæam imperavit, neque ut pater ejus, plus quadraginta annis regnavit, neque crimine vacuam vitam emensus est. Tali namque modo se gessit, ut propter insanum mulierum amorem et idololatriam male audierit, qua de causa Satanam ipsi suscitasse dicitur Deus. Verum neque post Salomonem ad alterum regum Judæorum ex semine et successione David possunt promissiones illæ referri : sed omnia simul, sive mitiora, sive tristia, in uno solo, ex semine David orto, qui dicitur Jesus Christus Salvator noster, impleta fuisse constat : quæ scilicet divinus Spiritus prænuntiavit, præmit-

tens quidem divinas pollicitationes, docens autem expectandum esse, ut in uno et eodem hæc tristiora contingerent : cum maxime sensibilem illum totius ex Davide successionis thronum evertendum esse prospiceret. Nam reges ex semine Davidis orti usque ad captivitatem populi in Babylone perdurarunt : neque toti Judæorum genti, sed tribus solum tribubus ac ne quidem integris imperabant, atque totum imperii eorum tempus ad quadringentos circiter annos solum pertingit : quibus exactis Jechonia ex successione Davidis postremo regnante, nullus alius Judæorum rex ex semine David memoratur; ita ut hoc item modo impleta sint isthæc divini Spiritus oracula, quibus dicitur: « Nunc autem repulisti et despexisti, » abjecisti Christum tuum. Evertisti testamentum servi » tui, profanasti in terra sanctuarium ejus, » et cætera.

Deinde quia Dei ad Davidem promissiones bonam et ingentem Davidis semini spem adscribebant; et tamen quæ successioni ejus acciderant, omnino contraria videbantur; nam thronus regni ejus humano more sumpti a tempore Jechoniæ solutus cessaverat : hæc prospiciens Spiritus propheticus, jure ad veritatis sermonum Dei perquisitionem nos invitat, nosque instituit ut id a Deo quæramus et ediscamus, sciscitantes ipsum ac dicentes, « Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine, quas » jurasti David? » Nam regni ejus sensibilis et humano more sumpti successio soluta, et a longo jam tempore sublata fuerat, cum ex semine ejus ortus Jesus Christus, qui promissionum Davidi factarum hæres futurus expectabatur, non sensibile neque humanum regnum possedit; sed prorsus contraria iis quæ homines expectabant passus est, ad mortem usque progressus, omniaque perpessus, quæ divinus Spiritus præscientiæ virtute prænuntiarat. Qua de causa jure percontandum et interrogandum esse

docet his verbis : « Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, » Domine? » et cætera. Sub hæc infert : « Usquequo, » Domine, avertes in finem, exardescet sicut ignis ira » tua? Memorare quæ mea substantia : numquid enim » vane creasti omnes filios hominum ? Quis est homo » qui vivet, et non videbit mortem, eruet animam suam » de manu inferi? Diapsalma[1]. » Pro illo, « avertes, » Aquila, « Usquequo, Domine, absconderis in contentio- » nem? » Symmachus vero, « Usquequo, Domine, abs- » conderis in finem? » Videturque mihi sermo arcanum iræ, regnum Davidis corporeo more sumptum et totam Judaïcam gentem invasuræ, subindicare. Cum itaque, quantum ad vulgarem expectationem, promissis contraria evenirent, Deus qui bonas pollicitationes Davidi dederat evocabatur. Quamobrem hic rogatur, ne iram in illos accensam diutius producat; sed quamprimum tristia prætereant, et promissa a Deo adveniant. Deinde ex persona humanæ infirmitatis ait : « Memorare quæ mea sub- » stantia, » et cætera. Populum autem ad hæc dicenda instituit propheticus sermo, ut Deum precibus ac supplicationibus inducat ad sedandam iram adversus gentem suam, et roget ut finem faciat sese occultandi ; roget item ut vel sero tandem quæ Davidi promisit hominibus conferat. Quia, inquit, humana natura infirma et inops est, sed tamen multo apud te honore dignata est; non enim vane creasti filios hominum, quos secundum imaginem tuam condidisti; ea propter ne opificium tuum et imago tua per ingruentem iram et promissorum dilationem pereat, mature tristia illa repares, infirmisque medearis per promissionum exitum et complementum. Nam si homines perinde atque bruta animalia in vanum creati essent, nihil ipsis magnum promittendum

[1] Psal. LXXXVIII, 47, 48, 49.

esset : cum autem juramenta Davidi data, talia bona hominibus annuntient; ea sane palam faciunt te non in vanum creasse filios hominum. Quia igitur humana natura tali abs te honore donata est, jure dico, « Memo- » rare quæ mea substantia; » et, Recordare te non in vanum creasse filios hominum. Sed etiam id recordari te precor, nullum esse hominum qui mortem non degustet, nec posse quemquam animam suam ex morte liberare; neque enim id beneficii accepit. Itaque etiamsi talia fuerint Judaïcæ gentis scelera, ut promissa Davidi data in contrarium ipsis cederent, et successio seminis ejus una cum regni throno solveretur; imo etiam ipse Christus tuus talia ab ipsis pateretur, qualia prius sermones tui ipsi futura prænuntiabant : attamen precamur ne in finem usque avertaris, neque ira tua sicut ignis accendatur; sed recorderis quæ substantia mea, qui hæc pro illis postulo, et quæ sit hominum infirmitas, qui mortalem et interitui obnoxiam naturam sortiti sunt : recorderis item tui, qui non in vanum creasti filios hominum, sed ad magnam spem penes te repositam. Supplicamus autem ut hæc in memoriam revocans, vel sero tandem mittas nobis eum, qui et a morte eruatur, et ab inferno revocetur; et ut finem facias te a nobis avertendi, iramque tuam sedes, ignis instar populo tuo ingruentem, ac quæ juratus promissa Davidi dedisti, operibus perficias.

« Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine, quas » jurasti David in veritate tua [1]? » Quia non in vanum, inquit, creasti omnes filios hominum, et apud te illi in honore habentur, neque sese possunt a morte eruere; ideo precor et supplico ut matures bonarum promissionum complementa exhibere nobis, quæ a Christo tuo, post sublatum Davidis regnum, conferenda

[1] Psal. LXXXVIII, 50.

sunt. Festinare autem rogo antequam hominum genus funditus pereat. Quis enim hominum potest se de manu inferi eruere; nisi unus ille qui primo seipsum, deinde omnes in se sperantes, a portis mortis liberavit? Is etiamsi ea passurus sit quæ in prophetia feruntur his verbis, « Nunc autem repulisti et despexisti, abjecisti Christum » tuum; » attamen tua ad Davidem facta promissa consequetur. Nam misericordiæ tuæ, Domine, et veritas tua in sæculum manent, ac ne vel unum promissionum tuarum verbum excidet. Licet autem nunc tristium illorum quæ eventura sunt memoriam repetens, dicam, « Ubi » sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine, quas jurasti » David in veritate tua? » at non ignoro te in veritate jurasse : quare in ipso sermonis exordio bonum illum finem respiciens, dicebam, « Misericordias Domini in » æternum cantabo : in generationem et generationem » annuntiabo veritatem tuam in ore meo; » ac rursum hæc loquebar, « In æternum misericordia ædificabitur, » in cœlo præparabitur veritas tua. » Hæ ergo misericordiæ tuæ, Domine, ubinam sint, ediscere flagito, et ubi occultæ lateant, et quando venturæ sint. Etenim supplico ut jam festinent et veniant ac infirmitatem nostram suscipiant. Nisi enim misericordias tuas antiquas ostenderis, quas non modo promisisti, sed etiam jurasti David in veritate tua, nulla hominibus spes salutis relinquitur. Ut autem sermo tuus de tristibus futuris verax fuit, omniaque illa contigerunt et completa sunt; ita consentaneum est ut meliorum pollicitationes non irritæ sint : quibus scilicet nobis annuntiatum est, æternum fore semen Davidis, et thronum ejus instar solaris luminis universum orbem illustraturum esse. Hæc itaque illis olim antiquis in voto fuere, et ab iis qui propheticarum vocum meditationi dediti erant expectabantur : a nobis

vero ipsis operibus completa videntur, per consummationem rerum quæ in Salvatore et Domino nostro Jesu Christo perfectæ sunt.

« Memor esto, Domine, opprobrii servorum tuorum, » quod continui in sinu meo multarum geutium : quod » exprobraverunt inimici tui, Domine, quod exprobra- » verunt commutationem Christi tui. Benedictus Do- » minus in æternum, fiat, fiat[1]. » A præmisso diapsalmate videtur mihi sententiæ mutationem invectam esse. Nam Spiritus divinus pro populo precatus in superioribus, promissa Dei ut eveniant hoc dicto postulat, « Ubi sunt » misericordiæ tuæ antiquæ, Domine? » rogat autem ut jam eveniant meliorum illorum complementa, quæ juravit Deus David in veritate sua. Deinde precatur ut memor sit opprobrii servorum suorum. Nam quasi jam, ut tacite indicat, tristia illa prius enuntiata, opere perfecta sint, cum inimici multi et populi instent, et servos Dei propter ea quæ acciderant opprobriis onerent, pro illis Dei famulis orationem emittit dicens : « Memor esto, » Domine, opprobrii servorum tuorum. » Pro illo autem, « Quod continui in sinu meo multarum gentium, » clarius Aquila edidit dicens, « Me ferente in sinu omnes » iniquitates populorum ; » Symmachus autem, « Tuli » in sinu meo omnium gentium. » Qui itaque opprobriis afficiuntur, servi Dei sunt : quare dicebat, « Memor » esto, Domine, opprobrii servorum tuorum. » Qui autem opprobria inferunt, sunt inimici Dei : quamobrem subjungit postea, « Quod exprobraverunt inimici tui, » Domine, quod exprobraverunt commutationem Christi » tui. » Qui autem hæc Deo dicit, salutare Verbum fuerit, quod in sinu suo iniquitates populorum tollit. Commutatio autem Christi quo sensu dicta fuerit, ex Sym-

[1] Psal. LXXXVIII, 51, 52, 53.

machi interpretatione intelliges, qua dicitur, « Quod » exprobraverunt vestigia Christi tui. » Incessum enim Christi Dei et viam ejus in passione, vestigia item in humanæ vitæ suæ œconomia, hac ratione subindicavit. Hæc enim exprobrare nobis solent inimici Dei. Verum ille quasi exauditus, certusque se vota consecuturum, ac sperans quamprimum implendas esse Dei ad Davidem factas promissiones, sermonis totius finem gratiarum actione et benedictione obsignat dicens, « Benedictus » Dominus in æternum : » nosque edocet respondendum esse, « Fiat fiat, » quod Hebraïca voce est, « Amen, » amen. » De diapsalmate vero quod plerumque inseritur, hæc dicenda sunt. Prima Dei promissio initio prolata, erat, « Disposui testamentum, et, juravi David, » et cætera. Deinde, apposito diapsalmate, mutata persona subjungitur, « Confitebuntur cœli mirabilia tua : » ac rursum, promissione ex persona Dei facta, ab his verbis, « Posui adjutorium in potente, » usque ad illud, « et testis » in cœlo fidelis, » rursum interposito diapsalmate, sententia mutatur ac dicitur, « Tu vero repulisti et despe» xisti, rejecisti Christum tuum. » Sub hæc enarratis tristioribus, rursum diapsalma inserit, doctrinamque mutat dicens, « Usquequo Domine avertes in finem ? » et emissa oratione, iterum diapsalmate interposito utitur, ac subdit, « Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine ? » mutata sententia, et revocatis prioribus initio prolatis Dei pollicitationibus; ita ut diapsalmata rationem quamdam servent ac mutatam sententiam vel personam significent. Hoc porro dicas de omnibus psalmis in quibus diapsalma fertur : nam aut personæ aut sententiæ mutationem declarat : aliquando vero Hebraïcæ melodiæ conversionem notat. Aquila autem nusquam diapsalmate utitur; sed omnibus in locis vice illius, interpretari solet,

« semper. » Quod nobis ignorandum non erat. In illo autem totius sermonis ceu sigillo, « Benedictus Dominus » in æternum, fiat, fiat; » secundum Aquilam, pro illo « Fiat, fiat, » legitur « Fideliter, fideliter; » secundum Symmachum vero perinde atque in Hebraïco exemplari, « Amen, amen. »

PSALMUS LXXXIX.

Oratio Moysis[1].

« DOMINE refugium factus es nobis in generatione et » generatione. Priusquam montes firmarentur, aut fir- » maretur terra et orbis, et a sæculo usque in sæculum » tu es Deus[2]. » His edocemur divinum quidem numen perpetuum et sempiternum esse. Nam qui dixit, « Deus » ego sum, qui semper sum, et idem sum, et in infinita » sæcula permaneo, » nunquam naturam mutat suam. Nos autem, qui in tempore ad vitam accedimus, torrentis instar effluimus : quoniam secundum Salomonem, « Generatio abscedit, et generatio venit[3],» et res humanæ numquam eodem in statu manent; sed diversimode mutantur. Dominus autem, qui in singulis generationibus manet, in se sperantium refugium factus est. Nam ante diluvium Enoch, et si quis alius ejusdem generationis, in refugium ipsum habuit : pereunte autem in diluvio hominum genere, rursus Noë ipsum et non alium in refugium obtinuit. Et postea Lot ex Sodomitarum generatione; Abraham, Isaac et Jacob, singuli in sua; imo etiam Joseph in generatione sua, ac Moyses rursum in alia; in summa per singulas generationes, Dominum, qui semper est, in refugium habuerunt qui in ipso sperarunt. His porro nos Scriptura hortatur, ut ne in alium quam in Deum speremus; sed in omni tempore, in singulis diebus et horis, in singulis item actionibus, maximeque in tempore calamitatis ad ipsum confugiamus. Et quoniam qui

[1] Psal. LXXXIX, 1. — [2] Ibid. 2. — [3] Eccles. 1, 4.

frigore vexantur, tegumento; qui in mari tempestatibus jactantur, portu; qui ab inimicis et hostibus, aut a feris agrestibus pelluntur, muris ad refugium opus habent; cum his autem omnibus homo Dei in præsenti vita concertat; necessario docetur ut refugium, murum, portumque salutare sibi putet esse Dominum; ut sive persecutionis tempore ab inimicis pellamur, sive ab invisibilibus hostibus oppugnemur, sive hominum in nos conspirantium insidiis tentemur, vigilanter ad Dominum nostrum et Deum confugiamus, qui in generatione et generatione invocantium se propugnator et protector est. Pro illo autem, « In generatione et generatione, » clarius Symmachus edidit his verbis, « In singulis generationibus; » ac rursum hæc, « Antequam montes fierent, et formaretur » terra et orbis; » Aquila et Symmachus similiter sic edunt : « Antequam montes parerentur, et parturiretur » terra et orbis. » Videturque mihi Hebraïca lectio physicam rationem reddidisse, docens non ab initio montes una cum terra extitisse, sed partuum instar ortos esse : quare dictum est, « Priusquam montes fierent; » aut, « Priusquam montes parerentur » : ac verisimile est, montes cum parerentur, ac velut infantes e terra emitterentur, non ea qua nunc sunt celsitudine fuisse; sed recens natos, ut infantes nuper ortos, exiguos minimosque extitisse; diuturnoque ævo incrementum et magnitudinem accepisse. Nam quidam ex physiologis hodieque aiunt, montes crescere, ac petras acceptis longo temporum curriculo modicis, quæ nobis latent, incrementis, majores sensim evadere. Quia vero interpretes, Hebraïcum sequentes, terram et orbem parturiisse dixerunt; num etiam de terra paria iis quæ de montibus cogitare par fuerit, quasi ipsa quoque ex alio elemento procedat, ita

ut etiam illa prius, quasi a prægnantibus et in partu dolores patientibus, parturiretur?

Si itaque physicorum sermo constet, qui ait primum elementum fuisse aquam; deinde vero ex aqua et humida substantia, reliqua elementa substitisse; dixerit fortasse quispiam, hoc in præsenti Scriptura significari, ac declarari, fuisse tempus cum terra in alio elemento posita, sub aspectum non caderet, quasi utero gestata et concepta in humidæ substantiæ natura. Quare in mundi creatione dicitur : « Terra autem erat invisibilis et incomposita, et » tenebræ super abyssum [1]; » sed postremo quasi genita ex aquarum substantia prodiit, non sine divina virtute, sed majori coacta vi et necessitate : hæc vero erat Creatoris voluntas. Quemadmodum enim a prægnantibus mulieribus, imminente vi ac necessitate, definito partus tempore instante, quod in utero erat emittitur, atque illæ cum dolore pariunt : eodem prorsus modo universorum opificis vi et sapientia, terram et orbem aquæ protulerunt. Et hoc implebatur quando dixit Deus : « Congre» gentur aquæ sub cœlo in collectionem unam, et appa» reat arida. Et factum est ita [2]. » Et consideres, quæso, terram in aquis olim absconditam, atque instar luti solutam, et aquarum multitudini commixtam fuisse; ita ut invisibilis et occulta maneret : quapropter dicitur, « Terra autem erat invisibilis et incomposita [3]; » deinde vero ex Dei voluntate compactam et coagulatam fuisse, et postea confertim in lucem editam, in purum aërem emersisse : et animadverte, nihil fere tum intercessisse discriminis inter illam et ea quæ ex utero gignuntur. Cum igitur ex aquis emersa prodiret, tunc gigni et nasci videbatur : ante ortum vero intus in aquis in lutum compacta, et instar limi in propria gravitate subsistens et

[1] Gen. I, 2. — [2] Gen. I, 9. — [3] Ibid. 2.

considens, tunc concipiebatur; demumque quasi ex utero enata, terrenorumque animalium habitaculum effecta est. Verum antequam hæc fierent, et ante mundi constitutionem, tu ipse, inquit, Deus es. Et pulchre quidem non, « tu eras, » ait; sed, « tu es : » nam tu ipse, inquit, eras, es et eris; imo potius idem semper es, et idem es secundum hanc theologiam : « Tu autem idem ipse es, et » anni tui non deficient[1]. » Non enim fas est de illo dicere, « eras, » aut, « erat, » aut, erit : nam illud, præteritum; hoc, futurum tempus significat : Quorum nullum Dei nomini convenit; nam ipsi soli competit semper esse. Quamobrem hic accuratissime dictum est, « A sæculo » usque in sæculum tu es Deus; » alibi vero, « Tu autem » idem ipse es, et anni tui non deficient. » Observandum autem est hoc in loco, « Domine refugium factus es no» bis, » illud, « Domine, » non quatuor litterarum vocabulo apud Hebræos exprimi; sed vulgaribus et consuetis elementis, qui etiam in humana appellatione usurpantur, si quando herum quempiam in hominibus dominum vocemus. Nam in præsenti illud, « Adonaï, » explicatur « Dominus, » cum quatuor litterarum nomen, quod arcanam Dei theologiam significat, in præsenti lectione non compareat; sed Dominus opportune appelletur, ut indicetur curam sollicitudinemque gerere domesticorum suorum, quorum refugium est. Et perpende, num forte ad Deum Verbum hæc doctrina referatur : non enim multum huic sententiæ repugnat hæc lectio, « Priusquam montes » fierent, aut formaretur terra et orbis, tu es Deus; » cum hoc Salomonis dictum ex persona Sapientiæ proferatur, « Antequam montes firmarentur, et ante omnes » colles gignit me[2], » queis subindicare videtur incorpo-

[1] Psal. CI, 28. — [2] Prov. VIII, 25.

reas et Angelicas virtutes, quibus Dei Verbum et Dei Sapientiam præexistere docet ipsa Sapientia.

« Ne avertas hominem in humilitatem : et dixisti, » Convertimini filii hominum. Quoniam mille anni in » oculis tuis, tanquam dies hesterna, quæ præteriit, et » custodia in nocte, quæ pro nihilo habentur eorum, » anni erunt. Mane sicut herba transeat, mane floreat et » transeat; vespere decidat, induret, et arescat. Quia » defecimus in ira tua, et in furore tuo turbati su- » mus [1]. » Quia has voces Moysis esse docet titulus, dum eas Moysis personæ aptare conor, mecum reputo num his latentem Moysis prophetiam sermo tradat. Neque enim psalmus esse mihi videtur; sed, ut docet inscriptio, oratio Moysis. Quæro autem quo tempore Moyses hac usus oratione sit; et num ipsi, vel potius populo conveniat : num generationi suæ et populo secum versanti, aut subsequenti successioni coaptanda sit. Quod autem hæc ipsi referre non conveniat, apud omnes arbitror in confesso futurum esse. Qui enim possit Moyses homo Dei de se dicere, « Quia defecimus in ira » tua; » vel secundum Symmachum, « Quia consumpti » sumus in ira tua, et in furore tuo turbati sumus. Po- » suisti iniquitates nostras in conspectu tuo; » ac rursum, « Dies nostri defecerunt in ira tua; » iterumque, « Quis novit vim iræ tuæ, et a timore tuo iram tuam? » Verum quod hæc ad Moysem non referantur, non solum quia omnia iram Dei exprimunt, sed etiam quia hæc pluraliter proferuntur, manifestum est. Hinc igitur verisimile est, hæc quempiam populo qui cum ipso in deserto erat, adscripturum esse. At id ne vel cogitare concedit series. Cur enim diceret, « Mane sicut herba tran- » seat, mane floreat et transeat; vespere decidat,

1 Psal. LXXXIX, 3, 4, 5, 6, 7.

» induret et arescat; quia defecimus in ira tua. » Itaque non dicit mane defecisse; sed, « Mane sicut herba tran- » seat; » neque rursum ait, « Mane decidat, » neque, « mane induret et arescat; » sed dicitur, « Mane floreat » et transeat; » ut autem decidat, induret et arescat, vespere futurum esse ait his verbis, « Vespere decidat, » induret, et arescat; » illud quoque, « Quia defecimus » in ira tua, » vespere futurum esse dictum est : nam hoc, inquiunt, tempore defecimus. Quoniam cum mane flores, herba et temporanea quædam species extitisset, vespere emarcuit herba, et flores exsiccati defecerunt. Et hæc quidem oratio quoad litteram ita se habet; sensus vero ad Moysis tempora et ad sui ævi generationem conferri nequit. Neque enim tunc vespera erat, neque extrema populi ex circumcisione tempora venerant; sed tunc exordia ejus erant, et tunc primum ex Deo lux orta erat. Quamobrem temporis illius conditio, et Dei inspectio concessa, mane vocata est. Tunc autem vespera fuit illis, cum in consummatione sæculi Verbum, quod hinc ortum erat, occidit illis. Verum tunc quidem ortum est, et matutinum ipsis effecit, cum res ipsorum florerent. Neque sane in veritate permanserunt; sed cum floruissent, transierunt, et umbræ instar aufugerunt : quamobrem dictum est, « Mane sicut herba transeat. » Post Moysis autem obitum, in sequentibus etiam temporibus, in meliorem statum aucti et provecti, non ita remanserunt, sed transierunt : quocirca etiam secundo dictum est, « Mane floreat et transeat. » Postrema vero eorum sub hæc ita significantur, « Vespere decidat, in- » duret et arescat : » nam quod senescit et inveteratur, proxime interiturum est. Quod sane illis contigit occidente justitiæ sole, secundum prophetiam quæ ait : « Et occi- » det sol super Prophetas, qui errare faciunt populum

» meum[1]. » Quemadmodum enim de justis dictum est, « Orietur timentibus Deum sol justitiæ[2]; » sic etiam de impiis dictum est, « Occidet sol super illos; » ac rursum alibi, « Et occidet sol in meridie, et luna non dabit lu- » cem suam[3]. » In consummatione igitur sæculi post Servatoris nostri adventum, cum vespera ipsis advenisset, ac lux veritatis plane occidisset, in ruinam et abjectionem penitus devenerunt, atque hoc oraculum impletum est, « Vespere decidat, induret et arescat. Quia » defecimus in ira tua, et in furore tuo turbati sumus. » Hisque videtur mihi Moyses orationem concinnare, populi post Salvatoris nostri adventum conditioni consentaneam. Nam Propheta cum esset, et divina præscientia abjectionem eorum ultimam et extremam ruinam prospiceret, salutare ipsis pharmacum ad medelam suggerebat, hanc videlicet orationem, quam in arcanis, ut verisimile est, et extra aliam Scripturam suam, iis qui arcana penes se retinere possent tradidit; videturque apud illos diu et privatim eam latuisse, ac demum libro psalmorum necessario insertam fuisse, ne diuturno tempore multis latens et neglecta excideret. Ut igitur servaretur, omnibusque nota maneret, libro psalmorum inserta fuit, etsi psalmus non sit. Neque enim psalmi quidpiam complectitur: psalmus quippe ad lætitiam animi spectat; hæc autem oratio iram et furorem Dei, aliaque tristia commemorat: divinumque numen iis placat, qui lapsi sunt. Moyses quippe hunc propitiandi modum tradit populo, qui post Salvatoris nostri adventum in peccata decidit.

Videturque mihi hanc Moysis orationem, post LXXXVIII psalmum, et ea quæ ibi de semine David, deque throno illi promisso prænuntiantur, non sine consilio positam fuisse: ac sermonem profundiore quodam speculandi

[1] Mich. III, 6. — [2] Malach. IV, 2. — [3] Amos. VIII, 9.

more, futuram Judaïci populi, post adventum ejus qui ex semine David proditurus erat, ruinam et abjectionem subindicare : quod sane rerum eventus obsignat. Etenim orationem ipsis tradit Moyses, prophetica virtute orationis verba personæ populi lapsi et abjecti accommodans. Cum igitur ait, «Ne avertas hominem in humilitatem :» Et dixisti, Convertimini filii hominum, hanc ipsis doctrinam tradere mihi videtur; ut scilicet precando dicant : O Domine, tu variis temporibus refugium nobis factus es per singulas generationes : nam primo cum in Ægypto versaremur, atque a Pharaone et Ægyptiis opprimeremur, refugium nobis fuisti; iterumque in deserto oppugnati cum ab Amalecitis tum a Chananæis, te in subsidium ac refugium habuimus; imo etiam cum ingressi in terram promissionis Allophylis subacti essemus, ac plerumque postea sub regibus nostris, demum in Babylonica captivitate, refugio nobis fuisti. Et nunc itaque supplicamus paria abs te consequi, teque in refugium nostrum obtinere : quare rogamus, « Ne avertas » hominem in humilitatem; » hoc est, Ne avertas nos ad extremam ruinam et humilitatem. Tu namque vi tui erga homines amoris hæc dixisti, atque omnibus hominibus hanc prædicationem attulisti dicens, « Convertimini, filii hominum. » Si itaque clementia tua omnes gentes, omnesque filios hominum evocavit, et si eos qui olim abs te aversi, ac dæmonibus spiritibusque malignis subditi erant, ad te converti jubes; ne nos averseris, neque in extremam ruere vastitatem sinas, qui olim tui fuimus, ac cum tantillum temporis floruissemus, torrentis instar transivimus. Nam mille anni nostri, queis bene rem gessimus, transierunt sicut dies hesterna, quæ præteriit. Hic vero perpendere libet, cur hi mille anni memorentur. Si enim dicatur hæc gloriam Dei esse, et ad

sempiternam Dei vitam declarandam, nihil magni hoc puto sermone proferri. Etenim nec omne sæculum, neque etiam totum illud tempus quod a prima mundi creatione usque ad ejus consummationem, vel pro tantillo, non dicam unius diei, sed unius brevissimæ horæ spatio, habendum esse puto, si comparetur cum illa sine principio et generatione vita Dei, qui ante omnia sæcula exsistit, necnon ante omnem cogitationem vel in infinitum extensam; quippe omnia futura, infinita et interminata sæcula duratione excedit. Quamobrem aliam mihi sententiam videtur hæc oratio suggerere, cum populum ad hæc dicenda instituit : « Quoniam mille anni in oculis tuis, » tanquam dies hesterna, quæ præteriit, et custodià in » nocte. » Veneranda ergo illa quæ in Jerusalem erant, quibus tota gens illa florebat et multo dierum curriculo bene rem gerebat, quasi in luce degens; hæc, inquam, pro mille annis habenda. Nam annis mille duntaxat cultus hoc in loco statutus duravit et constitit : qui anni hoc pacto numerantur. A prima Templi fundatione et temporibus Salomonis, ad usque Babyloniorum obsidionem, anni computantur quadringenti triginta duo. Post hæc autem cum locus in solitudinem versus esset, rursum Jesus et Zorobabel filius Salathiel, anno secundo Darii Persæ, domum restaurarunt. Ab illo autem tempore usque ad quintum-decimum annum Tiberii Cæsaris, colliguntur anni quingenti quadraginta et octo; ita ut omnes ad summam nongentorum et octoginta supputentur, Post insidias vero ab iis contra Salvatorem nostrum structas, tumultibus et seditionibus agitata civitas, adhuc quadraginta annis permansit : quibus elapsis, accessit extrema eorum pernicies, et ultima obsidio, Tito et Vespasiano Imperatoribus, a Romanis facta.

Hi itaque mille anni erant de quibus dicitur, « Tan-

» quam dies hesterna quæ præteriit. » Nam illos annos ceu præteritos et elapsos deplorant, qui in oratione Deum placare conantur; imo etiam quasi nocturnam custodiam, annos illos effluxisse dicunt. Nam Moysis lex lucerna erat in nocte splendens ipsis; Prophetæ item qui post Moysem fuerunt, lucernæ erant, sive stellæ in nocte fulgentes, cum nondum lux solaris, id est, salutaris Verbi, propriam diem ac meridiem omnibus gentibus lucere fecisset. Custodia vero nocturna, quoddam noctis tempus vocatur. Hoc porro intelligas ex Evangelio, in quo dictum est : « Quarta autem custodia noctis venit » Jesus ambulans supra mare [1]; » ac rursum, « Si sciret » paterfamilias qua hora fur veniret [2]. » Hi ergo mille anni non modo diei, quæ præteriit nec ultra exsistit, confertur; sed etiam modicæ noctis parti; ita ut non integra nox, sed ejus pars declaretur, in qua custodiam corporei legis cultus observabant. Sub hæc dicitur : « Quæ pro nihilo habentur eorum, anni erunt. » Horum mihi hæc videtur sententia esse : anni eorum pro nihilo erunt. Non enim ulterius anni illi in honore erunt, non curandi, non necessarii habebuntur; sed despecti ac pro nihilo reputati erunt. Quomodo autem anni eorum pro nihilo reputandi sint, deinceps declarat dicens : « Mane sicut herba » transeat, mane floreat et transeat, vespere decidat, indu- » ret et arescat, quia defecimus in ira tua. » Olim quidem, ait, quando res nostræ exordium ducebant, et in matutino eramus, quasi herba fuimus : sed cum illa generatio præteriisset, herba transiit. Sub hæc autem floruimus, et amplius quid ac majus quam herbam nacti sumus, ita ut flos in nobis reperiretur : at hic quoque flos præteriit. Extremis vero temporibus, occidente prorsus nobis lumine, cum nos vespera occupasset, exci-

[1] Matth. xiv, 25. — [2] Matth. xxiv, 43.

dimus prorsus exsiccati et arefacti; idque perpessi sumus, « quia defecimus in ira tua, et in furore tuo turbati su- » mus. » Secundum aliam vero sententiam potest dicti hujus physica ratio adferri; quod scilicet humana natura in juventute instar herbæ teneræ pullulet : postea vero in ætatis vigore floreat; postremo autem in senectutis limine decidat, nec alio modo, quam quia primum præ senectute indurata fuerat, ac postea penitus exsiccata; et quod vespera significentur extrema vitæ humanæ.

« Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo : sæcu- » lum nostrum in illuminatione vultus tui. Quoniam » omnes dies nostri defecerunt, et in ira tua defecimus[1]. » Symmachus, « Apposuisti iniquitates nostras in cons- » pectu tuo, negligentias nostras ut appareant vultui » tuo. Omnes enim dies nostri aufugerunt, in ira tua » absumpti sumus[2]. » Hæc in præsenti conditione po- puli ex circumcisione dicere convenit. Nunc enim omnes eorum pristini dies vere defecerunt, cum vespera illos occupavit, et cum defecerunt in ira Dei. Quoniam olim quidem iniquitates eorum prætermittebat et prætergre- diebatur; sed post eorum in Servatorem conspirationem implebatur illud, « Non ultra feram peccata vestra; » ideo ait, « Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, » et sæculum nostrum in illuminatione vultus tui. » Pro quo clarius Symmachus edidit, « Negligentias nos- » tras ut apparerent vultui tuo. Anni nostri sicut aranea » meditabantur. Dies annorum nostrorum in ipsis sep- » tuaginta anni. Si autem in potentatibus octoginta anni, » et amplius eorum labor et dolor. » Hic opportune adjiciatur Hesaïæ prophetia, qua ait, « Ova aspidum » eruperunt, et telam araneæ texunt[3]. » Hæc porro vaticinatus est Propheta, sermonem ad populi post ad-

[1] Psal. LXXXIX, 8, 9. — [2] Ibid. 10. — [3] Isai. LIX, 5.

ventum Salvatoris nostri statum referens, quo principes eorum ceu gallina patiens, eam emittebant prolem, quæ ob immissum ab illis virus blasphemiæ in Christum, et ob reliquam circa illum incredulitatem, posset aspidum fœtui comparari. Olim quidem sacerdoti texebant vestes, et stolas sanctas; nunc autem totam eorum texturam, et totam apparatam illam verbi doctrinam, quamper divinarum Scripturarum complicationem et texturam producunt, araneæ telis confert propheticus sermo. Quapropter ait, « Telam araneæ texunt. » Præsens quoque psalmus ex eorum persona confessionem emittens, ait, « Anni » nostri sicut aranea meditabantur. » Aperte namque meditationes Scripturarum in quibus ætatem conterunt, et deuteroses, sive secundas traditiones eorum, quibus telas quasdam doctrinæ videntur adornare, araneæ opificio comparat. Imo etiam vitam suam, temporaneam solum esse dicunt, septuaginta vel octoginta annis circumscriptam. Id porro aiunt de æterna et futura vita, quæ religiosis viris promittitur, desperantes.

« Quoniam supervenit mansuetudo, et erudiemur. » Quis novit potestatem iræ tuæ, et præ timore tuo furo» rem tuum dinumerare? dexteram tuam sic notam fac, » et eruditos corde in sapientia[1]. » Pro illo, « Quoniam » supervenit mansuetudo, et erudiemur, » Symmachus ait, « Succisi enim, repente avolamus. » Superius memoratæ sententiæ hic sermo insistit. Nam ait, anni nostri hujus temporaneæ vitæ in septuaginta vel octoginta annorum numerum producuntur : et hæc nostra spes est, post quam nulla alia nos excipiet. Succisi enim repente in tempore obitus, avolamus : postea vero quid nos excepturum sit quis novit? Quis enim explicare potest, aut quis accurate nosse potest ac dicere, quæ sit ira illa,

[1] Psal. LXXXIX, 11, 12.

quæ post hanc vitam peccatores invasura est? Ideo ait, « Quis novit potestatem iræ tuæ, et præ timore tuo iram » tuam? » Quis dinumerare potest dexteram tuam? Sed tu Deus hic nobis dexteram tuam notam fac, ut possimus illam intelligere, et virtutes ejus dinumerare. Dexteram porro Dei, Christum ejus esse plerumque docuerunt sacræ Litteræ. Illi itaque jam memorati instituuntur, ut post confessionem conferri sibi precentur, primo Dei mansuetudinem, ut ab illa erudiantur; deinde dexteram ejus, scilicet cognitionem Christi ipsius, et mirabilium ejus virtutum, ut horum notitia meliores evadant, et ut mente eruditi, Dei sapientiæ consortes sint : Christus autem est Dei virtus et Dei Sapientia [1].

« Convertere Domine usquequo, et deprecabilis esto » super servos tuos. Repleti sumus mane misericordia » tua, et exultavimus et delectati sumus omnibus diebus » nostris. Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, » annis quibus vidimus mala. Et respice in servos tuos et » in opera tua, et dirige filios eorum : et sit splendor » Domini Dei nostri super nos, et opera manuum nostra» rum dirige super nos, et opus manuum nostrarum » dirige [2]. » Post confessionem in præcedentibus traditam, congruenter Moyses orandi modum tradit iis ex Israële, qui post Salvatoris nostri adventum lapsi sunt, ut post præmissa, hæc, quæ jam traduntur, precando dicant : quorum sententiam clarius interpretatus Symmachus est hoc pacto : « Convertere, Domine, usque» quo; deprecabilis esto super servos tuos. Satia nos » matutina misericordia tua, ut dormiamus et lætemur » omnibus diebus nostris. Lætifica nos omnibus diebus, » quibus nos afflixisti, annis in quibus vidimus mala. » Appareant apud servos tuos opera tua, et dignitas su-

[1] I Cor. I, 24. — [2] Psal. LXXXIX, 13, 14, 15, 16, 17.

» per filios nostros : et sit pulchritudo Domini Dei nostri » super nos, et opera manuum nostrarum firma fac super » nos, et actionem manuum nostrarum perfice. » His porro docet, ut matutinam misericordiam consequi postulent, ut ortu Salvatoris dignentur. Matutinam quippe misericordiam Christi eam dicit esse, quæ ad omnes homines oritur. Nam ut olim priori populo matutinum tempus fuit, quo in Ægypto degens inspectione donatus est; sic in novissimo dierum matutina misericordia omnibus gentibus effulsit per salutarem orientem, quam memorati illi homines postulare docentur in oratione; imo etiam inter alia dicere, « Et sit splendor Domini » Dei nostri super nos, et appareant apud servos tuos » opera tua, et dignitas tua, et pulchritudo Domini Dei » nostri[1];» ut et ipsi divina Salvatoris præsentia dignentur, necnon divina ejus gloria ac pulchritudine, de quo dictum est, « Speciosus forma præ filiis hominum, » ac insuper cæteris omnibus bonis quæ in Christo Dei intelligi possunt[1].

[1] Psal. LXXXIX, 3.

PSALMUS XC.

« Qui habitat in adjutorio Altissimi, in tegumento » Dei cœli commorabitur [1]. » Hic psalmus inscriptione caret. An forte neque psalmus est, sed prophetia quædam profundiores de Christo ac de iis, quæ in ipso consummata sunt, sermones complectens? Hæc porro quæ jam tractamus multam habent cum præcedenti psalmo discrepantiam. Nam ille quidem per Moysis orationem, extremam Judaïcæ gentis abjectionem vaticinabatur; hic vero certamina et tentationes ejus qui secundum Dominum consummatur, complectitur; imo etiam Salvatoris nostri in deserto tentationem prænuntiat, quando assumptus est a Spiritu in desertum, ut tentaretur a diabolo, prædicitque ejus in omnibus victoriam. Quid itaque ait propheticus sermo? Prior quidem populus, qui in præcedenti Moysis oratione plorabat, hæc confitebatur, « Quia defecimus in ira tua, » et cætera, quæ ibidem declarantur; populus vero qui post illum a Deo per Christum constituendus erat, adjutorio Altissimi confisus, in ipsoque semper habitans, perturbatione et commotione vacuus manet, utpote qui sub tegumento Dei sedes habeat : tentationumque nullam aversabitur, sed in singulis « dicet Domino, Susceptor meus es tu et » refugium meum, Deus meus, sperabo in eum [2]. » Pro illo autem, « Qui habitat in adjutorio Altissimi, » Symmachus, « Qui habitat sub tegumento Altissimi; » Aquila vero et Quinta editio, « Qui sedet in abscondito Altissi- » mi, » ediderunt. Quo significatur ejus, qui secundum

[1] Psal. xc, 1. — [2] Ibid. 2.

Deum in Christo concertat, firmitus et imperterritus animus, et quomodo in recessu animæ ejus habitet sedeatque adjutor ejus Altissimus. Rursumque, pro illo, « In tegumento Dei cœli commorabitur, » Aquila, « In » tegumento fortis commorabitur; » Symmachus autem, « Sub umbra fortis pernoctans, » interpretati sunt. Sed hæc quidem quasi in procemiis Spiritus sanctus locutus est : quæ sequuntur autem ad eum dirigit, totumque sermonem ad ejus personam refert, qui pro Christo concertat ac superat; sive etiam ad hominem qui in Salvatore esse intelligitur, quo ceu instrumento usum est Dei Verbum quod præexistebat. Etenim ille in adjutorio Altissimi habitans, sub tegumento inhabitantis in se Dei Verbi commorabatur, qui deitate sua ipsum inumbrabat; atque is in susceptorem, refugium et spem habebat ipsum Dei Verbi virtutem, qua replebatur. Quemadmodum autem Christi corpus humanum illius instrumentum erat; sic et populus ejus, Christi corpus, a S. Apostolo vocatur his verbis : « Vos autem estis corpus Christi, et » membra ex parte [1]. »

Merito igitur quæ hic quasi de corpore Christi dicuntur, etiam ad humanitatem Salvatoris nostri referantur, atque ad eum qui in ipso consummatus est. Quæ cum hac ratione dicta sint, deinceps enarratur, quanta a Deo conferenda sint in eum, qui habitat in adjutorio Altissimi, et sub tegumento Dei commoratur, ac dicit Domino, « Susceptor meus es, et refugium meum, Deus meus, » sperabo in eum[2]. » Quænam autem illi conferenda sint in sequentibus narrat : « Quoniam ipse liberabit me de » laqueo venantium, et a verbo turbulento. In scapulis » suis obumbrabit tibi, et sub pennis ejus sperabis. Scuto » circumdabit te veritas ejus, non timebis a timore noc-

[1] 1 Cor. XII, 27. [2] Psal. XC, 2.

» turno, a sagitta volante in die, a negotio perambu-
» lante in tenebris, a ruina et dæmonio meridiano.
» Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris
» tuis, ad te autem non appropinquabit. Veruntamen
» oculis tuis considerabis, et retributionem peccatorum
» videbis. Quoniam tu spes mea, Altissimum posuisti
» refugium tuum [1]. » Insultus plurimos in eum fore prænuntiat, qui in vaticinio enuntiatur. Hic vero perrarus erat et mirabilis, in abscondito Altissimi sedens, sub umbra fortis commorans et Domino dicens, « Susceptor
» meus es tu et refugium meum, Deus meus, et sperabo
» in eum; » sive secundum Aquilam, « Deus meus, con-
» fidam in illo; » aut secundum Symmachum, « Deus
» meus, et bonam fiduciam habebo in illo. » Adversus eum igitur, qui eo quo dictum est modo in Dei auxilio repositus erat, insidiæ quædam et conjurationes sexcentorum hostium insurrexerunt : quæ scilicet laquei venantium, sermones turbulenti, timor nocturnus, sagitta volans in die, negotium perambulans in tenebris, ruina dæmonii meridiani vocatæ sunt : ad hæc vero, millia et decem millia; ita ut millia, dexteram; decem vero millia, sinistram ejus occuparent. Nam hæc dextris partibus; utpote firmioribus et fortioribus, insidiabantur. Ait vero nullum horum eum qui in vaticino fertur attingere posse. Præterea dicitur eum incessurum esse non modo supra serpentes et scorpiones, nam hæc modica erant; sed super aspidem et basiliscum, et conculcaturum esse leonem et draconem : quæ sane inter feras et reptilia principem obtinent locum. Existimo autem his principes hujus sæculi significari, necnon invisibiles et primarias potestates. Veruntamen qui in prophetia fertur omnes simul conculcaturus esse dicitur. Nam « super aspidem, *inquit*, et

[1] Psal. xc, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9.

» basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et dra-
» conem. »

Quis igitur hic fuerit, cui talia competere possint; et quis populus quem decem millia inimicorum ad dexteram oppugnant, ad alterum vero latus millia, neque audent ad eum accedere, sed coram eo cadunt; age disquiramus. Dico autem aliquo modo posse hæc referri ad hominem in Christo consummatum; qualis erat Paulus, qui dicebat, « Scio hominem in Christo [1] : et ad omnes qui perinde atque ille dicere possint, « Quis nos separabit a » charitate Dei? tribulatio, an augustia, an persecutio, » an fames, an nuditas, an periculum, an gladius [2] ? » ac rursum, « Certus sum enim quia neque mors, neque » vita, neque instantia, neque futura, neque virtutes, » neque altitudo, neque profundum, neque creatura » alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in » Christo Jesu [3] : » ad hæc vero quisquis dicere potest, « Sed in his hominibus superamus [4], » dignus sane fuerit ut de ipso hæ voces proferantur. Talis quippe homo habitans in adjutorio Altissimi, et in tegumento Dei commorans, « dicet Domino, Susceptor meus es et refugium » meum, Deus, et sperabo in eum. » Hæc quippe ex perfecto et sincero affectu dicentem, vaticinatur divinus Spiritus tutum elegisse custodem, et pulchrum obtinuisse refugium, scilicet Dominum. Cum talem quippe adjutorem, propugnatorem, et protectorem nactus sit, nullum inimicorum pertimescet, quia ipsum Dominus ex omnibus eruit. Et enim ex laqueo venantium liberabit eum, et a verbo turbulento, scapulis suis obumbrabit ei : pariterque omnia quæ sub hæc recensentur, ad quemvis in Christo perfectum hominem referentur; itemque ad corpus Christi, videlicet ad Martyrum cho-

[1] 2 Cor. XI, 2. — [2] Rom. VIII, 35. — [3] Ibid. 38. — [4] Ibid.

rum ex perfectis animabus compositum ; sive ad perfectam Ecclesiam ipsius, quam ipse sibi adstare fecit, nulla macula aut labe aut quopiam simili affectam. Qui igitur Ecclesiam suam se supra petram fundaturum esse pollicitus est ; ita ut portæ inferi nunquam prævaleant adversus eam, illius ipse et custos et præsidiarius erit, ipsam circummuniens et vallans, ne portæ inferi prævaleant adversus eam. Quamobrem hujusmodi Ecclesiæ, et hujusmodi Christi Martyrum choro, qui habitaculum quidem nullatenus in terra habet, sed hæc fari potest, « Nostra autem conversatio in cœlis est, » dicetur, « Qui habitat in adjutorio Altissimi, in tegumento Dei » cœli commorabitur[1]. » Deinde dicet quidem ipse Domino, sub cujus tegumento habitare cooptavit, « Sus» ceptor meus es, et refugium meum, Deus meus, et » sperabo in eum. » Cum autem talem custodem nactus sit, et talem sibi servatorem et adjutorem adscripserit, dicet illi Spiritus divinus, optimam ipsum portionem adeptum esse, murum firmissimum, inexpugnabile scutum, scilicet Dominum suum. Hunc quippe nactus, in tuto et sine sollicitudine deget, utpote qui habitet in adjutorio Altissimi, et in tegumento fortis commoretur.

Si itaque illi, ait, humanarum animarum venatores, invisibiles scilicet et occultæ virtutes, pro more solito laqueos clam occultantes, te unquam aggrediantur, nihil proderit illis : quia ipse Dominus eruet te de laqueo venantium, « Laqueus contritus est, et nos liberati su» mus[2]. » Quod si eum sermonibus quoque turbare tentaverint, impietatis suæ virus lingua emittentes; his etiam illæsum hominem suum Dominus servabit. Ac ne humanæ vitæ æstus et ardor malitiæ magis magisque incensus, contra pietatis athletam mala succendat, hæc sermo ipsi

[1] Philip. III, 20. — [2] Psal. CXXIII, 7.

vaticinatur : « In scapulis suis obumbrabit tibi, et sub » pennis ejus sperabis. » Quod si inimicorum agmina ignita et lethifera mendacium, et cum vero pugnantium sermonum tela jaculentur adversus memoratum hominem, ille quidem quiescet, divinæ legi obtemperans quæ ait, « Dominus pro vobis pugnabit, et vos tacebitis : » opportune autem ipsi dicetur, « Scuto circumdabit te » veritas ejus. » Ipsa namque Christi doctrinæ veritas, virtutem magnam obtinens, eum circummuniet, in circuitu posita ac scuto tegens suo, ut ne accedente nocte, et tenebris offusis, reformidet ille, aut præ metu turbetur ; neque pariter in die immissa tela metuat. Per noctem autem et tenebras, calamitatis tempora significat, in quibus nihil reformidaturum ait eum, qui scuto veritatis circummunietur : per diem vero, tranquilla et pacata tempora indicat, in quibus inimici nostri sagittas eminus volantes, blasphema nempe et impia dicta, in nos immittere solent. Nam persecutionum tempore non eminus tela mittunt, sed cominus impetum facientes, nos universos devorare, utpote mortem expetentes nostram, conantur ; ut aliquando ille cum potuit devoravit. At nos scuto jam memorato protecti, dicemus, « Nisi » quia Dominus erat in nobis, cum exsurgerent homines » in nos, forte vivos deglutissent nos [1]. » Neque noctu igitur neque interdiu quid contra nos poterunt inimici nostri propter Dominum propugnatorem nostrum. Quare dictum est, « Non timebis a timore nocturno, a sagitta » volante in die, a negotio perambulante in tenebris ; » imo neque « a ruina et dæmonio meridiano » timebimus. Quod si millia et decem millia, sive invisibilium seu visibilium inimicorum et hostium, contra Christi populum et contra Ecclesiam ejus insurrexerint ; omnes

[1] Psal. CXXIII, 12.

sane una virtus ejus uno momento destruet, ut nos ipsis oculis vindictam perspiciamus. Ideo dicitur : « Verum» tamen oculis tuis considerabis, et retributionem pec» catorum videbis. » Nos autem sermonis veritatem ipsa exemplorum interpretatione percepimus, conspecto variis temporibus Ecclesiam Christi impugnantium fine, qui confestim, nec longo post tempore a Deo debellati sunt.

Hæc porro omnia, et cætera sub hæc memorata, ad hominem etiam qui in Christo est referentur, necnon ad omnes qui dicere valeant, « Omnia possum in eo qui me » confortat Christo Jesu[1]. » Hic porro fuerit Christi chorus, qui ex sanctis et perfectis Dei Martyribus constat, quique ad sanguinem usque pro veritate decertavit, et bravia victoriæ cum Deo partæ adversus inimicos retulit. Hæc item, quæ dicta sunt, Christi homini coaptabuntur : hoc enim declarat dictorum series. Nam cum ad quempiam dixisset, « Quoniam ipse liberabit de laqueo » venantium, et a verbo turbulento, « et, » In scapulis » suis obumbrabit tibi, et sub pennis ejus sperabis; » et cum eumdem alloquens subdidisset, « Scuto circumdabit te veritas ejus; « et illud, « Non timebis a timore nocturno; » itemque, eadem a latere tuo mille, et decem millia a dexteris tuis, ad te autem non appropinquabit; et adjecisset, « Verumtamen oculis tuis » considerabis, et retributionem peccatorum videbis; » cum omnia singulariter quasi de uno locutus esset, sic infert, « Quoniam tu es, Domine, spes mea, Altissimum » posuisti refugium tuum; » apertissime declarans Dominum esse ad quem hæc omnia dicebantur. Cum nulla enim in medio personæ mutatio facta sit, omnia una sententia, quasi uni dicta, concinnata sunt, ac his verbis clare significatur declaraturque quis ille sit, « Quoniam

[1] Philip. IV, 13.

» tu es, Domine, spes mea, Altissimum posuisti refu-» gium tuum. » Quia enim, inquit, tu Domine, in quem ego speravi, Altissimum, id est, supremum Deum, et Patrem tuum, refugium tuum posuisti, ideo non accedent at te, neque millia, neque decem millia, nec laquei venantium, neque aliud quidpiam ex memoratis : et quia tu, Domine spes mei es hæc dicentis, « Altissi-» mum posuisti refugium tuum ; » ideo initio sermonis de te dicebam, « Qui habitat in adjutorio Altissimi, » aut, « Qui habitat in abscondito Altissimi, » quia in arcanis et occultis te Altissimus sedis et throni consortem effecit, te sic alloquens : « Sede a dextris meis, donec » ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum [1].

Cum autem Altissimus, hic pro supremo omnium Deo intelligitur ; Dominus autem, pro Filio Dei, qui Altissimum posuit refugium suum ; jure Moyses ejusdem Spiritus numine afflatus in magno Cantico hæc docuit : « Quando dividebat Altissimus gentes, et disseminabat » filios Adam ; constituit terminos populorum, secun-» dum numerum Angelorum Dei. Et facta est portio Do-» mini populus ejus Jacob, funiculus hæreditatis ejus Is-» raël[2]. » His enim Moyses Deum ingenitum liquido Altissimum appellavit, qui gentes terræ Angelis suis distribuit; Dominum vero Filium Dei, qui Israëlem a Patre suscepit. Hic ergo ipse Dominus in adjutorio Altissimi habitare affirmabatur, et Altissimum posuisse refugium suum, videlicet Patrem suum. Quamobrem dictum est illi, « Quoniam tu es, Domine spes mea, Altissimum po-» suisti refugium tuum. » Quia vero Aquila et Symmachus modo ad Judaïcam sententiam proprius accedente interpretati sunt, doctrinam a nobis de Altissimo et de Domino traditam suspectam habentes ; Aquila enim edi-

[1] Psal. cix, 1. — [2] Deut. xxxii, 8.

dit « Quouiam tu, Domine, spes mea, Altissimum posui » habitaculum tuum; » Symmachus vero, « Tu enim, » Deus, fiducia mea, Altissimam posuisti habitationem » tuam; » observandum primo est, Quintam editionem Septuagina interpretibus accinere, nam et ipsa sic habet; « Quoniam tu, Domine, spes mea, altissimum po- » suisti refugium tuum; » secundo, Hebraïcam vocem, quæ « Elion » habet, Altissimum significare. In LVI enim psalmo sic expressum invenimus, « Clamabo ad Deum » altissimum[1]: » ubi pro illo, « altissimum, » Hebraïcum exemplar, « Elion circumfert, ut et in præsenti. Non oportet ergo violentia utentes veritatem evertere. Et alioquin si secundum Aquilam ipsi Domino dictum sit, « Quoniam tu es, Domine, spes mea, altissimum posui » habitaculum tuum; » aut secundum Symmachum, « Tu e- » nim, Deus, fiducia mea, Altissimam posuisti habitationem » tuam; » et sermo, ut Judæi opinantnr, ad Deum universorum referatur: cur deinceps additur, secundum Aquilam, « Non importabitur tibi malitia, et plaga non » appropinquabit tegumento tuo, quoniam Angelis suis » præcipiet ut custodiant te in omnibus viis tuis. In ma- » nibus tollent te, ne forte offendat in lapide pes tuus; » secundum Symmachum vero, post illud, « Tu, Do- » mine, fiducia mea, altissimam posuisti habitationem » tuam; » qua de causa subjicitur, « Non prævalebit » adversum te malum, neque plaga appropinquabit ta- » bernaculo tuo. Quoniam Angelis suis mandabit de te, » ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus ges- » tabunt te, ut ne impingas in lapidem pede tuo? » Hæc quippe de Deo universorum dicta putare, qui non omnium impiissimum fuerit? Quis enim Angelis suis mandet de Deo universorum, ut custodiant eum in omnibus viis

[1] Psal. LVI, 3.

ipsius? aut quomodo Deum, qui supra omnia est, manibus gestabunt, ut non offendat ad lapidem pes ejus? At vides non licere per sermonis seriem, hæc ad personam Dei, qui supra omnia est, referre : neque item superius dicta ab illo, «Quoniam ipse liberabit me de laqueo venan- » tium, a verbo turbulento. In scapulis suis obumbrabit ti- » bi, et sub pennis ejus sperabis, » et cætera quæ sequuntur.

Quod si quis hæc accipiat de Christo Dei, qui hic, ut etiam alibi, Dominus vocatur; is non aberraverit a vero : nam Apostolus quoque ait, « Unus Deus ex quo omnia : » et unus Dominus per quem omnia[2]; » ac rursum, « Unus Dominus, *inquit*, una fides, unum baptisma. » Unus Deus, qui est super omnia, et per omnia, et in » omnibus[1]. » Duo autem Domini aperte a Davide dicti sunt in illo, « Dixit Dominus Domino meo, Sede a dex- » tris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pe- » dum tuorum[2]; » imo etiam illud Moysis, « Pluit Do- » minus a Domino in Sodomam et Gomorrham sulphur » et ignem[3], » eidem sententiæ adstipuletur; quemadmodum etiam cum diceret, « Quando dividebat Altissimus » gentes, facta est pars Domini populus ejus Jacob[4] : » manifeste quippe hinc et Altissimum et Dominum nosse videtur; Altissimum quidem eum, qui distribuit et sortes dat Angelis suis; Dominum vero, qui cum Angelis præcellentem omnium gentium sortem accipit. Quia igitur Dominus, qui hic indicatur, forma servi accepta, in similitudinem hominum factus est, et habitu inventus ut homo, ac post baptismum in Jordane omnem passus tentationem est, quando ductus est a Spiritus in desertum ut tentaretur a diabolo, et in solitudine quadraginta diebus et quadraginta noctibus tentatus est, et erat

[1] 1 Cor. VIII, 6. — [2] Ephes. IV, 5. — [3] Psal. CIX, 1. — [4] Gen. XIX, 24. — [5] Deut. XXXII, 8.

cum feris, ut ait Evangelista[5]; jure hæc omnia Spiritus sanctus prænuntiare occupat, significans quanta diebus quadraginta tentatus, quanta totidem noctibus sustinuit. Cum enim ad Evangelium regni Dei prædicandum proditurus esset, antequam prædicationem iniret, et antequam beneficia hominibus impertiret, ad inimicas et adversarias generi humano virtutes adductus est; ut cum illas priores deballesset et destruxisset, sic ad eorum qui olim affligebantur redemptionem et libertatem curandam procederet. Oportebat enim primo illos qui apud omnes gentes pro diis reputabantur, hominumque animas captivas a cognitione Dei universorum et a pietate abripuerant, subigere, eorumque tyrannidem delere, deindeque omnibus hominibus Evangelium regni Dei tradere. Quapropter ante omnes alias ejus actiones, quæ in historia feruntur, ductus est in desertum, ut tentaretur a diabolo, eratque cum feris, ut ait Evangelista, feras nuncupans agrestes illas et ferinas malignas virtutes. Hæc igitur, ipsa præsens psalmus prophetico spiritu necessario prænuntiat. Par quippe erat nos ante edoctos ea, quæ ejus qui in prophetia enuntiatur adventum ad homines spectant, necnon quæ ad ejus carnalem generationem pertinent, ad mortem item ejus, et ad modum quo ex semine David proditurus prænuntiabatur, ediscere; ac consequenter etiam de certamine ejus, quod contra adversarias potestates suscepit, erudiri. Hæc igitur præsens prophetia declarat, prænuntians quanta in deserto sustinuit, diebus quadraginta totidemque noctibus tentatus a diabolo. Venatores quippe illum circumdabant, invisibiles nempe potestates, laqueos ipsi parantes. Et aliæ quidem verbis turbulentis conturbare ipsum tentabant: aliæ nocte perterrefacere. Aliæ item in die spiritu alia tela immittebant in eum; rursum aliæ, quæ nec nomi-

[5] Marc. I, 13.

nari nobis, nec dici mortalibus auribus possunt, tentationem in eum adornabant : quod his significatur, « A » negotio perambulante in tenebris.» Pro quo Aquila quidem interpretatus est, « A verbo id nocte illum peram» lante; » Symmachus vero, « Neque pestem in caligine » ambulantem. »

Ad hæc vero etiam impudentissimi dæmoniorum principes, qui in meridie, vigente solis luce, apparere ausi sunt, accesserunt ad eum. Nam cum alii proprias sibi tenebras sectentur, et sola nocte phantasias movere soleant; qui impudentissimi sunt, etiam in die apparere audent, et in mediis solaribus radiis. Tales erant qui Salvatorem adorti sunt; in die namque hujusmodi spiritus accedebant ad eum, in noctibus autem alii. Quare dicitur postea, « non timebis a timore nocturno, et a negotio » perambulante in tenebris. » Cum autem invictam et insuperabilem ejus virtutem cernerent, agmine simul instructo, multitudo adversariarum potestatum ipsum aggressa est. Videturque mihi illos olim qui apud homines dii existimabantur, itemque adversarios spiritus, stupendam quamdam naturam et virtutem sibi omnibus exitiosam in homine Salvatoris nostri videntes, una congregatos undique confertim accesisse, ut irrumperent in eum : Et primo quidem diabolum aliorum particularium spirituum opera ipsum tentasse : quare dictum est, « Et » erat cum feris[1].» Quibusnam feris? id aperit in sequentibus sermo præsens his verbis : « Super aspidem et basi» liscum ambulabis, et conculcabis leonem et draco» nem. » Etenim, ut verisimile est, tali specie talique forma suscepta, malignæ quædam virtutes, principatus et potestates, et rectores mundi tenebrarum harum, ac spiritualia nequitiæ, per aërem volantes; sive allegorico

[1] Marc. 1, 13.

more, aspides, basilisci, leones et dracones vocatæ; sive ob malitiæ similitudinem his comparatæ, omne tentationum genus in ipsum moverunt. In fine autem omnium, conspicatus diabolus eum super aspidem et basiliscum ambulare, omnesque ipsi subditas operationes conculcare : ipse Deum accessit humilis et formidolosus, ipsique interrogationes in Evangeliis descriptas proposuit, tentans eum ac dicens, Si Filius Dei es, hæc dicito, illa facito. Impetum itaque confertim a malignis spiritibus factum, eorumque cladem describit hæc prophetia : quæ illos una quidem coactos esse docet, neque tamen aliquid agere potuisse; sed cum appropinquarent ipsi, humi decidisse. Ideo dictum est, « Cadent a latere tuo mille, et » decem millia a dextris tuis. » Pro illo autem, « A la- » tere tuo, » Aquila et Symmachus, ex transverso tuo, ediderunt; sic sinistram Salvatoris nuncupante divina Scriptura, quia fortasse penes eum nihil lævum aut sinistrum est. Cæterum de omnibus simul adversariis potestatibus dictum est illud, « Ad te autem non appropin- » quabunt; » itemque illud, « Verumtamen oculis tuis » considerabis et retributionem peccatorum videbis. » Et hæc, inquit, omnia tibi accident; quoniam tu, Domine, spes mea, « Altissimum posuisti refugium tuum. »

Æstimo autem has invisibiles et adversarias potestates, quæ sub universo cœlo erant, adversus eum confertim congregatas fuisse, quod perturbarentur ex allata ipsi voce, quando in columbæ specie Spiritus sanctus descendit in illum, et audita vox est de super dicens : « Hic est » Filius meus dilectus, in quo mihi complacui[1]. » Hæc igitur audita voce, conspicatæ item a Spiritu sancto per columbam commonstratum fuisse hominem Filium Dei appellatum, neque voci non credere, neque, hominem

[1] Matth. III, 17.

carne indutum cernentes, hunc dilectum esse Dei persuasum haberc poterant. Quare stupendum quidpiam, et novam hominis naturam cernentes, suam operandi vim præstantiori virtute delendam esse expectabant. Idcirco illum adortæsunt, qui sese alacri animo omnibus tentationibus obtulit, quas pro salute hominum susceperat. Nam cum, ut dixi, prædicaturus esset « captivis dimis- » sionem, et cæcis visus restitutionem [1], » secundum prophetiam de ipso prolatam, atque futurum esset, ut animas hominum ab iis, qui ipsas olim in captivitatem abegerant, abduceret, liberaretque ab idolorum errore; necessario bellum primo gerebat in eos qui diuturno tempore tyrannidem obtinebant. Et quia ipsos per tentationum omnium tolerantiam oppugnabat, ideo Lucas ait, « Et cum consummasset omnem tentationem diabolus, » discessit ab eo [2]. » Deinde vero ad hominum curationem et medelam accedebat: quare fremebant in eum dæmones, confitebanturque se nosse quis esset, clamantes et dicentes, « Sine, quid nobis et tibi Fili Dei? Novimus » te quis sis sanctus Dei [3]. » Ab illata enim illi voce didicerant quisnam esset; imo etiam ex iis quæ tentationis tempore gesserat, ejus virtutem noverant.

« Non accedent ad te mala, et flagellum non appropin- » quabit tabernaculo tuo. Quoniam Angelis suis man- » dabit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In » manibus portabunt te, ne unquam offendas ad lapi- » dem pedem tuum [4]. » Hæc de viro secundum Christum consummato, de choro Martyrum Christi, vel de sancta ejus Ecclesia; imo vero de ipso Christi corpore opportune dici possunt. Nam si « castrametatur Angelus Do- » mini in circuitu timentium eum, et eripiet eos » qui formidinem superarunt, et in bono virtutis, quæ secun-

[1] Isai. LXI, 1. — [1] Luc. IV, 13. — [2] Marc. I, 24. — [3] Psal. XC, 10, 11, 12. — [4] Psal. XXXII, 8.

dum animam est, affectu versantur, qualis est « qui se-» sedet in adjutorio Altissimi, et sub umbra fortis com-» moratur; » iis sane qui sic affecti sunt, non Angelus unus, sed castra plurima in custodiam tradita sunt, et tanto plurima, quanto plures sunt qui viro secundum Deum perfecto insidiantur. Sic itaque Elisæum Prophetam muniebant satellitum Angelorum turmæ. Quamobrem nocumenti nihil passurus esse dicitur qui in psalmo prænuntiatur; neque flagellum corpori tabernaculi ejus incutiendum prædicitur. Per flagellum vero, non vulgare illud intelligimus; nam eo cæsi sunt innumerabiles sancti Dei Martyres, atque ipsum corporeum Servatoris nostri tabernaculum et caro ejus tempore passionis flagellis lancinata est, secundum prophetiam quæ de ipso talia fatur, « Dorsum meum dedi ad flagella, et genas meas ad » alapas[1]: » sed flagellum hic plagam dæmonica vi inflictam significare putandum est, qualia ipse Servator impurorum dæmonum hominibus incussa flagella curasse narratur. Hujusmodi flagellum dicitur non appropinquaturum esse tabernaculo ejus, qui in vaticinio fertur; quia ab Angelis ad custodiam ejus deputatis servabitur, qui etiam eum in manibus sublimem assumpturi esse dicuntur, ut ne pes ejus ad lapidem offendat. Tabernaculum porro ejus aliqua ratione dicas esse Ecclesiam ipsius, secundum illud, « Donec » inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob[2]; » sic et illas per orbem Ecclesias plurima tabernacula esse novit qui dixit, « Quam dilecta tabernacula tua, Do-» mine virtutum[3]! Alio autem modo, corporeum illud instrumentum, in quo habitavit Dei Verbum, dixeris tabernaculum ejus esse.

Et quidem præcipua et majora gesta illius, qui in prophetia enuntiantur, opera præstantioris cujuspiam ede-

[1] Isai. L, 11. — [2] Psal. CXXXI, 5. — [3] Psal. LXXXIII, 2.

bantur; nam is qui secundum carnem ex semine Davidis esse a nobis intelligitur, cum sederet in adjutorio Altissimi, et cum Altissimum posuisset refugium suum, jure ab Altissimo servabatur. Quamobrem dicebat illi, « Susceptor meus es tu et refugium meum, Deus meus, et sperabo in eum. » Ipse namque eruebat eum de laqueo venantium, et in scapulis suis obumbrabat illi; quin etiam circumdabat illum veritatis scuto obtegens. Et hæc illi omnia Altissimus præstabat, ut ne turbaretur a timore nocturno, vel a sagitta volante in die, aut a negotio perambulante in tenebris, aut a ruina et dæmonio meridiano. Ad hæc vero Altissimus auxiliatus ei de quo agitur omnes inimicorum et hostium ejus virtutes de medio tollebat et pedibus ejus subjiciebat. Quare dictum est, « Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis, ad te autem non appropinquabit. » Magna itaque, ut dixi, et perfecta opera Altissimus ipse, memorato viro opitulans, edebat; minora autem, ut quis dixerit, et leviora corporeaque, Angelis procuranda demandabat. Hæc porro erant quæ ad tabernaculum, sive ad corporeum instrumentum atque ad ipsam carnem pertinebant; et hæc, utpote quæ modica, atque superius memoratis collata, vilia essent, ministris Angelis ad custodiam concredebantur, ne quid nocumenti corpori ejus inferretur, neve flagellum quodpiam, non ipsi, sed tabernaculo ejus incuteretur : nam ipsi neque millia, neque decem millia malignarum virtutum appropinquare audebant. Carni vero et corpori ejus, qui in prophetia fertur, Angeli ministrabant vel in minimis et vilissimis : quod sane his declaratur, « Ne offendas ad lapidem pedem tuum. » His quippe indicari arbitror, vel in minimis et parvi momenti rebus quæ corpori accidere solebant, Angelos ipsi ministrasse.

[1] Marc. I, 13.

In Evangeliis porro hoc de Salvatore testimonium deprehendas; Marcus enim scripsit tempore tentationis Salvatorem cum feris fuisse, et Angelos ei ministrasse [1]; Matthæus vero idipsum tempus significans ait : « Tunc » dimittit eum diabolus, et ecce Angeli accesserunt et » ministrabant ei [2]. » Sane quod Angeli ipsi ministraverint, Evangelistæ declarant; quod autem ministerii genus ipsi præstiterint, non memorarunt illi : sed id præsens prophetia docuit, videlicet circa corporea et minima eorum ministerium fuisse. Nam ejus tabernaculum custodiebant, ne flagellum ipsi appropinquaret; ejus autem pedes tutabantur, ut ne vel in minimo ac levissimo offenderent.

Et hæc quidem secundum nudam lectionem : at intelligendi more tabernaculum Servatoris nostri Ecclesiam ejus esse commonstratum est; corpus vero ejus, populus ejus est, secundum Apostolum, qui ait, «Vos autem destis » corpus Christi, et membra ex parte [3]. » Ex membris autem alii fuerint corporis Christi oculi, alii aures, alii manus; hac porro ratione alii pedes ejus erunt, de quibus dictum est, « Quam speciosi pedes evangelizantium » bona ! » Ne quis vero horumce pedum ad lapidem offenderet, neque in cursu impingeret, sed plana via et sine obice iter Evangelicum permearet, Angeli tutores ac custodes præfati tabernaculi constituti sunt. Rursum vero extant alii Angeli, quibus Ecclesiæ Christi ubique terrarum fundatæ, concreditæ sunt. Quod cum non intelligeret diabolus : quomodo enim aut unde divini Spiritus voces intelligere possit? cum Salvatorem tentaret, ipsum ad pinnaculum templi ductum sic alloquebatur : « Si filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim, » quia Angelis suis mandabit de te, et in manibus tollent

[1] Matth. IV, 11. — [2] I Cor. XII, 27. — [3] Ibid. LII, 7.

» te, ne unquam offendas ad lapidem pedem tuum [1]. » Nam cum ex ipsis operibus perspiceret, prophetiam his verbis traditam in Salvatore impleri, ac stupendum in hominis natura spectaculum cerneret; ita ut omnis exercitus suus de medio sublatus, omnesque virtutes suæ ab eo qui apparuerat superatæ, millia vero et decem millia in conspectu illius lapsa essent; ille autem sine formidine et obice super aspidem et basiliscum ambularet, leonem et draconem, principes ejus virtutes, conculcaret; hoc item experiri volebat, num ipsum ex pinnaculo se projicientem, accedentes Angeli gestaturi essent. Hujusmodi itaque falsæ suspicioni ita respondit Servator : « Scrip- » tum est, Non tentabis Dominum Deum tuum [2]. » Nam e sublimi sese præcipitare ac dejicere, idque animo experiundi an Angelorum auxilium adfuturum esset, necne; hoc sane tentare Deum fuisset : quod experiri tentator optabat. Nam ipsi Salvatorem tentanti, proprium erat vel ipsum Deum tentare audere. At Servator tentare noluit : gnarus quippe erat ac persuasum habebat Patris virtutem sibi opitulari. Quare imperantis more diabolo dixit : « Non tentabis Dominum Deum tuum, » divinæ Scripturæ dictum ex lege sumptum hujus Scripturæ voci opponens, quam non intelligens diabolus ipsi proferebat, ignorans Servatorem Angelorum ope non egere, etiamsi proprio nutu voluisset sese deorsum projicere. Quandoquidem in sua ad cœlos ascensione, (quod sane majus erat, quam ille a pinnaculo templi ad terram per aërem transitus), non Angelica manu opus habuit. Animadverte porro, quo pacto diabolus his commemoratis, « In » manibus tollent te, ne unquam offendas ad lapidem » pedem tuum; » quod sequebatur non addiderit, videlicet illud, « Super aspidem et basiliscum ambulabis, et

[1] Matth. IV, 6. — [2] Matth. IV, 7.

» conculcabis leonem et draconem, » quod Salvatoris de diabolo et angelis ejus reportatam victoriam manifeste declarabat. Nolebat enim sui confutationem adjicere, alioquin ratiocinio colligendum et comprobandum ipsi erat, eumdem ipsum qui super tales principes virtutes ambularet, ipsasque conculcaret, non posse non offendere ad lapidem pede suo; ita ut ad hoc Angelorum tutela et auxilio egeret. Verum hæc non capiens ille hujus prophetiæ voce est usus, quod cætera in illo impleta esse cerneret. Servator autem non negat de se prolatum oraculum fuisse; sed diabolum qui ejus sensum non caperet, congruenti usus responsione, rejicit. Quomodo autem nos gratia Salvatoris nostri singula propriis in locis commentati simus, legentibus explorare supra licebit.

« Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem. Quoniam in me speravit, » et liberabo eum; protegam eum, quoniam cognovit » nomen meum. Clamabit ad me, et exaudiam eum, » cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum et glorificabo eum. Longitudine dierum replebo eum, et ostendam illi salutare meum[1]. » Quæ ad tabernaculum spectabant Angelis committebat, ut supra diximus, explicantes quo pacto Angeli tueantur et custodiant virum in Christo perfectum, seu etiam Ecclesiam ejus; aut carnem ejus, qua instrumenti instar pro hominum salute usus est. Hæc quippe, utpote minora vilioraque, Angelis commissa sunt; eadem, arbitror, ratione, qua quispiam famulis calceorum aut vilium perinde rerum curam et ministerium tradit; sic quæcumque modica et corporea per Salvatoris nostri carnem efficiebantur, ea Angelorum curæ committebantur, qui ministrabant ipsi : de quibus Angelis hæc testificatur Evangelii Scriptura dicens,

[1] Psal. xc, 13, 14, 15, 16.

« Accesserunt Angeli, et ministrabant ei [1]. » Præstabiliora autem, majora et altiora, non Angelis, sed ipsi Salvatori adscribit. Quænam illa sint, superius commonstratum est; inter hæc autem illud erat, « Cadent a latere tuo » mille, et decem millia a dextris tuis. » In fine vero omnium Salvatoris nostri victoria de omnibus reportata postrema recensetur his verbis, « Super aspidem et basi- » liscum ambulabis, et conculcabis leonem et draco- » nem. » His porro significari æstimo principatus, potestates, mundi rectores et spiritualia nequitiæ. Super hæc autem ambulare, et tot feras divinis virtutis suæ gressibus conculcare dicitur ipse Servator. Quod vero in nullo offendat, nec quidpiam corporeis ejus operationibus impedimento sit, id Angelorum ministerio concreditum est. Sed quemadmodum de corporeo ejus tabernaculo dicebatur, « Flagellum non appropinquabit taber- » naculo tuo, » et ejus rei causa hæc adjiciebatur, « Quo- » niam Angelis suis mandabit de te; » ita et nunc post illud, « Super aspidem et basiliscum ambulabis, et con- » culcabis leonem et draconem, » causa rursum additur, quæ rem non ad Angelos referat, sed ad ipsum Altissimum, ex cujus persona dicitur, « Quoniam in me spe- » ravit, liberabo eum. » Quomodo in ipso speraverit, jam Scriptura edocere occupavit his verbis, « Qui habi- » tat in adjutorio Altissimi, » et, « Dicet Domino, Sus- » ceptor meus es tu et refugium meum, Deus meus, et spe- » rabo in eum. » Triumphalis itaque et postrema actio, quæ post alia memorata Salvatoris, aut viri in eo consummati, aut ejus perfecti corporis, sive Ecclesiæ, gesta significata in illo, « Super aspidem et basiliscum ambu- » labis, et conculcabis leonem et draconem; » tota, cum victoriæ causa, Altissimo adscribitur. Quamobrem dici-

[1] Matth. IV, 11.

tur, « Quoniam in me speravit, et liberabo eum, quo» niam cognovit nomen meum. Cum ipso sum in tribu» latione, eripiam eum et glorificabo eum. » Alio item sensu prophetia videtur mihi vaticinari omnem humanæ Salvatoris nostri vitæ modum; dico autem primam tentationem; illam item, quam in passione sustinuit; ac etiam eam, quam post solutionem corporis fecit contra adversarias potestates irruptionem. Et hæc quidem prima et præcipua in psalmo sunt : vulgariori autem more dicatur hæc prophetia tentationem in deserto significare, qua tentatus esse a diabolo narratur in Evangelio; secunda vero, quibus Angelos ejus corpori ministrasse declaratur, ejus in humana vita conversationem indicant; tertia autem, quibus dicitur, eum super aspidem et basiliscum ambulasse, conculcasse leonem et draconem, ipsum post mortem de principibus spiritibus victoriam reportasse narrant : post quæ omnia adjicitur, « Eripiam eum » et glorificabo eum. Longitudine dierum replebo eum, » et ostendam illi salutare meum. » Quibus declarat ejus post obitum resurrectionem ex mortuis et salutem, longævam et immortalem vitam, divinam gloriam, et honorem regnumque apud Patrem susceptum.

PSALMUS XCI.

Psalmus cantici, in die Sabbati[1].

« Bonum est confiteri Domino, et psallere nomini tuo, » Altissime, ad annuntiandum mane misericordiam » tuam, et veritatem tuam per noctem, in decachordo » psalterio cum cantico in cithara[2]. » Qui ante Moysem erant justi ac religiosi viri, dies Sabbatorum non norant nec custodiebant. Nec enim Abraham, neque Isaac, neque Jacob, neque ejus filii, neque etiam qui iis antiquiores erant, diem Sabbati novisse videntur. Quia igitur qui ex circumcisione sunt, quasi magni quidpiam præstent, se Sabbata servare putant, quæ tamen secundum legis mentem non custodiunt, psalmi dicta ipsis sunt exponenda. Et quia Sabbatum requiem significat; nam scriptum est, « Et requievit Deus die septimo ab omnibus ope- » ribus suis quæ fecerat, et sanctificavit illum[3]; » dicas sane Dei requiem considerandam, verumque Sabbatum pro dignitate Dei accipiendum esse. At enim declarat ille, impios homines non ingressuros esse in requiem ipsius, in psalmis talia fatus : « Semper errant corde. Ipsi » vero non cognoverunt vias meas, sicut juravi in ira » mea, si introibunt in requiem meam[4]. » Necesse igitur est Sabbata Dei secundum mentem accipere, et Deo congruentem requiem cogitare, qua impii non donantur, sed soli justi ac Dei amici. Ita enim dixerimus Abraham, Isaac, Jacob et omnes quotquot ante et post illos Dei cultores fuere, intelligendi more solum novisse ac custo-

[1] Psal. xci, 1. — [2] Ibid. 2, 3. — [3] Gen. ii, 2. — [4] Psal. xciv, 10.

disse Sabbata Dei, et ingressos esse in requiem ejus. Quid igitur significet Sabbatum, perpendere necessarium est. Sabbatum esse requiem Dei Scriptura declarat, quam post sensibilium creationem inducit. Dei vero requies quæ alia fuerit, nisi conversatio in intelligibilibus et cœlestibus. Nam cum sensibilibus prospicit, et circa opera providentiæ mundi versatur, tunc dicitur operari; atque sic intelligendum hoc Salvatoris nostri dictum, « Pater » meus usque modo operatur, et ego operor [1] : » cum autem circa opera incorporea et cœlestia, et, ut quis dixerit, circa eam quæ ibi geritur rerum considerationem versatur, tunc requiem habere, et Sabbatum suum agere intelligitur. Eadem ratione igitur viri quoque Dei, quando operibus animam defatigantibus (talia vero sunt omnia corporea, et terrenæ carnis amica), liberati, Deo prorsus vacant, ac divinorum spiritualiumque contemplationi dediti sunt, tunc accepta Deo Sabbata, et requiem Domino Deo agunt. De his vero Sabbatis hoc ait, Num relinquitur Sabbatismus populo Dei[2] ? » et rursum, « Festinemus igitur ingredi in illam requiem [3]. » Nam perfectum Sabbatum et perfecta beatissimaque requies in regno Dei, supra sex dierum opificium, existit, et extra omnia sensibilia in incorporeis et cœlestibus versatur, unde aufugit dolor, tristitia et gemitus; ubi a mortali et corruptioni obnoxia vita erepti, atque otium Deo gratum ac beatum agentes, et a corporeis actionibus atque a servitute carnis liberati, cum ipso Deo et apud ipsum versantes, Sabbatum et requiem agemus. Quamobrem ait Apostolus : « Festinemus igitur ingredi in illam » requiem. » Imaginem porro illius Sabbati ac perfectæ beatissimæque requiei in terra gestantes viri Dei, ferias agebant et cessationem ab iis, quæ a Deo procul amo-

[1] Joan. v, 17. — [2] Hebr. iv, 9. — [3] Ibid. 11.

vent; toti autem divinorum contemplationi dediti, die nocteque in sacrorum sermonum meditatione perseverantes, sancta Sabbata et Deo acceptam requiem agebant; ac tunc vere Sabbatum celebrabant. Quare opportune Moysis lex, jam dictorum umbras et symbola tradens, multitudini diem quamdam assignavit, ut saltem in ea a consuetis operibus abstinerent, divinæ autem legis meditationi vacarent. Præsens certe psalmus diserte docet ea de causa Sabbati otium agi debere, et inutilem cessationem depellendam esse, ut in unum congregati ea quæ psalmus indicat peragantur. Eorum autem primum est, confiteri Domino; secundum, cum musicis instrumentis psallere nomini ejus; tertium, matutinis horis annuntiare misericordiam ejus; quartum, nocturnis temporibus enarrare veritatem ejus : et hæc non modo labiis et voce, sed etiam per musicorum instrumentorum pulsationem agere : nam ait, « In decachordo psalterio, cum » cantico in cithara[1]. »

Vides igitur ad quæ in die resurrectionis agenda hortetur hic psalmus. Inscriptus enim psalmus est, « in diem » Sabbati. » Sed et sacerdotes in templo die Sabbati alia plurima secundum legem agebant. Non ergo præcipit ut omnino vacetur. Neque vero sacerdotibus dies Sabbati præscribebatur; sed solum iis qui nec toto vitæ suæ tempore, nec singulis diebus suis possent Dei cultui et Deo acceptis operibus vacare : nam iis, ut intermisso dierum spatio id agerent, lege statutum erat. Eos porro qui crapulæ, ebrietati, aliisque omnibus indecoris gestis die Sabbati se dedunt, Deus per Prophetam sic aspere alloquitur : « Qui contingunt falsa Sabbata[2]; » ac rursum, « Neomenias vestras, et Sabbata et diem magnam non » fero[3]. » Quare Verbum, ipsis repugnantibus, per no-


[1] Psal. xci, 4. — [2] Amos. vi, 3 ; Isai. i, 3.

vum Testamentum Sabbati festum in lucis ortum transtulit, nobisque veræ requiei imaginem tradidit, salutarem nempe Dominicam, et primam lucis diem, qua Salvator mundi post omnia sua in hominibus edita opera, victoria de morte reportata, cœlestes portas transgressus, sex dierum opificium transcendit : tuncque Deo condecens Sabbatum et beatissimam requiem accepit dicente Patre, « Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos » scabellum pedum tuorum [1], » Ea die, quæ veræ lucis et veri solis dies est, nos ipsi congregati, sex diebus interpositis, sancta et spiritualia Sabbata celebrantes, quotquot ex gentibus in orbe toto per eum liberati sumus, quæ sacerdotes in die Sabbati agere in lege statutum erat, ea nos secundum legem spiritualem perficimus. Nam sacrificia et oblationes spirituales, quæ hostiæ laudis et hostiæ jubilationis vocantur, persolvimus : incensum boni odoris emittimus, de quo dictum est, « Fiat oratio mea » sicut incensum in conspectu tuo [2]. » Imo etiam panes propositionis offerimus, salutarem memoriam refricantes ; aspersionem item sanguinis agni Dei, qui tollit peccatum mundi, piaculum animarum nostrarum, facimus : lumina quoque cognitionis vultus Dei accendimus. Verum etiam ea, quæ in psalmo præsenti recensentur, illa die perficere satagimus, et opere et verbis confitentes Domino, et psallentes nomini Altissimi : mane quoque ad orientem lucis nostræ misericordiam a Deo nobis præstitam annuntiamus, et veritatem ejus in noctibus per sobriam et castam conversationem exhibemus ; in summa quotquot alia in Sabbato peragere sancitum erat, ea nos in Dominicam transtulimus, utpote quæ magis idonea et propria, ac prima item sit et agmen ducat, et Judaïco Sabbato pretiosior. Nam illa die in mundi opi-

1 Psal. CIX, 1. — 2 Psal. CXL, 2.

ficio cum dixisset Deus, « Fiat lux, » facta est lux : in illa quoque animabus nostris ortus est sol justitiæ. Quare ut ea die conveniamus traditum nobis est; et ea quæ in psalmo jubentur nobis exsequi præceptum est, quorum primum est, confiteri : nam principium bonorum est pristinorum malorum depositio per veram pœnitentiam et confessionem, quæ ad bonum finem, scilicet ad Deum ipsum deducit. Etenim si nemo bonus nisi Deus, optimæ viæ ad Deum ducentis principium, confessio fuerit. Ideo dictum est, « Bonum est confiteri Domino. » Par quippe est non hominibus confessionem edere, sed ipsi Domino corda scrutanti. Quia vero confessio pro gratiarum actione item accipitur, ut jam sæpius diximus, jure Dominica die gratiarum actiones Domino reddimus, ubique terrarum in Ecclesiis ejus congregati. Cum autem per confessionem progressum et augmentum acceperimus, tum jubemur psallere ad meliorem animæ statum provecti : aucti vero ac meliores effecti, hæc aliis annuntiare, ac eos qui ad nos proxime accedunt misericordias Dei edocere præcipimur : atque id agere matutinis horis, quasi primitias diurnarum actionum doctrinæ de Dei misericordia dicantes.

Hæc porro jubet Scriptura peragere primo diluculo, postquam animas et corpora nostra nocturno tempore sancta et a sordibus quibusque pura servaverimus, pietatisque veritatem, repetita nocturnis horis cultus Dei memoria susceperimus. Olim quidem cum populi ex circumcisione per symbola et figuras Deum colerent, non incongruum erat per psalteria et citharas hymnos Deo emittere, idque die Sabbati præstare, otium nempe solventes, et in hoc legem Sabbati transgredientes, nos vero Judæum in abscondito servantes secundum illud Apostoli dictum, « Non enim qui in manifesto, Judæus est, ne-



» que quæ in manifesto, in carne, est circumcisio; sed » qui in abscondito, Judæus est, et circumcisio cordis in » spiritu, non littera[1]; » viventi psalterio et cithara animata, spiritualibusque canticis hymnum effundimus. Omni quippe instrumento musico acceptior et suavior Deo fuerit Christi populorum concentus, quo in omnibus Dei Ecclesiis una mente, uno affectu, pari consensu et una sententia fidei et pietatis, una voce, melos in psalmodiis emittimus. Hujusmodi igitur psalmodiis et citharis spiritualibus uti consuevimus : quia id docet Apostolus his verbis, « Psalmis et canticis et hymnis spiritualibus[2]. » Alia item ratione cithara fuerit totum corpus, cujus motibus et operibus anima condecentem hymnum Deo emittit. Psalterium autem decem chordarum, Spiritus sancti cultus est, per quinque corporis sensus, et per totidem animæ virtutes exhibitus : quæ his declarat idem Apostolus, « Orabo spiritu, orabo autem et mente; psallam » spiritu, psallam et mente[3]. » Quasi scilicet mens etiam motus suos habeat, quibus pulsat corpus; et spiritus item proprios obtineat motus, quibus animam movet.

« Quia delectasti me, Domine, in factura tua, et in » operibus manuum tuarum exultabo[4]. » Qui diem a Domino factam intellexit, de qua dictum est, « Hæc » dies, quam fecit Dominus, exultemus et lætemur in » ea[5], » hoc dicet, « Quia delectasti me, Domine, in » factura tua. » Sed quoniam de die Sabbati hic psalmus inscriptus est, quæras cur in die Sabbati se delectatum esse dicat, non de Dei requie, neque de ejus cessatione, ut Judæi opinentur, quia in ipso cessavit ab omnibus operibus suis, quæ fecit. Et vero si ea quæ in psalmo feruntur Judaïcum Sabbatum respicerent, oporteret di-

[1] Rom. II. 28. — [2] Ephes. V, 19. — [3] I Cor. XIV, 15. — [4] Psal. XCI, 5. — [5] Psal. CXVII, 24.



xisse illum, se de otio Dei, atque, ut ita dicam, de cessatione ab operibus delectatum esse : at non ita loquitur, sed ait, « Delectasti me, Domine, in factura tua, » et in operibus manuum tuarum exultabo, » aperte declarans seorsim facturam, ac seorsim opera manuum Dei indicari, in quibus se delectatum esse confitetur, sed non in cessatione. Factura autem aliquo modo fuerit ipsa dies, de qua dictum est, « Hæc dies, quam fecit » Dominus, exultemus et lætemur in ea[1]. » Significat vero Resurrectionis diem Dominicam, ut aliis in locis aperte comprobavimus, dum quæ ad mundi creationem spectant explicaremus : de qua dixit Moyses, « In prin» cipio fecit Deus cœlum et terram[2]; » ac subjicit, « Fiat lux, et facta est lux : et appellavit Deus lucem, » diem[3]. » Vides enim nullum aliud opificium ea die effici, nisi solam diem, ita ut illi hoc dictum probe conveniat, « Hæc dies, quam fecit Dominus. » Nihil quippe aliud præter ipsam diem condidit, quæ erat prima Dominica, de qua nunc dicitur, « Quia delectasti me, » Domine, in factura tua : » opera autem manuum ejus ea sunt, quæ sequentibus diebus facta scribuntur. Alio item modo factura dicantur intellectu prædita, rationabilia et incorporea Dei opificia, qua ratione anima ad imaginem Dei facta esse scripto traditur; opera vero manuum ejus, sensibilia et corporea ejus opera, de quibus dictum est, « Quoniam videbo cœlos, opera digito» rum tuorum, lunam et stellas, quæ tu fundasti[4]. » Docet igitur hæc Scriptura, in otio divinarum exercitationum, inque cessatione a corporeis et mortalibus operibus, quam Sabbatum et requiem Scriptura vocat, eos qui contemplationi spiritualium simul et sensibilium Dei operum vacant, dicere, « Quia delectasti me, Domine,

[1] Psal. CXVII, 24. — [2] Gen. I, 1. — [3] Gen. I, 2. — [4] Psal. VIII, 4.

» in factura tua, et in operibus manuum tuarum exul-
» tabo : nam ex magnitudine et pulchritudine creatura-
» rum, proportione quadam opifex earum conspicitur : »
ac spiritualia, incorporea et cœlestia, necnon visibilia ejus, a creatione mundi operibus intellecta conspiciuntur, secundum sanctum Apostolum.

« Quam magnificata sunt opera tua, Domine, nimis
» profundæ factæ sunt cogitationes tuæ. Vir insipiens
» non cognoscet, et stultus non intelliget hæc [1]. » Me, inquit, delectasti, Domine, in factura tua, et in operibus manuum tuarum; sed non quivis homo pari atque ego modo affectus est. Multi namque insipientes et imprudentes sunt, qui nec norunt nec intelligunt ea, in quibus me delectari et exultare confiteor. Quamobrem qui vere insipiens et stultus est, Dei providentia et verbo universum constitisse negat; sed fato et necessitati, insanoque cuidam cursui ac fortunæ tanta Dei opificia adscribit. Verum etiam, ut insanus, in universi administratione ruit et labitur opinione, quod ipsi videatur multum inesse in mortali vita inæqualitatis. Insipiens igitur ille et insanus rem ægre ferens, statim ad blasphemum et impium ratiocinium vertitur, horum causam dictitans esse, quod nullus sit Deus, nulla providentia, sed omnia temere et casu ferantur. Ego vero etiam in illis obscuris occultisque rebus, pia imbutus sententia, persuasum habeo judicii et administrationis tuæ rationem, parvitatem meam longe superare. Quamobrem dico,
« Quam magnificata sunt opera tua Domine! admodum
» excelsæ factæ sunt cogitationes tuæ. » Et qui possint mortalia ratiocinia, profunda Dei explorare, et cogitationes ejus queis humana administrat cognoscere? Quemadmodum enim nullus hominum novit quæ sunt ho-

[1] Psal. xci, 6, 7.

minis, nisi Spiritus qui in ipso est; sic quæ Dei sunt nullus novit, nisi Spiritus Dei, neque dicere potest, nos autem non spiritum mundi accepimus, sed Spiritum Dei, de quo dictum est : « Nam Spiritus omnia scrutatur, » etiam profunda Dei[1]; » quæ cum probe norim, nullatenus de hominum inæqualitate perturbor; imo vero gaudeo et lætor, providentiæ rationem non ab humanis casibus, sed ab operibus manuum Dei et ab opificiis ejus mente concipiens. Gaudeo item et admodum lætor, iis donatus bonis, quibus insipiens quilibet et stultus privatur, nec valet ab operibus Dei, illius providentiæ in omnia rationes ediscere.

« Cum exorti fuerint peccatores sicut fœnum, et ap» paruerint omnes qui operantur iniquitatem; ut inte» reant in sæculum sæculi[2]. » Insipiens quidem ac stultus ille, cum videt impios homines prospere agere, justos autem et pios homines malis opprimi, providentiæ rationem non intelligit; sed statim ad impia raciocinia vertitur, ita lapsus ut nullum esse Deum putet. Ego vero opificium tuum, et opera manuum tuarum considerans, in his deprehendi finem impiorum, qui in hac vita prospere agunt, esse interitum ac perniciem : quare multo magis divini judicii rationem admiror. Nam sicut fœnum et flores terræ ad breve tempus speciosa videntur oculosque ac sensum demulcent, sed mox mutantur ac vertuntur; facillimeque marcescunt et pereunt; eodem modo peccatores, qui penes multos in admiratione habentur, quum primum exorti fuerunt, brevi floruerunt, ac conspecti sunt, statimque apparuit quales fuerint, et quod institutum vitæ tenuerint. Nec diu postea ipsos pernicies invasit, non jam brevis et temporanea, sed perpetuum exitium. Quia enim justum judicium tuum rebus immi-

[1] 1 Cor. II, 10. — [2] Psal. XCI, 8.

net humanis, ideo æstimo peccatoribus et operantibus iniquitatem concedi, ut exoriantur et prospere agant; ut eorum consilium et voluntas, Dei muneribus non bene usa, coarguatur : quamobrem ultrix eos et æterna pernicies excipiet.

« Tu autem Altissimus in æternum, Domine. Quoniam » ecce inimici tui, Domine, quoniam ecce inimici tui » peribunt, et dispergentur omnes qui operantur iniqui- » tatem. Et exaltabitur sicut unicornis cornu meum, et » senectus mea in oleo pingui. Et respexit oculus meus » inimicos meos, et in insurgentibus in me malignanti- » bus audiet auris mea[1]. » Tu quidem, ait, Domine, qui semper uno eodemque modo altissimus es, in excelsis manes per omne sæculum, non mutaris, non dejiceris, non verteris, non teipso melior evadis, nec iis qui in terra sunt humilibus similis es, non exiguum aut humile quidpiam sentis aut agis, sed in æternum tibi similis permanes; nos autem humiles, qui procul a virtute tua absumus, alio alioque modo ferimur et mutamur. Inimici itaque tui, Domine, qui sese vita, quæ apud te est, alienos constituerunt; ac præoptarunt inimicitias tecum, qui solus bonus es, gerere, quam amicitia frui tua, peribunt, sibique ipsi perniciei auctores erunt : quia noluerunt apud te manere amicique tui esse; sed inimicitias adversum te, opificem et servatorem suum, suscepere. Quamobrem etiamsi infinitas in hac vita pecunias, divitias et thesauros colligant; sed omnia cum animabus et corporibus ipsorum dispergentur. Ego vero qui cognitionem et amicitiam tuam amplexatus, et inimicis tuis alienus effectus sum, persuasum habeo me mutationem in melius nacturum esse, justo judicio tuo fidem habens. Itaque etiamsi in præsenti vita inglorius et vilis esse pe-

[1] Psal. XCI, 9, 10, 11, 12.

nes multos videar, sed in fine rerum exaltabor; imo potius cornu meum exaltabitur, id est, spes regni illius quod apud te me consecuturum expecto; quæ scilicet pari modo exaltabitur atque unicornis. Nam si quis est unicornis in spiritualibus, qui te Patrem suum ut unum cornu sibi adscribit; bene novi me, perinde atque illum, exaltandum esse. Quia enim hæredes Dei, cohæredes autem Christi vocamur; spero me eodem, quo Christus, regno fruiturum esse, cum senectus mea, id est extrema vitæ meæ, exaltabitur in oleo pingui. Etiamsi enim juventutis et vigoris animæ meæ tempus in hac vita, ceu in certamine, humiliatum exerceatur; at extrema, ipsiusque animæ senectus, id est consummatio ejus, mutationem in melius obtinebit; ac oleo supereffluenti diviti et pingui, apud te misericors Deus, vivificabitur. Tunc sane oculus meus qui super peccatores contabescit, et mortalem vitam deplorat, ab inimicis meis conspicietur, eosque debitas pœnas luere videbit; qui jam apud multos gloria celebrantur, quorumque finis dispersioni tradetur. Tunc non modo oculus meus, sed etiam auris animæ meæ, finem audiet eorum, qui jam insurgunt adversum me et maligne agunt. Horum ergo omnium causa admiratione perculsus de providentiæ tuæ ratione, et de justo judicio abs te omnibus reddendo, ego quidem lætor et exulto in operibus manuum tuarum, omnis autem vir insipiens et stultus non intelligit hæc. Quapropter dico : « Quam magnificata sunt opera tua, Domine! » nec modo profundæ factæ sunt, sed valde « profundæ factæ sunt » cogitationes tuæ; » quibus cogitationibus arcano et profundo modo universum administras : ac sinis quidem et concedis, ut impii hoc tempore exaltentur et extollantur, pii vero humilientur, quorum tamen finis mirabili et sapientissimæ dispensationi tuæ testimonium præ-

bet : quæ conspicatus divinus Apostolus sic vociferatus est : « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, » quam incomprehensibilia sunt judicia ejus et investi- » gabiles viæ ejus [1] ! »

« Justus ut palma florebit, sicut cedrus, quæ in Liba- » no est, multiplicabitur [2]. » Peccatores quidem sicut fœnum exoriri, et ad exemplum fœni non diu postea perire dicti sunt. Nam exortum fœnum statim exsiccatum est, et flos decidit, eo prorsus modo quo peccatorum vita et gloria. Justus autem non sicut fœnum, sed palmæ instar florebit, sursum radices et comas efferens; neque humi positas, sed ad cœlum extensas. Qua de causa palmæ quidem justus comparatur; non autem unico palmæ trunco ; nam in ramis multiplicatur, qui una cum illa et per illam salutem consequuntur. Qua de causa comparandus item cedro, non quilibet, sed ei quæ in Libano est. Multiplex autem illa est, atque admodum numero crescit, utpote quæ in monte pinguissimo, qui celsissimas arbores producit et alit, nascatur. Sic itaque justus, infinitos secum habens qui ipsius opera salutem assequuntur, ea quidem ratione cedro comparandus, alia autem prius enuntiata, palmæ. At non hujusmodi erant impii, qui, tanquam fœnum exorti, mox deleti sunt. « Plantati in domo Dei, in atriis Dei nostri florebunt [3]. » Perrarus quidem est, qui ad summum perfectionis devenerit, qui et justus vocatur, palmæque ac cedro confertur. Sed quia non omnes hujusmodi sunt, sciendum est, etiam imperfectioribus, qui tamen illa in domo Dei plantatione dignati fuerint, bonum quemdam finem repositum esse : nam in atriis domus Dei nostri florebunt. Id vero intelligas, si pro magna domo Domini, Ecclesiam ejus in terra sitam accipias secundum Apostolum, qui

[1] Rom. xi, 33. — [2] Psal. xci, 13. — [3] Ibid. 14.

ait, « Ut videas quomodo oporteat in domo Dei conver- » sari, quæ est Ecclesia Dei viventis [1]; » et si pro illis qui in ea plantati sunt, eos qui profectus in religione primordia in illa acceperunt : quales iis erant quos plantavit Paulus, quorumque causa dixit, « Ego plantavi, » Apollo rigavit; sed Deus incrementum dedit [2]. » Hi itaque qui in terrena Dei Ecclesia plantati sunt, florem emittent suavis odoris ac generosum perfectorumque fructuum feracem; in atriis Dei nostri, id est in cœlestibus mansionibus transplantati : siquidem multæ sunt mansiones apud Patrem, ubi pro merito distributi qui jam in domo Dei plantatï sunt, congruenti tempore florebunt.

« Adhuc multiplicabuntur in senectute pingui, et » bona accipient; ut annuntient, quoniam rectus Do- » minus Deus noster, et non est iniquitas in eo [3]. » Non solum id ait, In atriis Dei florebunt qui hodie in domo ejus plantati sunt; sed et ipsi multiplicabuntur, sicut cedrus, quæ in Libano est, supra multiplicari dicebatur. Quandonam id ipsis eveniet, nisi in senectute pingui? Hic vero senectutem pro consummatione animæ dici persuasum habeas, in qua constituti bonis fruentur, qui nunc in domo Dnmini plantati sunt. Nam si jam in domo Domini plantati, mala patientes perseverant, primis agriculturæ laboribus afflictati; sed cum senectute pingui donati fuerint, bonis fruentur, ac requiem nacti, laborum certaminumque præmia referent, ac confitebuntur, « Quoniam rectus Dominus Deus noster, et non est » iniquitas in eo. » Nisi enim jam enumerata bona eos qui Deo addicti sunt exceptura essent, ac nisi impios et operantes iniquitatem exitiosus finis maneret; divinæ providentiæ culpandæ forte causa subesset. At quando finis

[1] 1 Tim. III, 15. — [2] 1 Cor. III, 6. — [3] Psal. XCI, 15, 16.

hujusmodi justis paratus est, qualem nos consequi peroptamus, ac impiis talia denuntiantur supplicia, a quibus nos eripi contingat : quare consentaneum non fuerit confiteri, « Quoniam rectus Dominus Deus noster, et non » est iniquitas in eo? » At insipiens hæc non cognoscet, nec stultus intelliget, quod a stultitia sua tenebris offundatur. Ego vero qui isthæc probe cognoscam et intelligam, quia a Spiritu sancto illustatus sum, et quod considerem quam profundæ factæ sint cogitationes Dei, jure lætor et exulto de divina dispensatione : præsentia vero mala ob spem futurorum strenue tolero. Qua de causa totum otium meum et cessationem a malis Deo consecrans, delectabilia illa et sancta Sabbata observare satago, confitendo, psallendo et annuntiando mane misericordiam Dei, et veritatem ejus per noctem. Tunc enim maxime a religiosa anima veritas exhibetur, cum in tenebris et obscuritate degens, quasi in splendidissima luce et clarissima die, conscientiæ sinceritas et puritas ostenditur. Talis est psalmus cum cantico die Sabbati dictus, id est in tempore illius, quod secundum Deum est, otii ac requiei : quo nos etiam divinarum disciplinarum meditationi vacantes, gratiarum actionis verba hoc in cantico enuntiata Deo emittere par est.

PSALMUS XCII.

Laus cantici ipsi David [1].

« DOMINUS regnavit, decorem indutus est [2]. » Quia secundum Apostolum regnavit mors ab Adam usque ad Moysem, id est a prima hominum creatione usque ad corporeum secundum Moysem cultum, qui in terrena Jerusalem antiquitus usque ad Salvatoris nostri Jesu Christi adventum perficiebatur; sane cum mors regnaret, et is qui imperium mortis habet, nimirum diabolus, dominaretur, tunc, ut consequens erat, Dominus non regnabat in hominibus, sed quidam multorum deorum et diabolicus error. Ipse autem Apostolus hæc de Salvatore nostro docet : « Quia ergo pueri communicaverunt carni » et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem pas» sionibus; ut per mortem destrueret eum, qui habebat » mortis imperium, id est, diabolum [3]. » Jure itaque Dei Verbum, quod prius existebat, cum vita ipsa esset, ad mortis destructionem, mortale instrumentum, corpus scilicet humanum assumens, ipsumque morti tradens, ad naturæ suæ demonstrationem, idemque postea a morte resumens ad divinam suam virtutem declarandam, dum mortis quidem imperium solvit, diaboli itidem in homines tyrannidem destruit; imo etiam dæmonum malignorum ac spirituum impurorum, qui olim in humanum genus imperium obtinebant, operandi vim extinguit, sublata per Evangelicam prædicationem omni adversaria

[1] Vulgata adjicit, « In die ante Sabbatum quando fundata est terra. »
[2] Psal. XCII, 1. — [3] Hebr. II, 14.

et inimica Deo potestate, paternum Deo in omnes gentes regnum procurat. Quapropter soluta mortis potestate, ac destructo eo, qui imperium mortis habebat, id est, diabolo; jam regnante in omnibus gentibus Domino, regnante item cum illo in hominibus vita illa, quæ secundum Deum est; merito Spiritus sanctus pro tanto facinore choreas agens, nosque omnes ad choreas convocans, hæc vociferatur : « Dominus regnavit, decorem induit. » Regnat porro Dominus, qui ipsa vita est, et ipsum Dei Verbum, in omnem animam, cui non inest amentia et stultitia, in quam non regnat peccatum, cui non imperat diabolus, cui non dominatur mors, propriis illam stimulis confodiens et occidens. Stimulum porro mortis peccatum esse docet Apostolus : quo stimulo occiditur anima, secundum prophetiam quæ ait : « Anima quæ peccaverit, ipsa morietur[1]. Quare adnitendum est, ut neque amentia, neque peccatum, neque diabolus, neque mors per ipsum peccatum in nobis dominetur; sed solummodo Verbum et vita, id est, Dominus, qui per omne vitutum genus regnat in eos, qui ejus imperio digni habentur[2].

Quia vero Dei Verbum, ipse Dominus regnaturus erat non solum viventibus, sed etiam mortuis; nec solum cœlestibus, sed etiam terrenis, ut ipse declarat his verbis, « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra [3]; » ideo seipsum exinanivit formam servi accipiens, id est, mortale corpus et humanum instrumentum; nam idipsum erat forma servi. Cum autem hæc ageret, tunc dedecus indutus est; ita ut de ipso dicatur, « Vidimus eum, » et non habebat speciem, neque pulchritudinem; sed » erat species ejus inhonorata, et deficiens præ filiis ho» minum [4]. » Cum autem recepta ea, quam primum

[1] 1 Cor. xv, 56.— [2] Ezech. xviii, 20.— [3] Matth. xxviii, 18.— [4] Isai. liii, 2.

apud Patrem habuerat, gloria, formam servi in melius transtulit, secundum Apostoli testimonium sic habens, « Qui transformabit corpus humilitatis nostræ, confor» me corpori gloriæ Christi [1], » tunc decorem induit : quando penitus sublato multorum numinum errore, et Patris regnum, et non modo cœlestium, sed etiam omnium per orbem gentium res firmavit. Quare dicitur : « Dominus regnavit, decorem indutus est, » illud enim, « indutus est, » quasi aliquo tempore decorem exuerit, profertur. Siquidem quando passionis tormenta sustinuit, « crucifixus est [2], » inquit Apostolus, « ex infirmitate; » cum autem devicta morte, regnum in omnes accepit, rursus hoc impletum est, « Induit Dominus fortitudinem » et præcinxit se. » Nam Christus Dei virtus erat et Dei Sapientia. Deinde, utpote propria indutus virtute eaque præcinctus, magnum facinus aggreditur. Quodnam esset illud, declarat postea Scriptura dicens : « Etenim firma» vit orbem terræ, qui non commovebitur [3]. » Illam quippe, cum tantum non in barathra penitus ruisset, quando dæmonum vis et efficacia omnibus prævalebat, erexit ac restituit, cum onmem inimicam et dæmoniacam virtutem, et multorum numinum errorem evertisset. Ita enim firmavit orbem terræ, ut neque a pietate erga Deum dimoveretur : Ecclesiam vero ipsius, quæ supra petram fundatur et adversus quam portæ inferi non prævalebunt, hic per orbem terræ indicatam, ita firmatam esse dicit, ut non ultra moveri possit. Nam quod in petra fundetur, portæ inferi non prævalebunt adversus eam.

« Paratus thronus tuus ex tunc, a sæculo tu es. Ele» vaverunt flumina, Domine, elevaverunt flumina vocem » suam [4]. » Thronus tuus, inquit, Domine, non nunc

[1] Philip. III, 21. — [2] 2 Cor. XIII, 4. — [3] 1 Cor. I, 24. — [4] Psal. XCII, 2, 3.

primum, cum post incarnationem in cœlum ascendisti, præparatus est tibi; imo vero jam olim et ante omnia sæcula tuus erat, ac semper tibi paratus fuit, quoniam ipse a sæculo, imo ante omnia sæcula existis, ut ipse docuisti his verbis : « Dominus creavit me initium viarum » suarum in opera sua. Ante sæculum fundavit me, et » antequam montes firmarentur, et ante omnes colles » gignit me. » Tuus itaque thronus erat etiam ante omnia sæcula : imo et quando exinanivisti temetipsum, ac servi formam accepisti, tibi iterum paratus servabatur : quia tibi soli ac nemini alii a Patre dictum fuerat, « Sede a » dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum » pedum tuorum [1]. » Sic igitur paratus tibi thronus erat, in quo ut secum sederes, qui te genuit, Pater præcepit. Paratusque erat ex tunc, a sæculo : quoniam tu ipse a sæculo es. Non ait, « eras; » sed, « es. » Nam de te solo dici convenit, « es. » Quare alibi quoque dicitur, « Tu » autem ipse es, et anni tui non deficient [2]. » Hunc porro thronum in alio quoque psalmo Spiritus sanctus indicat dicens : « Thronus tuus Deus in sæculum sæculi : » virga rectitudinis virga regni tui. Dilexisti justitiam et » odisti iniquitatem : propterea unxit te Deus, Deus » tuus, oleo exultationis præ consortibus tuis [3]. » Paratus itaque erat thronus tuus ex tunc; ex quo scilicet apud Patrem eras, quia tu ipse a sæculo es. Cæterum etiam nunc « elevaverunt flumina, Domine. » Quid elevaverint, repetito sermone postea declarat his verbis : « Elevaverunt flumina vocem suam. » Hæc enim cum antiquitus latuissent, nunc audita fuerunt omnibus, qui divino Spiritu dignati sunt, Prophetis, Apostolis et Evangelistis, infinitisque populis, qui per totum orbem in Ecclesiis salutare regnum annuntiant, qui item elevave-

[1] Psal. CIX, 1. — [2] Psal. CI, 28. — [3] Psal. XLIV, 7.

runt vocem suam, effusam in omnes Dei gratiam magna voce prædicantes. Sed etiam æstimo divinas virtutes, et multitudinem Angelorum, qui in cœlo sunt, nunc flumina vocari. Qui item elevaverunt vocem suam, quando ex hominum consortio in cœlos ascendentem Servatorem, decore deitatis suæ indutum, paterna virtute præcinctum, propriumque sibi regni thronum repetentem, contemplabantur. Hæc porro dicebant alta voce clamantes : « Attollite portas, principes, vestras, et elevamini » portæ æternæ, et introibit rex gloriæ. Quis est iste rex » gloriæ? Dominus fortis et potens, Dominus potens in » prælio [1]; » ac rursum, « Dominus virtutum, ipse est » rex gloriæ. » Multitudines item Ecclesiarum Servatoris nostri apud homines constitutæ, confluentibus ibi fluminis instar gentibus quæ crediderunt, elevantibusque vocem in orationibus ad Deum emissis, inque laudibus per hymnos et psalmos editis, possunt flumina vocari : quando ipse Dominus noster eos, quos ex sua et divina doctrina haurire, et ex Spiritu sancto bibere futurum erat, fluminibus comparat dicens : « Qui biberit » ex aqua, quam ego dabo ei, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ, salientis in vitam æternam[2].

« Tollent flumina fluctus suos, a vocibus aquarum » multarum. Mirabiles elationes maris, mirabilis in al» tissimis Dominus. [3] » Si flumina intelleximus, quæ super gloria regni Domini vocem suam elevaverunt; contrario intelligantur alia flumina quæ fluctus excitant et attollunt contra cognitionem Dei, atque iis opposita quæ vocem suam Deo elevant. Hæc itaque contraria flumina, fluctus, inquit, suos tollunt; id est omnem elationem, tumorem, et allisionem deponent : idque facient a voce sanctorum aquarum. Hoc porro dictum

[1] Psal. XXIII, 7. — [2] Joan. VII, 38. — [3] Psal. XCII, 4, 5.

intelligas, si perpendas, olim apud homines plerumque extitisse specimen sapientiæ hujus sæculi, et humanæ philosophiæ arrogantiam, qua inflati extollebantur, et a mente carnis suæ erigebantur, quasi magnas et sapientes disciplinas adirent sapientes hujus sæculi. At quando per orbem apud Græcos et barbaros Ecclesiæ Dei constitutæ sunt, quæ veram sapientiam adirent, ac Deo decentes laudes et hymnos fluxu quodam ac cum majore et fiducia pleniore voce emitterent, et, ob multitudinem religiosorum hominum, quasi aquarum multarum vocem ederent; tunc sublatus est eorum qui olim sapientes æstimabantur tumor, omnisque illorum arrogantia depressa est, quod sapientia eorum pro nihilo haberetur. Quod si quis umquam elationes maris admiratus sit, videlicet mortalis vitæ procellas et fluctus, qui contra Dei cognitionem erigebantur, sciat ille præ omnibus mirabilem in altissimis esse Dominum; ita ut ii qui in Domino confidunt, non ultra elationes maris jure pertimescere debeant. Verisimile autem est elationes maris esse persecutiones in Ecclesiam Dei insurgentes, quas excitare solet draco ille in mari habitans, qui fluctus ejus in sublime tollit, boat, sonat et conturbat, tantum non interminans se Ecclesiam Dei inundaturum ac funditus deleturum esse. Alio item modo hæc ad litteram enarrans dixeris, flumina hæc sensibilia elevare vocem suam Deo, opifici nempe, qui se creavit et existere fecit, gloriam efferentes. Quemadmodum enim ex magnitudine et pulchritudine creaturarum opifex conspicitur; sic ex partibus mundi, miraculum magni Dei opificii iis, qui videndi facultate præditi sunt, declaratur. Si quis enim secum reputet, unde talis fluminum fluxus feratur, unde tanta humidæ substantiæ vis et copia, unde fontes illi qui a

sæculo numquam defecerunt, qui perennia et amplissima flumina scaturiunt, ex quibus abyssis oriantur, ex qua substantiæ copia per omne sæculum fluant; si quis, inquam, hæc consideret, is sane videbit hæc tantum non vocem emittere, quæ, per ipsa flumina, creatoris et opificis universorum magnificentiam declaret, et ejus deitatem testificetur. Sic porro elationes maris considerans quispiam, quo pacto scilicet fluctus ejus tumidi in sublime erigantur, utque rursum decidentes in seipsis fragantur, et quomodo nec possint nec audeant terminum et legem sibi definitam prætergredi, hinc sane Dei magnificentiæ vim deprehendet. Nam illi edixit, Huc usque venies, et in te conterentur fluctus tui, terminumque ipsi posuit, quem non prætergredietur, neque convertetur ad operiendam terram. Præter ea vero quæ supra memoravimus, dixerit quispiam, tunc mirabiles fuisse elationes maris, cum accedentes Discipuli dixerunt ei, « Domine salva nos, peri» mus[1] : » quando imperavit ipsi, et facta est tranquillitas magna. Et alias iterum cum Domini jussu divisum in seque ipso secedens ac distractum, transitum præbuit filiis Israël, ut per illud quasi per aridam terram præterirent: tunc enim mirabiles fuerunt elationes ejus. Imo etiam flumina alio modo vocem elevaverunt, quando arca per Jordanem transeunte, secedebant aquæ et stabant, re ipsa gloriam Dei clamantes : et quando ipso Servatore in eodem flumine baptizato, cælestis vox ipsum Filium esse dilectum ad omnium aures prædicaret.

« Testimonia credibilia facta sunt valde : domum » tuam decet sanctitudo, Domine, in longitudinem die» rum[2]. » Prophetiæ futurorum, in quibus testimonia de regno Domini ferebantur, ante rerum eventum, ser-

[1] Matth. VIII, 26. — [2] Psal. XCII, 5.

monum credibilitatem nondum videre sinebant. Nam post eventum, et post perfecta opera, tunc sane testimonia Dei credibilia facta sunt. Siquidem jam olim dicta et pænuntiata fuerant, et jamdiu expectabantur ea, quæ ad Dei in omnes gentes regnum spectabant. Testimoninm vero illud nunc credibile factum est, cum ipsis operibus impletum oraculum cernitur. Et olim quidem de Domino dicebatur, quod decorem induisset; nunc autem confirmato ex operibus sermone, veritas prædictionis apparuit, cum exuta Dei, induta servi forma, ac usque ad turpem progressus mortem, postea dedecus illud deposuit, induitque paternæ gloriæ decorem, regno scilicet in omnia cum cælestia tum terrena coronatus. Rursumque prophetica testimonia enuntiabant, Dominum virtute indutum firmasse orbem terræ, qui non ultra commovendus esset. Horum porro veritas comprobata est, cum post passionem, propria recepta virtute, per totum orbem Ecclesiam firmavit suam, ut non ultra commoverentur humanæ animæ, impia superstitione huc illuc errabundæ. Iterumque Prophetarum testimonia prænuntiabant, flumina vocem elevatura, aliaque flumina fluctus suos exaltatura esse. Hæc autem testimonia vera reperta sunt, cum in omnibus Dei Ecclesiis ac per totum orbem, secundum Evangelium, cœtus piorum voces gratiarum actionis, per orationes et hymnos ad Deum emittunt: queis illi olim arrogantes, sapientes hujus sæculi, sublati, et tumor eorum destructus est, ita ut eorum philosophia prorsus extincta fuerit. Si autem pari modo reliqua prophetiarum vaticinia percurras, singulis aptabis illud, « Testimonia tua credibilia facta sunt valde. » Itaque divinarum Scripturarum testimonia, a veritate eventuum, admodum credibilia evaserunt. Domum vero tuam, id est, Ecclesiam tuam,

nihil tam decet, ut in longitudinem dierum servetur, quam sanctitudo. Sicut enim testimoniis tuis propria veritas est et fides, ita domum tuam decet sanctitudo: sub cujus tutela manet et perseverat in longitudinem dierum. Nam si quando contingat dedecus in domo tua reperiri, ac loco sanctitatis, profanum, impurum ac exsecrandum facinus deprehendi; fieri tamen nequit ut illud in longitudinem dierum perseveret. Etenim si, quod absit, indecens quidpiam et alienum in domo Dei deprehendatur, sane Deus in ipsa habitans, qui sanctus est et in sanctis requiescit, dicet, « Ecce relinquetur vo- » bis domus vestra deserta[1]. » Quamobrem nos in domum Dei ingressos, præ omnibus et super omnia sanctitati et temperantiæ studere oportet.

[1] Luc. XIII, 35.

PSALMUS XCIII.

Psalmus Davidi, quarta Sabbatorum.

« Deus ultionum Dominus, Deus ultionum libere » egit[1]. » Hic psalmus apud Hebræos inscriptione caret, consolationem autem et levamen complectitur pro iis qui in præsenti vita pietatis causa vexantur et affliguntur, quorum item orationem inferius consignat. Orationi vero consolationem et levamen præmittit, a supplicatione eorum qui persecutionem patiuntur orsus, eorumque malis remedium admovere occupans, declaransque opere impletum illud esse, « Adhuc te loquente » dicam : Ecce adsum[2]. » Ait itaque, Heus vos, confidite : adest quippe Dominus, in quem sperastis, utpote Deus opifex, Deus creator, Deus servator, Deus beneficus, Deus judex, Deus pater misericordiarum, Deus totius consolationis, tolerans et multum misericors, placabilis super peccata, cui sexcentæ aliæ divinæ rationes competunt; atque ita jam Deus ultionum dicitur. Curam enim habet eorum, quæ* in cœlis geruntur, ita ut dignam ultionem de inique agentibus sumat, juste judicet, reos plectat, ac cuique tribuat secundum opera sua. Confidite, igitur, edocti vos Deum ultionum habere : vester quippe Deus, ultionum Deus esse solet. Et quod, utpote Deus vindex eorum qui læduntur, cum fiducia agat; idipsum clare et cum fiducia per Prophetas suos deprædicat : atque sic ejus providentiæ ratio consistit, qua juste et sapienter omnia administrat. In hac quidem vita

[1] Psal. XCIII, 1 — [2] Isai. LVIII, 9.
* Melius, « in terra. »

solem suum oriri facit super justos et injustos, ac pluit super improbos et bonos, atque bona sua æqualiter omnibus impertit; sed congruenti tempore Deus ultionum efficietur, quando promeritas pœnas ab iis qui beneficiis ejus non recte sunt usi expetet.

« Exaltare qui judicas terram, redde retributionem » superbis. Usquequo peccatores, Domine, usquequo » peccatores gloriabuntur ? Effabuntur et loquentur » iniquitatem, loquentur omnes qui operantur injus- » tiam[1]. » Spiritus quidem sanctus vel ante orationem prophetice responsionem edit, illud proferre occupans quod post orationem dicendum erat: idque ex præscientia eorum quæ in oratione dicenda erant. Quamobrem duo versiculi responsionem sancti Spiritus orationi congruentem complectentes præmissi sunt. Nam quæ ad supplicationem Deo emissam attinent, ab hoc dicto, « Ex- » altare qui judicas terram, » exordium habent. Ait ergo Scriptura: Ex quo hominum genus esse cœpit, peccatores justis prævalere cœperunt, ut Caïn Abeli, et tempore diluvii gigantes aliis secum versantibus; imo etiam Esaü Jacobo, Josepho fratres ejus. Ac si ita subsequentia tempora percurras, in singulis generationibus peccatores contra justos insurgere deprehendes. Usquequo, Domine, hæc erunt? Usquequo in tantam superbiam peccatores erigentur, ut in impietatibus suis glorientur, neque gesta sua taceant, neque malitiam occultent suam, sed loquantur in omniumque auribus injustistias efferant suas? usquequo igitur eos talia audentes feras? At cum jam in excelsum justi tui judiciis thronum conscenderis, « Exaltare qui judicas terram, » et, redde retributionem superbis, » promeritum ipsis infligens supplicium. Nunc enim te quoque despiciunt,

[1] Psal. XCIII, 2, 3, 4.

quasi nihil excelsum habeas, nihil videas, nec terram judices. Quapropter quæ ad vitam pertinent suam et judicio et providentia carere arbitrantur. At ego qui precor et opto ab impietate eorum alienus esse, persuasum habeo te Deum ultionum esse, teque judicare omnem terram. Etiamsi enim mansuetudine, tolerantia et patientia usus teipsum deprimas, tuamque contra impios iram cohibeas; at ego certus judicio tuo, qui omnia prospicis, nihil immune fore, supplico precor que ut exalteris, tuamque magnitudinem ac deitatis tuæ sublimitatem omnibus exhibeas; ut vel sero tandem peccatores finem faciant luxuriandi ac gloriandi de omnibus quæ improbe perpetrant.

« Populum tuum, Domine, humiliaverunt, et hæreditatem tuam vexaverunt. Viduam et advenam interfecerunt, et orphanos occiderunt. Et dixerunt, Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob[1]. » Non erat, inquit, peccatoribus in se peccare satis; jam vero in populum tuum et in Ecclesiam tuam insurrexerunt, alios humiliantes, alios vexantes, alios prorsus occidentes. Et hæc contra populum tuum, Domine, et contra hæreditatem tuam aggredi ausi sunt, tantum non impia et blasphema de te sentientes. In seipsis namque dixerunt impie cogitantes, « Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob. » Quamobrem, quasi te nec vidente nec intelligente, talia facinora moliuntur contra populum tuum et hæreditatem tuam, contra viduas, advenas et orphanos, qui omni humano subsidio et patrocinio carent. Neque tam contra illos, quam contra te, Domine, hæc perpetrabant: nam qui vexabantur, populus tuus et hæreditas tua erant; atque ii, qui illos opprimebant, de te blasphema et impia sentientes hæc cogitabant, ac si non existeres, nec videres, nec intellige-

[1] Psal. XCIII, 5, 6, 7.

res, neque talia facinora ulciscereris. Quocirca jure ita precabar: « Usquequo peccatores, Domine, » usquequo talia agentes manebunt? Populum vero et hæreditatem Dei putare convenit, olim quidem Judaïcam gentem, quia « facta est portio Domini populus ejus Jacob, funi- » culus hæreditatis ejus Israël[1]. » Post eorum vero repulsam, quam sic declarat propheticus quidam sermo, « Dereliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam[2]; » ipsorum loco novum populum ex gentibus consequenter inducit alia prophetia, qua in persona Christi ita loquitur: « Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem » tuam, et possessionem tuam terminos terræ[3]. »

« Intelligite insipientes in populo, et stulti aliquando » sapite. Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui fin- » xit oculum, non considerat? Qui corripit gentes non » arguet, qui docet hominem scientiam? Dominus scit » cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt[4]. » Postquam impiorum ausus ægre ferens Propheta humano more deflevit, ac precatus dixit, « Exaltare qui judicas » terram, redde retributionem superbis; » sed etiam Deum quasi commovit et excitavit his verbis, Populum tuum et hæreditatem tuam vexaverunt et humiliaverunt, « et dixerunt, Non videbit Dominus, nec intelliget Deus » Jacob; » Spiritus sancti virtute repletur, et quasi responderet eis qui dixerant non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob; Sic loquitur: Et quomodo, o vere mente cæci, potest non videre et non audire, qui hæc non habentibus impertit? Nam is certe qui aliis quidpiam elargitur, prior utique habet ea quæ aliis communicat. Est porro sermo syllogismi ritu prolatus et concinnatus ad providentiæ doctrinam comprobandam. Par autem

[1] Deut. XXXII, 9. — [2] Jerem. XII, 7. — [3] Psal. II, 8. — [4] Psal. XCIII, 8, 9, 10, 11.

erat iis maxime Scripturæ divinæ locis animum adhibere, ut ostendatur, non ratione vacuam ibi fidem nobis offerri, sed claris ratiociniis et demonstrationibus logicis doctrinæ testimonia exhiberi. Sexcenta autem similia in sacris Bibliis conspersa sunt. Syllogismis itaque impios et atheos confutat, qui dicebant Deum humana non respicere. Heus vos, inquit, animalium ne natura per se sponte substitit, an a quadam causa condita est? Si dicatur enim temere, ac sorte quadam, sine ratione et sponte sua vita carentem, et animatam materiam tot animalia, et singulis generibus inditam hujusmodi constitutionem, formas item et species, ac tantam partium et membrorum concinnitatem, pulchritudinis varietatem, et tot discrimina producta esse; stultum certe insanumque fuerit illud, et hominum qui vere anima mortui fuerint, ratiocinium. Quomodo enim quod vitam non habet alteri impertiat? Aut quomodo inanimatum, animam constituerit? Aut irrationabile quomodo quidpiam rationabile produxerit? Quo pacto primum movebitur, aut aliud movebit, quod ex natura sua immobile sit? Hujusmodi est terræ elementum, ex quo omnia et varia prodiere animalium genera, quæ oculis, auribus cæterisque sensibus instructa sunt, vita, motu et appetitu prædita? Homo vero iis longe præstat, cum sit naturæ rationabilis, ac mentis et scientiæ capax. Num igitur ex ratione vacuo et animato elemento hæc omnia substiterunt? At eum qui hæc confiteri nolit, rei ipsius vis et efficacia vincit, ac ipsum naturale ratiocinium vera dicere cogit? nimirum nec inanimatam materiam, neque aridam rationeque vacuam substantiam, horum esse causam: sed mundi opificem esse mentem quamdam divinam et creatricem, Dei nempe Verbum, rerum omnium factorem, qui tum reliquis omnibus, tum ipsi

homini sensus corporis indidit, et animæ humanæ ratiocinium, atque etiam mentem, qua naturam rerum consideret, ac oculis quidem, visibilia respiciat; auribus vero, in auditum cadentia audiat; cogitatione demum, intelligibilia comprehendat. Qui igitur fieri potest ut, qui aliis facultatem videndi, quam ex se non habebant, impertiit, non ipse videat? Qui fieri potest ut is, qui in terreno et luteo vase auditum et aurem perforavit, ita ut muta et surda materia, ea quæ ad aurem proferuntur audiat, non ipse melius et præstantibus aliis omnibus humanas cogitationes percipiat? Quod si universæ per orbem gentes, cum barbaræ tum Græcæ, naturali cogitationum, quas a Deo acceperunt, impulsu, quasdam sibi leges et constitutiones efformarunt; quomodo is qui talem ipsis prudentiam indidit, non arguat eos qui præter naturam ac præter sanam mentem quid agere ausi fuerint? Unde hominibus prodiit omnis et cujuslibet rei notitia? Unde artes? Unde scientiarum speculationes? Unde disciplinarum sermones? Annon ab eo qui harumce rerum comprehensionis facultatem in illis insevit? Quid igitur? Num is qui tali hominem natura donavit, ipse cogitationis expers erit ita ut ne ipsa quidem, quorum ipse largitor est, cognoscat? Verum impie cogitandi ac loquendi finem facite, o vani homines: ac vero sermoni obtemperantes scitote, eum qui plantavit aurem in hominibus, longe prius quæ dicuntur auditurum esse; ac eum qui oculum finxit hominibus, non modo visurum ac gesta conspecturum, sed et cogitationes adhuc in mente latentes intellecturum esse. Hæc enim virtus est Dei, cognoscentis ac discernentis cogitationes hominum quoniam vanæ sunt. Revera omnis, ut apud homines existimatur, veritas, omnisque illorum sapientia, quam ex propriis ratiociniis et mortalibus cogitationibus præferunt, vana certe fuerit. Omnis quippe

sapientia et veritas penes ipsum solum existit, et ab ipso iis tantum qui digni sunt inditur.

« Beatus homo quem tu erudieris, Domine, et de lege » tua docueris eum, ut mitiges ei a diebus malis, donec » fodiatur peccatori fovea[1]. » Ego supra dictis obtemperans et credens, nimirum cogitationes hominum vanas esse, illum solum beatum jure arbitror, Domine, qui ex tua sapientia et eruditione velut ex fonte hausit. Quomodo autem quis eruditionis tuæ particeps fuerit, nisi divinæ legis tuæ disciplina institutus? Nam ideo pietatis leges scripto tradidisti, ut qui illis instituuntur, eruditionis tuæ participes sint. His vero docemur tristia illa, quæ justis accidunt, ad eorum utilitatem esse: instar enim athletarum Dei, laboribus exercitantur ac tentantur, plagisque in patientia probantur. Quapropter ingruentibus in præsenti vita calamitatibus, non dolendum nec desperandum est; imo potius illos beatos æstimare convenit, quod a Deo erudiantur: nam « beatus homo » quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris » eum. » Etenim qui abs te eruditur et docetur, in diebus malis mitigatur. In ipsis quippe afflictionibus et tentationibus a lege tua consolationem nactus, hinc medelam accipit, ad patientiam et tolerantiam institutus, « donec fodiatur peccatori fovea; » hic enim illum finis expectat, ut lex tua declarat. Quamobrem justus hæc in tentationis tempore edoctus, mitigatur ac medelam accipit, rerum eventus, atque vexantis se peccatoris foveam, in quam cadet, considerans, bonamque suam apud Deum spem præ oculis habens.

« Quia non repellet Dominus plebem suam, et hæreditatem suam non derelinquet, quoadusque justitia convertatur in judicium, et qui adhærent ipsi omnes recti

[1] Psal. XCIII, 12, 13.

» corde. Diapsalma[1]. » Postquam paratam peccatori foveam descripserat, faustum eorum qui propter Deum vexantur finem enarrat. Quoniam enim supra dictum fuerat, « Populum tuum, Domine, humiliaverunt, et » hæreditatem tuam vexaverunt. » merito jam humiliati populi et vexatæ hæreditatis finem declarat his verbis, « Non repellet Dominus plebem suam, et hæreditatem » suam non derelinquet. » Etiamsi enim ad breve tempus impiis concedat ut populum suum humilient et vexent ; at non in finem usque repellet plebem suam, et hæreditatem suam derelinquet. Quæ plebs, quæ hæreditas illa sit, novimus ex hac voce de persona Christi prolata, « Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, » et possessionem tuam terminos terræ[2].» Hunc ipsum ex gentibus futurum populum Zacharias Propheta vaticinatur dicens, « Gaude multum, filia Sion : prædica, » filia Jerusalem : Ecce ego venio, et habitabo in medio » tui, dicit Dominus. Et confugient gentes multæ ad Do- » minum : et erunt mihi in populum, et ego ero eis in » Deum[3]. » Hunc igitur populum suum non repellet Dominus, et hæreditatem suam non derelinquet, donec justitia convertatur in judicium. Nam eo usque populum suum hæreditatemque suam custodiet, donec justitia Dei convertat se, laborum præmia iis qui bene decertaverint redditura. Qui vero justitiæ Dei adhærent, proxime illum stabunt, a dextris Regis constituendi; utpote qui recto et sincero corde fuerint, nec in animam quidpiam perversum aut tortuosum advexerint, in sola autem recta ac regia via incesserint.

« Quis consurget mihi adversus malignantes, aut quis » stabit mecum adversus operantes iniquitatem ? Nisi » quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in

[1] Psal. XCIII, 14, 15. — [2] Psal. II, 8. — [3] Zach. ,II 10.

» inferno anima mea. Si dicebam, Motus est pes meus, » misericordia tua, Domine, adjuvabat me[1]. » Diapsalmatis distinctio magnam attulit sententiæ mutationem. Nam quasi priore absoluto sermone, ceu aliud exordium ducens ait, « Quis consurget mihi adversus malignantes? » Nam, inquit, ex Spiritus sancti doctrina edidicimus, Deum ultionis esse Dominum, ac redditurum esse retributionem superbis, et futurum esse ut fodiatur peccatori fovea, neque unquam eventurum ut repellat Dominus plebem suam, vel hæreditatem suam derelinquat; sed in fine rerum, quando conversus fuerit populus in judicium, redditurum esse unicuique secundum opera sua, ac futurum etiam ut omnes recti corde stent a dextris et prope justitiam ejus, cum ipso Domino in regno cœlorum commoraturi, per totam vitam suam cum ipso futuri. Hæc credidi, hæc credendo consolationem accepi. At interea quis hoc tempore pro me stabit contra malignantes? aut quis ultor aderit mihi contra operantes iniquitatem? Atenim vera confitendo dicam, neminem me adjutorem inter homines inventurum, unumque tantum auxiliatorem, Dominum scilicet, nacturum esse : qui nisi mihi opitulatus esset, jam pridem a malignantibus et operantibus iniquitatem devictus, in inferno habitassem, animaque mea, et illa rationabilis ad imaginem Dei efformata substantia, mortem et infernum in domicilium sortita esset. Hæc sane passus essem, nisi adstans ipse Dominus auxiliatus mihi esset. Si quando igitur in certaminibus tentatus, infirmitate mea correptus fuerim, ita ut periculum esset ne pedes animæ meæ commoverentur, fateor me statim, o Domine, misericordiam sensisse tuam, ac ope tua fultum esse. Quæ si mihi non adfuissent, nec pedes meos sustentassent, jam olim lapsus

[1] Psal. xciii, 16, 17, 18.

a mea apud te statione decidissem. Nunc autem misericordia tua, Domine, fiduciam mihi præstat ad hæc proferenda : « Statuisti supra petram pedes meos, et direxisti gressus meos[1]. »

« Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam[2]. » Non solum pedibus meis misericordia tua vires addidit, ut non commoverentur ; neque tantummodo auxilium tuum animam meam occupavit, ut non habitaret in inferno ; sed etiam dolores, quos in corde meo tuli, consolationes tuæ allevarunt, arcana clementiæ tuæ vi animam meam consolante, ipsamque gaudio replente. Non enim una consolatio, non altera tantum adfuit ; sed plures, ac tot numero, quot in corde meo dolores erant. Certatim itaque pro numero dolorum, ad singulos singulas mihi consolationes tuas admovisti : quasi salutare pharmacum consolationem offerens, et quasi multis vulneribus multa remedia inducens. Hujusmodi autem consolationes nactus divinus Apostolus dicebat : « Benedictus Deus pater misericordiarum, Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra : ut possimus nos consolari eos, qui in omni pressura sunt, per consolationem, qua consolamur ipsi a Deo. Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis ; sic abundat et consolatio nostra[3]. » Atque hæc verba mutando, « Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis[4] ; » sic dici poterat, Non est condigna multitudo dolorum meorum in corde meo, ad consolationes tuas, Domine, quibus lætificasti animam meam. Quod si in singulis doloribus quis a Deo consolationem accipiat, et lætitia, quæ a Deo est, dignetur ; annon optet ac precetur multos pro Deo dolores sustinere,

[1] Psal. XXXIX, 3. — [2] Psal. XCIII, 19. — [3] 2 Cor. I, 3. — [4] Rom. VIII, 18.

ut plures consolationes et plures ea de causa lætitias assequatur?

« Numquid aderit tibi thronus iniquitatis, qui fingis » laborem in præcepto [1]? » Jure, inquit, secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam : quia tibi Deo, utpote justo et bono, non adest thronus iniquitatis; omnia quippe justo judicio et recta lege administras : ideo « fin- » gis laborem in præcepto; id est, præceptum tuum labores et sudores parit ob præmia, quæ post laborem strenue decertantes, alacriter et perseveranter passos, exceptura sunt. « Venabuntur in animam justi, et sangui- » nem innocentem condemnabunt [2]. Et factus est mihi » Dominus in refugium, et Deus meus in adjutorium spei » meæ [2]. Et reddet illis iniquitatem ipsorum, et secun- » dum malitiam eorum disperdet eos Dominus Deus nos- » ter [2]. » Impii, ait : tamdiu animam justi venabuntur, laqueis illam et retibus circumdantes, donec sanguinem innocentem condemnantes, eam ad mortem usque deduxerint. Non enim sat illis sunt mulctæ pecuniarum, neque plagæ vulneraque corpori justorum inflicta; sed etiam mortis sententiam et calculum contra illos ferunt. Ac illi quidem ita se habent : ego vero eos, licet ejusmodi sint, contemnere edoctus sum, et usque ad mortem cum fiducia consistere, gnarus me pro refugio Dominum habere, et pro adjutorio spei meæ Deum meum. Qui refugium meum effectus, auxiliabitur mihi; in caput vero eorum qui captant animam justi, et sanguinem innocentem condemnant, iniquitatem ipsorum retorquebit, et malitiam eorum adversus eos justi judicii tempore convertet, quando disperdet eos Dominus Deus noster : quare Deus ultionum initio psalmi dictus est.

[1] Psal. XCIII, 20. — [2] Ibid. 21, 22, 23.

PSALMUS XCIV *.

» VENITE exultemus Domino, jubilemus Deo Salvatori » nostro [1]» Apud Hebræos nulla fertur inscriptio : et merito sane ; neque enim consentaneum erat, ut vel psalmus, vel hymnus vel canticum inscriberetur, cum Judæorum quidem gentem ad exultationem evocet, ipsis tamen interminetur iram, et præceptorum finem tristibus circumscribat. Observes porro velim, sicubi alias in Scriptura illud, « venite, » dictum sit, quomodo eos quasi ab se procul remotos ad accedendum provocet. Nota item eum vocationem semper ad bonum aliquod dirigere, ut in illo, « Venite filii, audite me; et, Venite » ascendamus ad montem Domini ; et, Venite ad me » omnes qui laboratis; et; Venite benedicti Patris mei [2]. In hoc autem psalmo clare ad exultationem venire provocat. Quare observes item, non recte æstimare eos, qui jugum religionis triste ac molestum esse arbitrantur : ad bona quippe et ad læta vocationem edit. His compares illud, « Discedite in ignem æternum [3], » et similia, quæ ratione longe contraria et diversa ab illo, « venite, peccatoribus dicuntur. Quoniam bellorum tempore victores jubilare solent, atque altum conclamare adversus inimicos, opportune non modo gaudere et exultare, sed etiam de parta salutari victoria jubilare præcipit. Quis autem fuerit Salvator et Deus noster, nisi Dei Verbum quod dixit, « Confidite, ego vici mundum [4], » atque nos ab ef-

* Vulg. habet, « Laus cantici ipsi David.

[1] Psal. XXIV, 1. — [2] Psal. XXXIII, 12; Isai. II, 3; Matth. XXV, 34. — [3] Ibid. 41. — [4] Joan. XVI, 33.

ficaci illa dæmonum virtute, quæ nobis olim dominabatur, liberavit; cujus nomen Jesus, salutare Hebraïce significat? Quosnam vero præcipue ad exultationem provocet deprehendes, si consideres ea quæ sequuntur, et sic habent, « Secundum diem tentationis in deserto, ubi » tentaverunt me patres vestri. His enim manifeste significat filios eorum qui in deserto exacerbaverunt eum, sive populum ex circumcisione. Hos igitur evocat dicens, « Venite exultemus Domino. » Vaticinatur porro, eos vocationi non obtemperaturos esse : ait enim sub finem, « Semper errant corde. Ipsi vero non cognoverunt vias » meas, sicut juravi in ira mea, si introibunt in re» quiem meam. » Quoniam igitur illi semper errant corde, merito subsequens psalmus omnes gentes ad canticum novum, et ad exultationem in Deo provocat.

« Præoccupemus faciem ejus in confessione, et in » psalmis jubilemus ei [1]. In primo quidem adventu suo, divinam suam occultans faciem, Dei Verbum servi formam induit : quare dictum est, « Homo in plaga cons» titutus, et sciens ferre infirmitatem; quoniam avertit » vultum suum, inhonoratus est, nec reputatus [2]. In secundo autem adventu suo, revelata facie, cum potestate et gloria magna aderit : quamobrem Scriptura, præmissis iis quæ dicta sunt in principio, quæ in primo adventu ejus edenda erant, hinc consequenter secundum et gloriosum ejus adventum commemorat, jubetque futura prævertere, et faciem ejus in confessione præoccupare. E re namque fuerit antevertere, atque gloriosum ejus vultum prævenire, et antequam gloriosa ejus facies appareat, purgationem delictorum per confessionem nobis procurare. Confessio autem sincera et germana fuerit, si in psalmis jubilemus ei, id est, per animæ instrumenta,

[1] Psal. xciv, 2. — [2] Isai. liii, 3.

quæ sunt corpora nostra : queis convenit illam, ut vocat, jubilationem per vitam honestam ac virtutis institutum persolvere, ac divini Spiritus harmoniam sacrumque concentum exhibere. Hæc porro Judæornm præsertim populo dicuntur, sermone ipsos ad Salvatoris nostri cognitionem provocante. Attamen nobis etiam omnibus hæc opportune applicentur : « Quoniam Deus magnus » Dominus, et rex magnus super omnes deos[1]. » Quæ prius præcepta et mandata fuere, in Domino et Servatore nostro, scilicet in Dei Verbo, complenda sunt; tum aliis de causis, tum quia cum natura Deus magnus sit, magnus item rex fuerit, utpote unigenitum Dei Verbum. Est autem rex magnus super omnes deos ; sive secundum Symmachum, « Supra omnes deos; » videlicet eos qui gentium errore dii esse putantur ; sive eos, qui Moysi similes sunt, cui dictum est, « Posui te deum Pharaonis; » sive deos deos de quibus hæc dicuntur, « Deus deorum » Dominus locutus est; » et, Deus stetit in synagoga » deorum[2] : nemo enim eorum ipsi similis est. Quamobrem alibi quoque dictum est, « Quoniam quis in nubi» bus æquabitur Domino, similis erit Domino in filiis » Dei[3] ?

« Quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, et altitu» dines montium ipsius sunt[4]. Ideo exultemus et jubilemus Deo; non modo quia Dominus et Deus est et rex magnus super omnes deos; sed etiam quia fines terræ sibi subjecit et subdidit. Id enim cum petiisset a Patre ; impetravit, secundum illud : « Postula a me, et dabo tibi » gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam ter» minos terræ[5]. Quod si quædam altitudines montium penes Scripturam divinam in honore habentur, verbi

[1] Psal. XCIV, 3. — [2] Exod. VII, 1 ; Psal. XLIX, 1 ; Psal. LXXXI, 1. — [3] Psal. LXXXVIII, 7. — [4] Psal. XCIV, 4. — [5] Psal. II, 8.

gratia, Sinaï, Choreb, Thabor, mons Sion, mons Olivarum, et si quis alius similiter; sive etiam iis contrarii et oppositi montes, qui a dæmonibus olim occupabantur, ubi gentes malignis dæmonibus quasi diis immolabant; sed hos omnes Domini et Salvatoris nostri esse docemur: ipse namque eorum opifex erat. Num forte ideo in manu ejus sunt fines terræ, quia sub manu ejus terrena dispensantur; cœlestia vero, quæ tropice altitudines montium vocantur, quid præstantius terrenis habent: quia ejus quasi possessio sunt, et domicilium regni. « Quoniam » ipsius est mare et ipse fecit illud, et aridam fundave» runt manus ejus[1]. « Ne mireris, inquit, si fines terræ ipsius sunt, et si altitudines montium ad ipsum pertinent. Imo vero disce universum humidæ substantiæ elementum, in quo terra firmatur, ejus opificium esse: neque solum possessio, sed etiam opificium ejus est. Mare igitur, quo totum humidæ substantiæ elementum significatur, ipse fecit; aridam vero manus ipsius efformarunt: ideo fortasse quia dictum est, « Accepit Deus pulverem » de terra, et efformavit hominem[2]; » ac rursum, « Formavit Deus de terra omnes feras[3]. » Videtur porro terræ elementum, quod sphæricum est ut aiunt, sive quadam alia ratione efformatum, verbo Dei talem accepisse formationem. Quamobrem accurate et secundum physicam rationem dictum illud est: « Et aridam for» maverunt manus ejus.

« Venite adoremus et procidamus et ploremus coram » Domino, qui fecit nos[4]. » Cum divinam Domini virtutem ex præcedenti doctrina sermo declarasset, ac superius dixisset, « Præoccupemus faciem ejus in confessio» ne; » jam necessario confessionis modum aperit. Adhortantis autem more psalmum plane exorsus, non a

[1] Psal. XCIV, 5. — [2] Gen. II, 7. — [3] Gen. I, 25. — [4] Psal. XCIV, 6.

tristioribus cœpit, sed a lætioribus : ne ii qui evocabantur, illud « procidamus » et « ploremus aversarentur, si statim ab initio audissent. Nisi fortasse his verbis duos ordines significet ; unum meliorem, quem primo ad laudem et exultationem evocabat ; alterum vero medela egentem : quamobrem, « Venite exultemus, » in exordio dictum sit ; deinde vero post ea quæ circa Domini deitatem dicta sunt, et post priorum vocationem, ad secundos transeat, docens eos pro aqua et ablutione, lacrymis et confessione ad pristina peccata expianda utendum esse. Cum autem hortantis more illi dicto, « ploremus coram Domino, » addiderit, « qui fecit nos, bonam spem adscripsit, docens nos non alienos ipsi esse, sed opus et creaturam ejus : quamobrem jucundiora expectanda sunt, cum ipse suum curet opificium. Ad hæc vero, his verbis, « Procidamus et ploremus coram » Domino, » docet non in conspectu hominum, non hominum gratia id agendum esse, sed in abscondito, secundum illud : « Pater tuus, qui videt in abscondito, » reddet tibi [1]. » Omnibus itaque generatim hæc præcepta conveniunt ; at proprie et præcipue Judæorum populum ad facinorum suorum pœnitentiam Scriptura evocat. Quia ipse est Deus noster, et nos populus pascuæ » ejus, et oves manus ejus [2]. » Non modo dominus noster est, ut herus domesticorum ; neque solum opifex, utpote creator noster ; sed etiam Deus noster est, utpote bonus et propitius. Quamobrem parcet nobis et miserebitur nostri ; quia non opificium duntaxat, sed etiam possessio ejus sumus ; et rationabiliores nobis, sunt populus ejus ; ii vero qui adhuc imperfecti et minus rationabiles sunt, oves manus ejus. Itaque si confiteamur ipsi, si adoremus, procidamus et fleamus coram illo, salutem pror-

[1] Matth. VI, 4. — [2] Psal. XCIV, 7.

sus consecuturi sumus ; alii quidem ut populus ; alii vero ut oves manus ejus. Ipse namque dicitur esse bonus pastor , et nos instituimur ad dicendum, « Dominus pascit » me, et nihil mihi deerit[1].

« Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda » vestra in exacerbatione [1]. Tunc semel , inquit, audita in eremo voce ipsius obdurastis corda vestra; cavete ergo ne secundo idipsum admittatis, si rursum ejus apud homines hodie versantis vocem audiatis. Sermo autem populo ex circumcisione præsertim enuntiatur, ex persona chori Prophetarum prolatus. Illi scilicet initio quidem omnia pluraliter dicebant , vocatis sese connumerantes : Nam, « venite , » aiebant, « exultemus, jubilemus et præoccupemus; ac rursum, « Venite adoremus, procida» mus et ploremus: » in præsenti vero aliorum assumpta persona , hortantur ne vocationem respuant; neque voci quæ ipsis hodie allocutura est fidem negent. Illud porro , « hodie , » Apostolus accipit pro toto vitæ nostræ tempore ; secundum illud, « Donec hodie vocatur [3].» Hortatur autem nos Scriptura , ut hinc præcepta servandi exordium ducamus. Etiamsi enim præcedenti tempore in magna segnitie versati simus ; at vel saltem ab hac die , quæ per illud, hodie , exprimitur , et ab hoc tempore dictis attendere curemus : nec populum illum imitemur, qui in visione in deserto, audita Dei voce, corde obduratus est in tempore exacerbationis, cum ipsorum omnium membra in deserto prostata sunt, quia voci Dei non obtemperaverant. Necessario itaque illa commemorat , ne nos quoque præcepta Dei hodie audientes , ac non obtemperantes , ipsum exacerbemus , obdurari corde , et non exaudientes salutaria præcepta ejus ; atque ideo ipsum acerbum nobis ac severum judicem parantes. Sane ,

[1] Psal. xxii, 1. — [2] Psal. xciv, 8. — [3] Hebr. iii, 13.

ut dixi, nobis omnibus præceptum convenit; sed secundum prius allatam rationem, populo ex circumcisione illa dicuntur, quorum hæc sententia fuerit: Cum semel olim vocem Dei in deserto audissetis, exacerbastis eum, obdurato tempore Moysis corde vestro; verum quia ipsum Dei Verbum in mundo apparens, hominibus iterum locuturum, atque apud vos novi Testamenti mysteria declaraturum est; cavete ne iterum corda obduretis ut prisce obdurastis, neve rursum eum exacerbetis, si denuo vocem ejus audieretis, neque hac in re patres vestros imitemini, ne vos vero Sabbato et requie ejus orbetis, quam requiem dabit ipsum Dei Verbum, postquam regnum suum acceperit, in ipsoque requiescet, omnesque quotquot ipsum receperint, ad eam ipsam quietem admittet, ac sanctum verumque Sabbatum iis impertiet qui secum et penes se, illo digni erunt.

« Secundum diem tentationis in deserto, ubi tentave-
» runt me patres vestri, probaverunt me et viderunt
» opera mea. Quadraginta annis offensus fui genera-
» tioni huic: et dixi, Semper errant corde. Ipsi vero
» non cognoverunt vias meas, sicut juravi in ira mea,
» si introïbunt in requiem meam[1]. Quomodo Deum tentaverint, non illorum olim Judæorum patres tantum, ut quispiam æstimaverit, sed etiam hodiernorum, qui audita voce Dei obdurantur, apud Moysen habetur, et in LXXVII psalmo plerumque dictum est, ac similiter in CV, ut tute si perquiras deprehendes. Quoniam igitur his juravit Deus, exacerbantes illos non ingressuros ess in requiem ipsius, quam paucis sermo descripsit, sollicite nobis curandum est ne in paria incidamus. Nam eadem ipsa nos excipient, si vocem Dei nunc et in præsenti adhuc tempore nos evocantem audientes, corda obdure-

[1] Psal. XCIV, 9, 10, 11.

mus : nos quippe ira Dei invadet , ac quiete illa apud ipsum et cum ipso sumenda privabimur. Quæ porro ira illa futura sit, his declarat Apostolus : « Secundum au» tem duritiam tuam , et impœnitens cor , thesaurizas » tibi iram in die iræ , et revelationis justi judicii Dei [1]. » Quæ autem requies ejus est , nisi illa post exitum hujus vitæ cum illo commoratio , qua requiescemus in regno ejus, omni prorsus opere ac negotio exempti, solique divinorum et cœlestium contemplationi vacantes ? quando abscedet quidem dolor, tristitia et gemitus; quies autem, ereptio a malis , cessatio , requies ac verum Sabbatum nos excipiet : in quo item vero Sabbato ipsum Dei Verbum requiescet. Quod vero spectat ad hunc sensibilem mundum , Judæos evocat et hortatur , ut si jam secundo , ut olim in deserto , Dei Verbi voce dignentur , quæ ipsos tempore incarnationis ejus iterum allocutura erat , ne patres suos imitentur , neque rursum ut antea Deum exacerbent. Cum autem sic hortatur , videtur mihi prænuntiare ac subindicare futuram eorum erga Christum incredulitatem , utpote futurorum non nescius : nam sub hæc ex persona Dei adjicit et ait , « Et dixi , Semper » errant corde ; » ac rursum , « Sicut juravi in ira mea , » si introibunt in requiem meam. » Etenim si in os illud divinum mendacium non cadit , ac definitionem sententiamque illam protulit , quod scilicet semper errent , juramentoque affirmavit eos in requiem ipsius non esse ingressuros; aperte futura vaticinatus est. Quare, ut olim tempore Moysis , sic iterum Domini tempore videtur Judæos corde errasse , ideoque promissione illa frustratos esse. Quapropter post hunc psalmum , qui sequitur omnes gentes ad promissionem Dei vocat , ac si prior ille populus non obtemperarit.

1 Rom. II, I.

PSALMUS XCV.

Canticum ipsi David, quando domus ædificabatur post captivitatem[1].

« Cantate Domino canticum novum, Cantate Domi» no omnis terra. Cantate Domino, benedicite nomini » ejus[2]. » Cum in præcedenti psalmo de Judaïco populo dictum fuisset, « Semper errant corde; et, Sicut juravi » in ira mea, si introibunt in requiem meam : » quia illos primum ad eam secundum Deum exultationem advocans, immorigeros invenisset, ad vocationem gentium transit. His porro Apostolos et Evangelistas Salvatoris compellat, ut palam est ex verbis, « Annuntiate de die » in diem salutare ejus, » quæ deinceps sequuntur, et ex his, « Annuntiate inter gentes gloriam ejus, in omnibus » populis mirabilia ejus : » non aliorum enim, quam Salvatoris nostri Apostolorum opera, hi sermones ad rem deducti sunt. Quare ob novum Testamentum, et ob Evangelicum novum canticum, per ipsos omnibus gentibus prædicatum, ipsos solos sic compellare conveniebat. Hi itaque jubentur cantare Domino canticum novum in universa terra : quod etiam opere perfecerunt, quando » in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis » terræ verba eorum[3]. » Erat porro canticum illud novum, salutare Evangelium, quod non vetera illa Moysis legalia complectebatur, sed Christi præcepta omnibus Græcis congruentia : illa quippe Mosaïca non hujusmodi erant. In exordio itaque jubet ipsi Domino cantare can-

[1] Psal. XCV, 1. — [2] Ibid. 2. — [3] Psal. XVIII, 5.

ticum novum. Quia vero non poterat omnis terra intelligere quis esset Dominus, neque profundiores de Domino sermones capere; necessario dictum repetit hoc modo, « Cantate Domino, benedicite nomini ejus », cujus hæc est sententia : si universæ per orbem gentes, quis sit totius mundi opifex, et quis universorum Dominus, capere non valeant; neque intelligere possint, quomodo Dei Verbum, opifex cum sit, occulta et invisibili virtute omnia administret et gubernet; at satis est illis, utpote solummodo initiatis, benedicere nomini ejus. Ipsum quippe Domini nomen, nudumque ipsius vocabulum cum laude et benedictione pronuntiatum, magnam potest benedicentibus utilitatem conciliare, et majorem sane, quam iis qui Abrahamo benedicerent : ad quem dictum est, « Benedicentes te benedicentur [1] ».

Novum porro canticum post captivitatem per totum orbem celebrent novi orbis incolæ. Quamobrem ait psalmi titulus, « Quando domus ædificabatur post captivi» tatem. » Cum enim magna illa domus Dei, Ecclesia scilicet ejus, in omnibus gentibus post animarum captivitatem excitanda erat a magno illo et sapiente architecto Dom. et Salv. nostro, de quo ait Propheta, « Hic » ædificabit civitatem meam, et captivitatem populi mei » reducet [2] » ; tunc ipse Servator, impleturus ea quæ a Prophetis prænuntiata fuerant, præ manibus accipiens Hesaïæ clausulam ex ipsius persona dicentem, « Spiritus » Domini super me, eo quod unxerit me, evangelizare » pauperibus misit me, prædicare captivis dimissio» nem, et cæcis visus restitutionem, [3] » replicato post lectionem libro, dixit, « Hodie impleta est hæc Scrip» tura in auribus vestris [4] : » docens se esse illum, non corporeo unguento perinde atque alios corporeos christos,

[1] Gen. XII, 3. — [2] Isai. XLV, 13. — [3] Isai. LXI, 1. — [4] Luc. IV, 18.

sed Spiritu paternæ deitatis unctum, atque ideo Christum vocatum fuisse : a se item Evangelium iis qui anima captivi erant prædicatum esse secundum prophetiam. Judæorum itaque Prophetæ non talia canebant, neque bonorum Evangelia iis, qui ævo suo existerent, prædicabant; sed similia iis quæ Moyses in magno cantico ad populum dicit : « Filii vituperabiles, generatio tortuosa et » perversa, hæccine Domino redditis? siccine populus » stultus et non sapiens [1]? » et quæ sequuntur : ubi adest item illud, « Irritaverunt me in alienis, in abominatio- » nibus suis exacerbaverunt me. Immolaverunt dæmo- » niis, et non Deo[2]; » et illud, « Ipsi provocaverunt me » in non deo, irritaverunt in idolis suis. [3] » Hesaïas vero his affine canticum edens dicebat : « Cantabo dilecto » canticum dilecti mei, vineæ meæ[4] : » quibus adjicit : « Quid faciam vineæ meæ, quia expectavi ut faceret » uvam, fecit autem spinas? Auferam sepem ejus, et erit » in direptionem; et destruam turrim ejus, et erit in » conculcationem : et relinquam vineam meam [5], » et cætera. Jeremias item lamentationes canebat contra Judaïcum populum : reliqui pariter Prophetæ, ruinam eorum deplorantes, congruentia item cantica edebant. Novum autem gentibus annuntiatum canticum illis simile non erat; sed novorum ac recentium bonorum promissa complectebatur, non Judæorum populo, sed omni terræ annuntiata. Accuratissime autem titulus indicat, tunc canticum novum gentibus annuntiandum esse, « quando » domus ædificabatur, post captivitatem. » Et alioquin, post Judæorum captivitatem ac post ruinam eorum et iram Dei immissam ipsis, quam vaticinatus est præcedens psalmus dicens, « Semper errant corde. Ipsi vero non

[1] Deut. XXXII, 5. — [2] Ibid. 16. — [3] Ibid. 21. — [4] Isai. IV, 1. — [5] Ibid. 4.

» cognoverunt vias meas, sicut juravi in ira mea, si in-» troibunt in requiem meam, » omnes homines orbem incolentes, cum Barbari, tum Græci, cum apud eos domus Dei, scilicet Ecclesia ejus constitueretur, deposito eo quod in diabolicum plurium deorum cultum edere solebant, novum canticum canere edocti sunt. Ex illo namque tempore salutare Dei ipsis annuntiant, cum per totum orbem sacrorum Evangeliorum lectionibus utuntur.

« Annuntiate de die in diem salutare ejus. Annuntiate » in gentibus gloriam ejus, in omnibus populis mirabilia » ejus. [1] » Quibusnam hæc præcipi putandum est, nisi iis qui diu postea hæc operibus compleverunt; iis videlicet qui in omnibus gentibus salutare Dei prædicaverunt? His quippe divinus Spiritus jamdiu et multo ante tempore id agere præcipiebat. Iisdem quoque sequentia denuntiant, utpote qui Domini gloriam in omnibus gentibus, in omnibus populis mirabilia ejus prædicaturi essent. Quinam igitur sunt qui hæc operibus perfecerunt? Si quidem possent alii sive Cyri sive Darii tempore indicari, [quibus hæc competerent; illos prophetia respiceret. Sed cum nulli sint hujusmodi], hæc præcepta Discipulis Jesu traduntur, qui hæc audiunt : « Euntes » docete omnes gentes [2] ». Vult enim Spiritus sanctus eos strenua et indesinenti opera Evangelicum opus perficere; nam id his verbis declaratur, « de die in diem, » ut scilicet assidue salutare illud annuntient, de quo dictum est : « Hic est vere Salvator mundi[3] ».

« Afferte Domino patriæ gentium, afferte Domino » gloriam et honorem, afferte Domino gloriam nomini » ejus [4] ». Canticum novum canere in principio psal-

[1] Psal. xcv, 3. — [2] Matth. xxviii, 19. — [3] Joan. iv, 42. — [4] Psal. xcv, 7, 8.

modiæ non frustra præcepit; sed quia vocationem et prædicationem novam hic psalmus complectebatur. At enim, ut ipse vides, gentes quæ vocantur, non vitulos, non agnos, non quidpiam extraneum ex imperfectis animalibus, (quidvis enim irrationale imperfectum est); sed seipsas immolare, atque illi, utpote Deo, gloriam et honorem afferre jubentur. Quia vero non operibus tantum, vel sana doctrina ipsum ut Deum celebrare, sed etiam sacrificia ei offerre par est; ideo adjicit : « Tollite » hostias, et introite in atria ejus, adorate Dominum in » atrio sancto ejus. Commoveatur a facie ejus universa » terra : dicite in gentibus, Dominus regnavit [1] », et cætera. Hostias hic dicit rationabiles illas et spirituales, quas assidue videmus pro piis offerri et a Sacerdotibus immolari, cujusmodi sunt virtutes : atria autem vocat Ecclesias, ubi novi Testamenti hostiæ offeruntur; videlicet spiritualis cultus, bonorum operum fructus, oblationes gratiarum actionis. Et alias non hæc Judæis præcepit, ne quis suspicetur hic de legalibus hostiis sermonem haberi; sed familiis gentium, de quibus per alium Prophetam Deus Judæos alloquens ait : « Non est voluntas » mea in vobis, et sacrificium non accipiam de manibus » vestris : quia ab oriente sole usque ad occidentem ma- » gnum est nomen meum in gentibus : et in omni loco » incensum offertur nomini meo et oblatio munda [2] ». Et probe quidem : nam illud, « Tollite hostias », id est, vestram de hostiis cogitationem sublimem agite, nec vili et humili intelligendi more boves aliave animalia immoletis; sed sublimiori modo hoc dictum intelligentes, spirituales et cœlestes offerte hostias, quarum exempla et umbræ erant illa sensibili ritu oblata sacrificia. Quas porro hostias hic psalmus exigat, docet beatus Paulus his

[1] Psal. xcv, 9, 10. — [2] Malach. I, 10.

verbis : « Exhibete corpora vestra hostiam puram, vi-
» ventem, Deo placentem, rationabile obsequium ves-
» trum, et introite [1] », inquit, per quam semitam ? per fidem videlicet : ipsa enim est ingressus ad salutem.

« Lætentur cœli et exultet terra, commoveatur mare » et plenitudo ejus. Gaudebunt campi et omnia quæ in » eis sunt [2] ». Pro illo, « Commoveatur mare », secundum Aquilam dicitur, « Tonabit »; secundum Symmachum vero, « Sonabit ». His porro significatur, Evangelicam prædicationem ipsa maria et insulas in mari positas, necnon homines ipsas incolentes, peragraturam esse; qui homines plenitudo ejus vocantur. Quod ipsum ad finem deductum est. Jam enim Ecclesiæ Christi omnes insulas replent, salutarisque doctrina in dies extenditur et accressit, ad eos usque qui Oceanum incolunt propagata. « Et tunc exultabunt omnia ligna sylvarum a facie » Domini, quia venit, quoniam venit judicare terram. » Judicabit orbem terræ in justitia, et populos in veri- » tate sua [3] ».

[1] Rom. XII, 1. — [2] Psal. XCV, 11. — [3] Ibid. 12, 13.

PSALMUS XCVI.

Ipsi David, quando terra ejus restituta est[1].

« DOMINUS regnavit, exultet terra, lætentur insulæ » multæ. » Quoniam in Septuaginta interpretum versione hic titulus affertur, dicamus, Davidem in multas delapsum calamitates cum a Saüle pelleretur, deserta loca frequentaret et apud Allophylos moraretur; tunc, cum scilicet a bellis vacaret, hunc psalmum, ut arbitror, cecinisse, cum jam terra ejus restituta esset, quando sublatis inimicis omnibus, et animus et regnum ejus in securitate, in pace, et tranquillitate degebat. Tunc ergo Propheta, pacatis rebus suis, ad hanc efferendam doctrinam a divino Spiritu movetur. Quia vero neque canticum, neque psalmus inscriptus est apud Hebræos, dixeris hæc prophetiam et doctrinam simplicem esse, quæ ad secundum et gloriosum Salvatoris nostri adventum spectant, complectentem : quem Daniel his verbis commemorat : « Videbam, et ecce in nubibus cœli Filius ho» minis aderat, et usque ad antiquum dierum pervenit. » Et ipsi datum est imperiun et honor et regnum : et » omnes populi, tribus et linguæ ipsi servient. Regnum » ejus regnum sempiternum, et potestas ejus non aufe» retur[2]. » Tunc, inquit, exultabit omnis terra, id est, nova creatura, et omnes Dei homines qui a sæculo terram incolunt, sive etiam qui cœlestem illam terram possessuri sunt, secundum illud, « Beati mites, quoniam » ipsi possidebunt terram[3] ». Nam cum corporea sub-

[1] Psal. XCVI, 1. — [2] Dan. VII, 13. — [3] Matth. V, 4.

stantia in incorruptionem, per resurrectionis legem, mutata fuerit, exultabit terra, utpote quæ regno cælorum et ipsa donanda sit.

« Lætentur insulæ multæ »; multæ videlicet, sed non omnes, eorum causa qui prave sentiunt : neque enim par est ut impii gaudeant. Insulas siquidem Scriptura sacra, Ecclesias subinde vocat; utpote quæ his in locis velut in mari jaceant, immanique aquarum fluxu, calamitatibus videlicet, circumdentur, ac persecutionibus, ceu decumanis fluctibus jactentur; verum sine detrimento, utpote quæ fultæ et in sublime erectæ sint, atque in ærumnis non demergantur. Nam Christi opera Ecclesiæ immobiles manent, et portæ inferi non prævalebunt adversus eas. Si quis ergo per insulas, Ecclesias ex gentibus intelligi voluerit, a vero scopo neutiquam aberrabit. Innovantur enim erga Deum insulæ apud Hesaïam [1], Ecclesiæ nempe ex gentibus, quæ nuper constitutæ sunt, atque ab illa salsa et marina incredulitate emerserunt, ac soliditatem accipiunt, ut Dei vestigia ferre possint[1]. Pulchre item animas eorum, qui in tentationibus versantes firmitatem et immobilitatem exhibent, hic insulas vocaverit, quas undique malitiæ procellæ impetunt; neque tamen irrumpentes id efficere valent, ut virtutis firmitati succussionem inferant.

« Nubes et caligo in circuitu ejus, justitia et judicium » correctio throni ejus [2] » Nubes quidem est ex splendente aëre radians et tenuissima compositio; caligo autem, turbida et obscura tenebrarum offusio. Per utrumque vero divinæ naturæ invisibilitatem sermo declarat. Quemadmodum enim eum, qui nube quadam et caligine obvolvitur, conspicere plane non licet; sic et invisibilis natura videri prorsus nequit. Significat item latentem

[1] Isai. XLI, 1. — [2] Psal. XCVI, 2.

Domini ad homines adventum, quando in servi forma natus est; ita ut nubes et caligo caro esse, quam assumpsit, intelligatur; utpote quæ deitatem operiat, secundum illud, « Posuit tenebras latibulum suum : in » circuitu ejus tabernaculum ejus [1] ». Monet etiam ipsum esse qui in monte Sina in nube et caligine se exhibuit : ac docet, etiamsi divina natura videri nequeat, posse tamen ex operatione ejus virtutem conspici. Siquidem justitiam homines docuit; ac eos qui omnia sine delectu et discretione peragebant, ut cum recto judicio vitam agerent, instituit. Hoc ipsius thronus ac regnum effecit : quare addit, « Justitia et judicium cor» rectio ejus ». Hæc fuit, inquit, adventus illius causa, ut judicaret juste causam nostram, quam contra malignas et adversarias potestates habemus. In nos quippe regnavit Christus, ut fide justificaret eos qui in peccato erant. Judicio autem est usus plane divino, ac humanissimo : judicavit enim, non ex operibus justitiæ, sed secundum misericordiam suam magnam : nosque per aquam sanctam et mysticam salvos effecit, in qua contritus et conculcatus fuit, imo potius periit, draco ille multis capitibus instructus, ac cum eo virtutes ejus malignæ. Hæc correxit Christi regnum. Id sane hinc palam est, quod nos quidem ab iis qui nos injuste in servitutem redegerant liberati simus; illi vero condemnati sint. Hæc quippe vera justitia est, ut is qui tyrannidem exercebat diabolus destruatur; homines vero qui sub tyrannide degebant liberentur. Cæterum id quoque a nobis expetit, ut justitiam et judicium recte exerceamus.

« Ignis in conspectu ejus exardescet, et inflammabit » in circuitu inimicos ejus. Illuxerunt fulgura ejus orbi » terræ : vidit et commota est terra. Montes sicut cera

[1] Psal. XVII, 12.

» liquefacti sunt a facie Domini, a facie Domini omnis » terræ. Annuntiaverunt cœli justitiam ejus, et viderunt » omnes populi gloriam ejus. Confundantur omnes qui » adorant sculptilia, qui gloriantur in idolis suis [1] ». Hic terribilia ultricis illius virtutis per ignem et fulguris splendorem, quæ in secundo Christi adventu videnda sunt subindicat; ac Evangelicam illuminationem revelat, divinæ prædicationis sermones, qui per totum orbem resplendent, fulgura nuncupans. Neque enim dixerimus eum fulguris, pluviæ indicis, mentionem facere, sed divini et spiritualis luminis fulgorem, fulguris nomine significat; aut fortasse fulgura Christi vocat eos, qui sacrum divinæ et Evangelicæ prædicationis munus obierunt; id est, Apostolos et Evangelistas, qui instar luminis orbem terrarum illustrarunt: quibus etiam Christus dixit, « Vos » estis lux mundi [2] ». Nam vera lux est ipse Filius, qui omnem creaturam rationabilem illuminat. Quia vero lucis illius participes fuerunt secundum illud, « Carbones » succensi sunt ab eo [3] », ideo lux sunt hujus mundi. Hi itaque veluti fulgura facti sunt, totam ubique terram percurrentes, ac divinam spiritualemque lucem initiatorum cordibus immittunt: ignem porro psalmista dicit, non hunc sensibilem, neque flammam illam quæ sub aspectum cadit, sed divinam quamdam virtutem inexpugnabilem, cui non obsisti, quæ non effugi potest, quæ ignis instar hostes suos devorat. Hi autem erant præ aliis perniciosi dæmones, et gregis eorum præfectus, quem Salvator cum aliis combussit. Neque alias poterant qui in terra illi subjecti erant liberari, nisi, ceu ignem quempiam consumptricem ad perniciem et destructionem, iram suam immisisset in illum. Sic ille liberavit eos qui subditi fuerant, captivos eripuit, errantes reduxit, et in

[1] Psal. xcvi, 3, 4, 5, 6, 7. — [2] Matth. vi, 14. — [3] Psal. xvii, 9.

veritatis lucem evocavit. Fortasse vero ignis et fulguris meminit David, videlicet flammæ et lucis; quia duplex igni efficacia inest : non enim urendi solum, sed etiam illuminandi vim habet; ac lucem quidem justis impertit, combustio autem iniquis reservatur. Hæc sunt secundi adventus vaticinia : hæc Daniel vidit : nam ait, « Flu- » vius igneus trahebat in conspectu ejus [1] »; et Dominus dicit, adventum suum, ut fulgur ab oriente ad occidentem pertingens, futurum esse [2]. Ignis quidem ejus præcedet inimicorum causa; amicorum vero ac religiosorum hominum gratia, fulgura a luce ejus emissa loco solis orbem illustrabunt. Si enim tunc « sol obscurabitur, et » luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cælo [3] », secundum Salvatoris doctrinam; unde alias mundus illuminabitur, nisi ex ipso? quandoquidem est ipse Dominus lux æterna.

« Adorate eum omnes Angeli ejus : audivit et lætata » est Sion, et exultaverunt filiæ Judææ propter judicia » tua, Domine [4] ». Sion quidem Ecclesiam Christi esse sciendum est; filias vero Judææ, apostolicas animas ex Judæorum gente oriundas, quæ sane impletæ sunt gaudio et exultatione; cum de judiciis Domini audierunt, de que suppliciis, quæ idolorum cultoribus reposita sunt, nec non de promissis, quæ gentibus reservantur. Et merito quidem gaudent, utpote ipsi addictæ, ac sperantes se glorioso ejus adventu dignandas esse. « Quoniam tu es » Dominus Altissimus super omnem terram, nimis exal- » tatus es super omnes deos. Qui diligitis Dominum, » odite malum : custodit Dominus animas sanctorum » suorum, de manu peccatorum liberabit eos [5] ». Si malum, inquit, aversati, sancti efficiamini; tunc vobis

[1] Dan. vii, 10. — [2] Matth. xxiv, 27. — [3] Ibid. 29. — [4] Psal. xcvi, 8. — [5] Ibid. 9, 10.

continget Dei præsidio muniri, atque a manu diaboli liberari : is enim proprie peccator dicitur. Modus itaque dilectionis erga Dominum est, odisse mala ; merces autem illius est, ipsum in vitæ præsidium obtinere, atque insurgentibus inimicis superiorem evadere. Videns quanta pro Dei dilectione accipimus? Sancti vero efficimur, cum ipsi addicti sumus, atque Deum custodem magni illius prædii, animæ scilicet nostræ, nanciscimur; ita ut non ultra sub manu et potestate inimici maneamus : nam « lux orta est justo et rectis corde lætitia. Lætamini justi » in Domino, et confitemini memoriæ sanctificationis » ejus [1] ».

[1] Psal. xcvi, 11, 12.

PSALMUS XCVII.

Psalmus ipsi David[1].

« Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia » fecit. » Hic item psalmus eidem sententiæ insistit : nam utrumque Salvatoris adventum vaticinatur, sed multo magis de secundo edisserit. Jure autem canticum novum Deo offerre præcipit, quia pristinarum rerum mutationem prædicat, prænuntiatque novum vitæ institutum. At enim ea quæ a Deo universorum pro salute nostra peracta sunt, supernaturalia sane sunt ac stupenda. Servator quippe noster mundo adveniens, ac Dei gratia pro omnibus mortem degustans, ut tolleret peccatum mundi, ut ex sequentibus versiculis demonstrabitur, magnis et arcanis nos dignatus est mysteriis. « Salvavit » sibi dextera ejus, et brachium sanctum ejus. » Salvatorem esse dexteram et brachium Dei, jam pluribus ex dexteræ et brachii significatione commonstratum est. Dextera itaque Dei eos, qui ad beatitudinem erecti sunt, salvos ipsi custodit. Non enim omnis qui salvus est, Domino Deo servatur; sed solus et omnis ille qui secundum rectam rationem a malis et morbis liberatur, et veritatis cognitionem cum pietate assecutus est. Nam qui ex morbis et vulneribus servatur, non penitus Deo salvus est, maxime vero cum ignorat se a Deo incolumitate donatum. Sanctum porro Dei brachium est, non participatione sanctitatis; sed quia Spiritus sancti brachium est. Et fortasse dextera quidem, Dei vis operandi, quæ non alia

[1] Psal. XCVII, 1.

quam Deus Verbum est, vocatur; quia dextere, id est, sancte, sapienter, inculpate, laudabiliter omnia efficit; brachium vero ob fortitudinem ac robur præstantissimum.

« Notum fecit Dominus salutare suum, in conspectu » gentium revelavit justitiam suam. Recordatus est mi» sericordiæ suæ Jacob, et veritatis suæ domui Israël. » Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri [1]. » Olim Abrahamo pollicitus, in semine ipsius benedicendas esse omnes gentes, verborum veritatem per rerum eventum confirmavit : et misericordiam, quam se exhibiturum esse cum juramento promisit, ad rem deductam esse demonstravit. Hæc porro multum affinia videntur vaticiniis Hesaïæ, per quem Pater unigenito suo ait : « Dedi » te in testamentum generis, in lucem gentium, ut sis » in salutem usque ad ultimum terræ [2]. » Quia enim admirandis illis patriarchis et Davidi universorum Deus promiserat, se ex semine eorum Christum secundum carnem excitaturum, ac per illum salutem omnibus hominibus daturum esse, hujusmodi pollicitationem patribus datam, Testamentum vocavit. Ipsius autem genus Israëlem vocavit; quia Christus secundum carnem ex Judæis est. Dedi te igitur in testamentum generis; id est, ut pacta cum Judæis inita impleantur; sed in lucem dedi te, non ultra Judæis, sed gentibus : per fidem enim hæ salutem nactæ sunt; illi vero infidelitatis caliginem dilexerunt. Id ait hoc loco David : « Recordatus est misericordiæ suæ » Jacobo, » scilicet Israëli, id est, datas ipsis promissiones implevit, et ad rem deduxit : quare « viderunt » omnes termini terræ salutare Dei nostri. » Evangelio enim in omni terra, secundum Christi vaticinium, et in universo terrarum orbe in testimonium omnibus genti-

[1] Psal. XCVII, 2, 3. — [2] Isai. XLIX, 6.

bus prædicato, viderunt omnes fines terræ Christum salutare Dei.

« Jubilate Deo omnis terra, cantate et exultate et » psallite. Psallite Domino in cithara, in cithara et » voce psalmi, in tubis ductilibus, et voce tubæ corneæ. » Jubilate in conspectu Regis Domini[1], » et cætera. Ad verbum quidem ait, Hymnis adjungite instrumenta psalmica. Secundum anagogicum autem interpretandi modum, cithara est practica; vox vero psalmi, theoria. Domino itaque, ait, praxi et theoria laudem dicite : et præter psalmum instrumento pulsatum, videlicet præter corporis actiones cum virtute editas, vox item canat, id est, agendarum rerum theoria sive speculatio addatur : citharam quippe vocat, corporis cum anima concentum. Hanc porro legem videre liceat assidue in Ecclesiis impleri : nam spirituali cithara divinam pulsamus melodiam. Imo etiam ora nostra citharas rationales efficimus; et pro chordis, dentibus utimur; pro ære, labiis : quovis autem plectro celerius agitata lingua, concinnum edit pulsationum sonum : mens autem linguam movet, ceu peritus quidam musicus scite ejus mutationem efficiens. Hæc cithara Deo gratior est, quam illa animi expers. Cujus rei testis ipse est per Prophetam hæc clamans, « Averte a nobis sonum canticorum tuorum, et vocem » instrumentorum tuorum non audiam. In nobis duc- » tilibus, et voce tubæ corneæ[2]. » Tubæ ductiles dicuntur sermones Apostolorum Servatoris nostri, ob probatam et igne examinatam eorum fidem; corneæ vero propter actiones. Boum enim sunt tubæ corneæ : est autem bos animal laboriosum. De Apostolis vero ait Paulus : « Numquid » de bobus cura est Domino[3]? » vel propter nos omnino hoc dicit. Voces itaque sacrorum Salvatoris Apostolorum,

[1] Psal. xcvii, 4. — [2] Amos. v, 23. — [3] 1 Cor. ix, 9.

ductiles simul et corneæ tubæ erant. Alio autem modo, citharam ne cuncteris dicere universum Christi populum, ex diversis animabus, tamquam ex pluribus chordis, concinnatum, atque unicam orationem et gratiarum actionem Deo offerentem.



PSALMUS XCVIII.

Psalmus ipsi David[1].

« Dominus regnavit, irascantur populi, qui sedet super » Cherubim, moveatur terra. » Hic psalmus apud Hebræos titulo caret : estque unus ex iis qui Christi regnum annuntiant. Cum enim nemo irasci se dicat quod Deus universorum in omnes regnum obtineat; de Christi tamen regno ait præsens sermo populos irasci, videlicet populos ex circumcisione et ex gentibus, qui in ipsum non credunt. Quis sit autem Dominus, mox declarat dicens, « Qui sedet super Cherubim. » Mordet enim infideles, ipsisque dolet gentium pro salute studium : siquidem propheticas de regno ejus voces non intellexerunt. « Moveatur terra. » Dæmones enim, qui olim plurimum valebant, infirmati sunt; ita ut omnes eorum virtutes commotæ sint, et operationes cessaverint. Homines quoque terram incolentes, resipiscentes, paterni erroris perniciem agnoverunt, Deum Verbum sibi Dominum adscribentes. Imo vero qui in eum increduli fuerunt, vehementer commoti sunt, vi doctrinæ ejus concussi atque perculsi. Illud autem, « qui sedet, » quasi homines alloquens ait. Natura quippe incorporea incomprehensa et incircumscripta est. « Dominus in Sion magnus, et excelsus » super omnes populos[2]. » Sion significat speculam; sic autem appellare divina Scriptura solet omne religiosum institutum, atque hoc modo indicantur ii qui cœlestia speculantur, qualis erat Apostolus qui ait : « Non specu-

[1] Psal. xcviii, 1. — [2] Ibid. 2.

» lantibus nobis terrena, sed cœlestia[1]. » Apud illos enim magnus est Deus.

« Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile » et sanctum est[2]. » Nunc quidem irascuntur populi adversus regnum Salvatoris nostri : erit porro tempus quo ipsi quoque nomini magno ejus confitebuntur, « quando omne genu flectetur cœlestium, atque terres- » trium, et omnis lingua confitebitur, quia Dominus » Jesus in gloria Patris. Et honor regis judicium dili- » git[3]. » Honor et virtus Regis cum judicio, aliis quidem nomen ejus terribile, aliis vero sanctum merito efficit. Si enim qui legem ejus transgrediuntur, per ipsam transgressionem illum inhonorant, qui divinam legem exequuntur, vice versa, per ejus executionem regem ipsum qui legem dedit honore afficiunt, judicium ejus diligentes : scientes justum esse judicium ejus, ac se divina præmia consecuturos esse, quia secundum voluntatem ejus pie et juste vitam egerunt.

« Tu parasti directiones, judicium et justitiam in Ja- » cob tu fecisti. Exaltate Dominum Deum nostrum[4], » etc. Nemo, inquit, existimet hic alium dominum gloria celebrari, quam Deum qui legem dedit in deserto. Tu enim, inquit, Domine, cujus regnum vaticinamur, idem ipse es qui populo ex circumcisione judicium et justitiam præcepisti, secundum statutam ipsis legem, justificationes et judicia complectentem. Tu autem ipse parasti directiones, retributionis tempore iis reddendas qui judicium et justitiam custodierint. « Moyses et Aaron in sa- » cerdotibus ejus, et Samuel inter eos qui invocant » nomen ejus. Invocabant Dominum, et ipse exaudie- » bat eos, in columna nubis loquebatur ad eos, custodie-

[1] 2 Cor. IV, 18. — [2] Psal. XCVIII, 3. — [3] Philip. II, 10. — [4] Psal. XCVIII, 4.

» bant testimonia ejus, et præcepta quæ dedit illis [1]. » Illud, « Si crederetis Moysi, crederetis utique mihi, de » me enim ille scripsit [2], » ejusdem sententiæ est atque illa quæ jam tractamus. Nam eumdem, inquit, et non alium Dominum, qui jam Deus prædicatur, Moyses, Aaron et Samuel, ac si quis alius, sive Prophetarum, sive sacerdotum, invocabant. Et hic erat ipsum Dei Verbum, jam apud omnes populos excelsum et apud universas gentes gloria affectum, quod illos olim exaudiebat, et in columna nubis loquebatur ad eos. Neque alio modo memorati viri tantam dignitatem nacti sunt, nisi quia testimonia ejus et præceptum, quod dedit illis, custodiebant. Sic itaque ille per novum Testamentum præcepta et mandata atque testimonia nobis dedit, quæ si custodiamus, paria et ipsi obtinebimus.

« Domine Deus noster tu exaudiebas eos, tu propitius » fuisti eis, et ulciscens in omnes adinventiones eo» rum [3]. » Tu, inquit, Dominus et Deus noster, omnium rex, qui a nobis prædicaris, ipse eras qui Moysem et Aaronem exaudiebas, ac tantam illis addebas fiduciam, cum te exacerbanti populo propitium redderent, quique illos multa benevolentia dignabare. Etiamsi enim in quasdam infirmitates laberentur, utpote homines, quemadmodum Moyses in incredulitatem circa aquam, et Aaron in conflationem vituli; tu ut optimi patris optimus filius, propitius ipsis eras, ac mortali infirmitati veniam concedebas. « Et ulciscens in omnes adinventiones eorum. » Etiamsi, inquit, utpote homines, in aliquo peccare viderentur; tu castigabas eos, cum castigatione opus erat. Nam de conflato vitulo Aaron redarguebatur, et Moyses apud aquam contradictionis.

« Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate in

[1] Psal. XCVIII, 5 6, 7. — [2] Joan. v, 45. — [3] Psal. XCVIII, 8.

» monte sancto ejus, quoniam sanctus Dominus Deus » noster. » Nihil, inquit, humile et humanum de Domino sentite; sed excelsa de illo cogitantes ipsum exaltate, ipsique debitum exhibete cultum. Mons autem sanctus olim Sion vocabatur, nunc vero divinæ sublimitas cognitionis; ita enim Hesaïas et Michæas vaticinati sunt, « Erit in novissimis diebus manifestus mons Domini [1]; » id est, Dei cognitio aperta omnibus erit. Nam ipse quoque Apostolus montem Sion spiritualem agnovit : ait quippe, « Accessistis ad montem Sion, et civitatem Dei viventis, » Jerusalem cœlestem [2]. » Jubemur itaque pro collata nobis a Deo cognitione ipsi adorationem offerre : qui Dominus noster est, quia nos servi ejus sumus; et Deus item est, utpote opifex. Atque ita spirituali more psalmum intelligamus.

[1] Isai. II, 2. — [2] Hebr. XII, 22.

PSALMUS XCIX.

Psalmus in confessionem[1].

« JUBILATE Domino omnis terra[2]. » Id est, gentes quæ in terra sunt : quæ his verbis ad pristinorum peccatorum confessionem evocantur, in quibus quando idolorum errori deditæ erant, volutabantur. Quamobrem psalmus inscriptus est, « In confessionem. Servite Domino in lætitia, » ipsius jugo vos submittentes. Perinde namque est servire ipsi, atque servire luci, et servire vitæ, veritati, justitiæ et sanctitati : hæc quippe omnia Dominus est. « Introite in conspectu ejus in exultatione. » Si quis autem non serviat ipsi in lætitia, ne audeat conspectui ejus se sistere, illotis pedibus ad Ecclesiam ejus accedens. « Scitote quoniam Dominus ipse est Deus : ipse fecit nos, » et non ipsi nos, populus ejus et oves pascuæ ejus[3]. » Cum enim noverimus ipsum Deum, ipsum Dominum esse, tunc per illam cognitionem in conspectum ejus ingressi, ipsum opificem nostrum esse confitebimur. Quod enim non nos ipsi nos faciamus, etsi auctores videamur esse generationis liberorum, hinc palam est, quod ex patre et matre geniti Job et David, ambo tamen dicant, « Manus » tuæ fecerunt me et psalmaverunt me[4]; » ac Jeremiæ ipse Deus ait, « Antequam te formarem in utero, novi » te[5]. » Nam uxorem, quæ errore ducta viro suo dicebat, « Aut da mihi liberos, sin minus occide me[6], » vir, cum sapiens esset, docte increpat his verbis, « Numquid

[1] Psal. xcix, 1. — [2] Ibid. 2. — [3] Ibid. 3. — [4] Psal. cxviii 73; Job. viii, 10. — [5] Jer. i, 5. — [6] Gen. xxx, 1. Vulgata, alioquin morior.

» pro Deo ego tibi sum, qui privavit te fructu ventris? » Etiamsi enim patres videantur liberos procreare; at Deus illos efficit : ac ille quidem causa est, illi vero cooperantur, utpote qui jussui ejus primitus dato obsecundent. Quamobrem multi etsi liberos suscipere peroptent, non possunt tamen. Symmachus vero ait, « Ipse fecit nos, non » existentes. Nos autem populus pascuæ ejus et oves ma- » nus illius. » His vero non dominatum modo suum, sed etiam providentiam suam indicavit : non solum enim Dominus noster est, sed etiam pastor cum sit, bona nobis pascua offert. « Nos autem populus ejus, » utpote regis; oves autem ejus, utpote pastoris : populus sunt, qui meliores et rationabiliores; oves autem, qui iis inferiores sunt, et irrationabiliorem ordinem obtinent, neque divinorum oraculorum periti sunt; secundum illud, « Erravi » sicut ovis quæ periit[1]. » Cæterum cum omnium Deus et conditor sit, omnia vocat, omnia sibi propria efficit. « Homines » quippe « et jumenta salvat Deus[2]; » illos quidem, ut populum suum; illa vero, ut oves manus suæ.

« Introite portas ejus in confessione, atria ejus in » hymnis[3]. » Commemorate, inquit, mala, in quibus prius versabamini, quando ab aliis pravis dominis abducti, procul a Domino agebatis. Quare pristinarum impietatum confessione, ceu aspergillo usi, ingredimini portas ejus cum fiducia : quia secundum portas, id est, post principia et primos servitutis Dei ingressus, in interiora et in atria transeuntes, non ultra confessione utemini, sed hymnis deinceps ipsi vacaturi estis. Quemadmodum enim primo in portas, deinde in aulas ingredi opus est; ita primo peccata confiteri oportet, postea vero Deum hymnis celebrare, ut lingua per confessionem purgata, purus hymnus offeratur. « Confitemini illi. Laudate no-

[1] Psal. CXVIII, ult. — [2] Psal. XXXV, 7. — [3] Psal. XCIX, 4.

» men ejus, quoniam suavis est Dominus; quoniam in » æternum misericordia ejus, et usque in generationem » et generationem veritas ejus [1]. » Consentaneum est, inquit, gratias agere, ac eum hymnis celebrare, qui ineffabili erga homines clementia est usus, et qui bonis suis pollicitationibus terminum posuit. Nam quæ in proavorum generatione promiserat, ea ævo nostro implevit; et quam pollicitus erat salutem, eam vere impertiit : neque ullus finis futurus est ejus erga nos beneficii, quod est veritas, secundum illud, « Recordatus est testamenti sui in » sæculum. » Aut illud, « confitemini, » sic accipiendum est; tanquam medico animæ vulnera ipsi per confessionem detegite. Confidenter autem id agite, bona de ipso doctrina imbuti : quoniam bonus est et multæ misericordiæ et verax, et in omni generatione sermones ejus veritatis pleni sunt.

[1] Psal. XCIX, 5.

PSALMUS C.

Psalmus ipsi David[1].

« Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine : » psallam et intelligam in via immaculata, quando venies » ad me[2]? » Id est, misericordiam tuam et judicium tuum cantabo, modum explicans quo soles, non primum judicare, deinde misereri; sed primum misereri, postea judicare, ac cum clementia et misericordia sententiam ferre. Quare ego ipse, cum misericordiam et judicium erga proximum exerceam, audeo accedere ad canendum et psallendum tibi. Gnarus itaque quo pacto id peragere opus sit, vias meas inculpatas et immaculatas custodio, persuasum habens hoc modo me tibi placiturum per bona opera psallendo. In posterum igitur, o Domine, ad me venias, paratam apud me mansionem reperturus: quandoquidem omnia apud me bona parata sunt, expectantem quando venies ad me. « Perambulabam in innocentia » cordis mei in medio domus meæ : non proponebam » ante oculos rem injustam, facientes prævaricationes » odivi. » Plerique ex hominibus ementita specie in foro graves et probi videntur esse; domi vero, non occultatis moribus, improbi esse deprehenduntur. Ego vero inquit, « perambulavi in innocentia cordis mei, in medio » domus meæ, » nullas in me habens cogitationes malas ex corde prodeuntes. Nunquam enim ex affectu peccabam : sed si quid mihi humanitus acciderit, id non ex proposito meo factum est[3].

[1] Psal. c, 1. — [2] Ibid. 2. — [3] Ibid. 3.

« Non adhæsit mihi cor pravum[1]. » Diaboli consilia, utpote quæ rectum nihil habeant, prava sane et perversa sunt, quæ nunquam ait, in corde admisi : gnarus vero, eum qui adhæret justo justum fore, omnem perversum me contingere ac mihi adhærere abnuebam. Nam rectum curvo coaptari nequit, utpote quod quadrare nequeat. « Declinante a me maligno non cognoscebam. » Vir perfectus, qui cor perversum non habet in quod possit malignus operari, Deo repletur ; ita ut malignus, cum locum apud eum non reperiat, declinet ab eo : declinante autem illo, inquit, non cognoscebam, quia præsentiæ ejus sensu destitutus eram, qui nec de illo cogitabam, nec opus cum illo habebam. Hæc porro intelliges quoque de homine maligno, quia nec cum accederet, nec cum discederet, sentiebam, ita pestiferos homines vilipendebam, ac non nosse simulabam : nec enim dignabaramicus eorum esse. Num quia superbus es ? Nequaquam, ait ; sed sciens illud, corrumpunt mores bonos colloquia prava, cum malis societatem non inibam[2].

« Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar[3]. » Cum hominem, inquit, tum cogitationem mihi aliquid mali contra quempiam suggerentem, ex corde pellebam ut carnem clam mordentem. Nam vir probus, qui in omnibus fidenter agere solet, sicut ea quæ clam aguntur, utpote confusione digna, aversatur ; ita secreto contra quempiam vel dicere aliquid vel audire non sustinet : nam id improbi et illiberalis esset : nec ejusmodi res periculo vacat, cum Scriptura dicat « Ne » ames detrahere, ne de medio tollaris ; » et « Nolite » detrahere invicem, fratres, ne sub judicium cadatis[4]. » Quid sit detrahere, quasi exemplo declarandum est : non enim de aliquo clam obloqui quoquo modo, illud est

[1] Psal. c, 4. — [2] 1 Cor. xv, 33. — [3] Psal. c, 5. — [4] Prov. xx, 13; Jac. iv, 11.

detrahere. Plerumque enim de aliquo tunc absente male loquimur, non quod detrahere ipsi velimus, sed dolentes quod is fortasse improbus sit : atque hæc narrare studemus iis, qui perinde atque nos ex dilectionis affectu de illo curant et solliciti sunt. Qui igitur sic contra absentem loquitur, nequaquam maledicus est : (nam maledicus non ita agit;) sed cum voluptate contra quemdam loquitur, non moleste ferens quod ille talia patrarit, sed de ea re lætatur. Ejus namque gesta malevolis recenset, qui ea retegere et renuntiare possunt aliis bene multis. Quid sibi vult autem illud quod adjicitur, « secreto; » cum palam sit quamlibet obtrectationem secreto fieri? Vel id dicit quod agitur; aut ita distinguendum est : obtrectatorum quosdam contra præsentes coram obloqui; hi porro convitiatores et contumeliosi assueto more vocantur; sed tamen quia contra quempiam loquuntur, detractores fuerint; alii vero clam et absentibus iis, quibus maledicitur, obloquuntur. Eum vero, qui hujus ordinis sit, se pellere sanctus ille vir dicit, non autem eos qui coram convitiantur. Is enim in quem maledicta conjiciuntur, vel præsens sese purgabit; vel se talem esse convictus, pudore afficietur. Potest item distingui obtrectatio clam edita ab accusatione coram judice facta. Etenim ipsa quoque in genere oblocutio dici potest; sed quæ clam non fiat. Fructus itaque sanctæ mentis fuerit malignos aversari; extremæ vero malitiæ argumentum contra fratrem obloqui; idque clam neque in conspectu, ne qui accusatur sese purgare valeat; ita ut qui coram nobis alii maledicit, ne quidem a nobis vellicandis coram aliis abstineat. Quamobrem hujusmodi hominem ut communem hostem repellere consentaneum fuerit; utpote qui illum olim in paradiso draconem imitetur, qui contra Deum obloquens, Evam seduxit. Nos autem nec maledicamus,

nec maledicentibus aurem præbeamus. « Auditum, » inquit, « vanum ne excipias : » non ait, ne credas; sed, « ne excipias. » Ideo propheta dicit, « Detrahentem per» sequebar; » neque ait, Non credebam ei, vel, Dicta ejus non admittebam; sed ut inimicum pellebam. Dic detrahenti, Si quempiam laudare vis, aures aperiam, ut unguenta excipiam; sin maledicere velis, verbis tuis aditum intercludam, neque enim fimum et lutum excipere sustinebo. Os fræna detrahenti ad aures tuas, ne cum illo duplicis peccati reus evadas, cum et tu exitioso mori assuescas, et illum a susurris contra proximum non absterreas. Ne aurem tuam linguæ detrahentis præbeas, neque linguam tuam auribus vituperia amantis : dulcia loquare et audias de proximo, ne a charitate excidas, et a vita æterna alienus inveniare. Differunt autem inter se condemnare, despicere et detrahere. Dam detrahere est contra aliquem verba facere, verbi gratia dicere, Ille homo mentitus est, aut, in iram prorupit, aut, mœchatus est, aut quid simile; is enim peccatum fratris sui ex animi motu revelavit. Condemnare, id est dicere, Talis homo mendax est, mœchus, iracundus : nam ut vides ipsum animi ejus affectum et usum damnavit, ac contra totam vitam ejus sententiam tulit, dicens eum illo modo affectum esse. Aliud quippe est dicere, In iram prorupit; aliud vero, Iracundus est. Despicere autem est quasi detestari proximum, et quasi odiosum illum exsecrari : quod etiam ipsa condemnatione perniciosius est.

« Non habitabat in medio domus meæ qui faceret » superbiam [1]. » Superius quidem de amico superbo locutus est; hic autem de famulo loquitur, aitque, Neminem eorum qui superbe agerent domesticum mihi deligebam, neque concedebam ut apud me primas tenerent

[1] Psal. c, 7.

et fidenter agerent : quia scilicet is qui in medio domus est fiduciam et libertatem obtinet : nam hujusmodi homo in oculis domini versatur. Superbiam vero facere, est cum arrogantia se gerere. Dixerit item, Non habitabat in corde meo cogitatio superbiam suggerens. « Qui loque-» batur iniqua, non dirigebat in conspectu oculorum » meorum. » Ut compendio dicam, omnem injustitiam aversabar, neque vel verborum tenus eam ferebam : nam qui loquebatur iniqua nihil promovebat, neque bene rem gerebat in conspectu meo, nec ea quæ in animo haberet perficiebat.

« In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, » ut disperderem de civitate Domini omnes operantes » iniquitatem [3]. » Hic exactam, stabilem et sobriam justitiæ rationem describit : nam ait, neque ira, neque ebrietas cædem mihi suggerebat : ira quippe etiamsi hesterna die me inflammabat, at diuturnitate noctis mitigata fuerat; ebrietas vero licet gravis vespertinis horis adfuisset, somno tamen discussa fuerat. Pura itaque manu et mente contra eos qui in Deum peccaverant instructus et armatus eram, neque ex vino neque ex ira animo ac sententia decipiebat. Peccatores autem non solum per universam terram, sed eos etiam qui in ditione mea erant occidebam : neque simul omnes, sed modo illum, mox alium. Verum nemini puto non manifestum esse hæc ænigmatice dicta fuisse; neque enim ea est dicti sententia, me ineuntibus singulis diebus humano sanguine manus fœdasse meas : id enim præterquam quod detestandum esset, nullatenus credibile est. Quomodo enim singulis matutinis omnes peccatores terræ manu propria conficere potuisset? Neque enim unus omnes superare valuisset, cum, ut verisimile est, magna

1 Psal. c, 8.

esset peccatorum multitudo : ac si eos in bello vicisset, uno in matutino omnes interfecisset, neque singulis matutinis ipsos propria manu interemisset. Quid itaque significet illud? Attentius et prudentius dicta intelligamus, ne prophetica oracula mendacii accusemus, quod nefas esset. Civitas Domini est humanæ structuræ compositio; peccatores autem terræ ii sunt de quibus Salvator ait, « Ab intus ex corde exeunt cogitationes malæ, » homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testi» monia, blasphemiæ. Hæc sunt, quæ coinquinant » hominem [1]. » Hos autem peccatores ex terra ortos, id est, ex terrena carne prodeuntes, dum singulæ de Deo cogitationes exoriuntur, ex propria structura tollit qui sese purgat. Matutinum autem et diluculum in anima est, quoties salutaris dogmatis ortus accidit, quo omnes cogitationes, quæ operantur iniquitatem, de medio tolli oportet. Nisi enim primi animæ motus ad malitiam excindantur, necessarium est cupidines ad opus procedere. Exempli causa, peccator terræ est cogitatio fornicationem suggerens, quæ efficit ut quis mulierem respiciat ad concupiscendum eam : hæc porro nisi in anima occidatur, ac ratione ceu gladio scindente et affectus tollente cædatur, idque in matutino efficiatur, scilicet cum primum illa palam deprehenditur : (nam quidvis conspicuum lux est,) post illam in corde fornicationem, ad gravius etiam peccatum illa hominem deducet; id est, ad corporeum opus evocabit. Id itaque dicit David: Peccatores illos et cogitationes affectusque ex terreno corpore ortos, matutinis orationibus, et assiduis ad Deum emissis precibus castigabam, ac luce cognitionis, declarationeque per confessionem edita, corporeos affectus et impias cogitationes discernebam. , ex quæ

[1] Matth. xv, 19.

corde meo exterminabam. Hoc quippe est civitas Domini utpote domus Spiritus sancti, secundum illud : « Fundamenta ejus in montibus sanctis, diligit » Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob. » Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei [1]. » Igitur quia malitiæ prosperitas vere plaga virtutum est; consentaneum est, ut propheticum æmulantes dictum, matutinum nobis constituamus, quo interficiamus omnes peccatores terræ, et disperdamus de civitate Domini, quæ est anima, omnes cogitationes operantes iniquitatem; quarum exitium meliorum vita est, secundum illud, « Ego occidam, et vivere faciam; percutiam, et ego sa- » nabo, et non est qui de manibus meis possit eruere [2]. » Nam mortificatis membris quæ sunt super terram, et subacto in servitutemque redacto corpore, carnales ad peccata impetus, cogitationes in anima excitare nequeunt, quæ pro voluptate fruenda ad iniquitatem exercendam incitent : ac sic demum ea vivunt quæ meliora sunt. Opus itaque est nos non modo corporeorum affectuum interfectores, sed et pravarum animæ cogitationum exterminatores esse. Nam peccatores terræ sunt corporis affectus; operantes vero iniquitatem, qui de civitate Domini disperduntur, iniquæ animi cogitationes. Secundum autem dictum illud, Interficiebam, ait, peccatores, ut iniquos exterminarem; quo iniquitas immanitatem supplicii conspicata cohiberetur et de medio tolleretur. Matutinum porro diligentiam denotat. Pravorum autem exterminium legitimum est : nam, « Auferte, inquit, » malum ex vobis [3]. »

[1] Psal. LXXXVI, 2. — [2] Deut. XXXII, 35. — [3] 1 Cor. V, 13.

PSALMUS CI.

Oratio pauperi, cum anxius fuerit, et in conspectu Domini effuderit precem suam [1].

« DOMINE exaudi orationem meam, et clamor meus ad » te veniat. Non avertas faciem tuam a me, etc. [2]. » Quoniam titulus sic habet, « Oratio pauperi, cum anxius » fuerit, et in conspectu Domini effuderit precem » suam; » hic pauperem intelligas, si ipsum cum illo, qui beatus prædicatur, compares, secundum illud, « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum » cœlorum [3]. » Afflicto item pauperi illud aptaveris, « Beati flentes et lugentes, quoniam ipsi consolabun- » tur [4]. » Quisquis enim Deo addictus est, et qui in vitæ rebus pauper, apud Deum autem dives est, dolens contristatur, aut secundum Symmachi interpretationem, « tristitia detinetur, » de malitia et interitu plurimorum : cujusmodi erat is qui dicebat, « Hei mihi, quia » periit pius de terra, et in hominibus non est qui recte » agat : omnes ad sanguinem judicant, singuli proxi- » mum suum tribulant tribulatione; » et qui dicebat, « Non est qui faciat bonum [5]. » Cæterum pauper qui de iis contristatur et dolet, morbo suo medelam excogitat : hæc autem erat oratio ad Deum, quam solam habeat consolationem, qua animam expandens suam, et omnes cogitationes suas in conspectu Dei offerens, dicitur in conspectu Domini effundere supplicationem suam, sive,

1 Psal. CI, 1. — 2 Ibid. 2, 3. — 3 Matth. V, 3. — 4 Luc. VI, 21. — 5 Mich. VII, 2 ; Psal. XIII, 3.

« loquelam, » secundum Symmachum. Imo etiam is qui secundum Deum pauper est; id est, Prophetarum chorus, dolore plenus de prioris populi ruina, Dominum adit, supplicationes cum jejunio et lacrymis pro populo emittens; ut ipse quoque populus misericordiam consequatur.

« In quacumque die tribulor inclina ad me aurem » tuam[1]. » Hic dicatur illud Hesaïæ, « Domine in tribu- » latione recordati sumus tui, in tribulatione parva, disci- » plina tua nobis. » Ante afflictionis tempus divinis precibus vacandum est, neque solum in adversis temporibus. Hic itaque vir sanctus rogat, non ut afflictione careat, id enim fieri nequit; sed ut afflictus ne superetur, et ut spe gaudens ærumnas ferat in iisque glorietur : « Tribulatio » enim per patientiam et probationem, spem generat[2]. » Exaudi me, inquit, in quacumque die tribuler; inclina ad me mansuetam aurem tuam. Deus autem aurem inclinare dicitur, quasi humana vis et clamor ad celsitudinem deitatis ejus pertingere nequeat : quapropter ipse a magnitudine sua sese demittens, aurem inclinat iis, quos exaudire dignatur. Illud autem, « In quacumque die tri- » bulor; » ac si diceret, Non nunc tantum, sed toto vitæ meæ tempore, maximeque in tribulationibus : tunc enim præcipue auxilio est opus : Aut fortasse non quasi de futura tribulatione, sed de præsenti dictum est. Ea enim ejus sententia est : Quia talis hæc dies est, ut ejus gravitatem ferre non valeam, flectere et promptum auxilium præstito. « In quacumque die invocavero te, » velociter exaudi me. » Ecquid tantum urget? quæ vel qualis causa velocitatis? « Quia defecerunt sicut fumus « dies mei : » temporis brevitatem et instabilitatem per fumum significat. « Et ossa mea sicut cremium aruerunt,

[1] Isai. XXVI, 16. — [2] Rom. V, 4.

» Percussus sum ut fœnum et exaruit cor meum, quia » oblitus sum comedere panem meum. A voce gemitus » mei adhæsit os meum carni meæ [1]. » Quæ populo acciderunt ut sibi propria enarrat propheticus chorus, vel etiam ipse David : declaratque universam eorum virtutem, qua legalis cultus consistebat, periisse ac pessumivisse. Hæc porro erant sacerdotium, templum, pecorum sacrificia, gentis jus et libertas. Sublimiori vero sensu, qui secundum Deum pauper est, primum suum facinus enuntiat, nempe quod temporaneæ vitæ dies sui instar fumi defecerint, cum inglorius et obscurus ipsos transegerit. Hoc autem intelliges ex his quæ Job ait : « Quando lucebat lucerna super caput meum, quando » eram materialis nimis [2]. » Lucebat ipsi lucerna tunc in abundantia existenti : quando vero cunctis facultatibus exciderat, dixerit etiam ipse, « Quia defecerunt sicut » fumus dies mei. » Hujusmodi autem est ille secundum Deum pauper, inglorius et obscurus temporalis vitæ dies transigens. Deinde vero sese abstinentiis et macerationibus subjiciens, fame et siti sese castigat et arefacit. Et quia « omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos » fœni, » carnem exsiccans suam ait, « Percussus sum » ut fœnum [3]. »

Verus autem gemitus, qui vocem habet ad Dei aures pervenientem, corpus exsiccat, et mortificationem carnis peragit; ita ut interior homo renovetur. Hic porro animum adhibeas : deficit fumus extincto igne; cum tamdiu existat solummodo, quamdiu ignis agit, quem fumus sequitur. Ut ne itaque, ait, dies mei deficiant; non me juvat enim si lux a me extinguatur, quæ dies meos efficit; ærumnas amove. Nam si illæ maneant, in causa erunt quod dies mei deficiant; imo etiam si perse-

[1] Psal. CI, 4, 5, 6. — [2] Job. XXV, 3. — [3] Isai. XL, 6.

verent, ossa mea magis magisque arefacient, id est, robustas et firmissimas animi virtutes, quæ ab igne passionum animæ exsiccantur. Arefactum autem cor suum esse dicit, quod nihil lætum, nihil in quo gaudere valeat, possideat. Ita enim in calamitatibus demersus est, ut non ultra possit congruenti ac pretiosæ suæ substantiæ idoneo pane nutriri : hoc enim pane tunc solum uti licet, cum rebus extraneis non abstrahitur, neque fœdatur. Tamdiu autem se hujusmodi panis alimento privatum ait, ut ne quidem meminerit an aliquando ipsum degustaverit. Multum porro de præsentibus ærumnis ingemiscens, tot tamque frequentia suspiria, tot gemitus edo, ut a voce mea cum ejulatu emissa, os meum ceu agglutinatum et adjunctum fuerit carni meæ, cum ob multam illam ariditatem, omnis in corpore sparsa humiditas ex ingruente afflictione amissa esset. Hæc quippe humiditas cum adesset, os impinguans, illud a carne dividebat, cum medium inter carnem et ossa locum teneret.


« Similis factus sum pelicano solitudinis [1] : » siquidem moras in turba fugiens, solus et procul hominibus degebam. Nam animal illud pelicanus vocatus, solitudinis est amans. Declarat porro gentis vastitatem et solitudinem ; talem videlicet, ut unus tantum vel duo, aut pauci admodum remanerent : qualis erat Jeremias aut Baruch, aut si quis alius ex iis qui tunc relicti sunt, ex quorum persona hæc dicuntur. Similis item Dominus est solitario pelicano, secundum miram avis hujus erga fœtum affectionem. Illud quippe animal nidum in petris ac præruptis defixum, pullis suis ita concinnat, ut a quibusvis insidiatoribus facile labefactari non possit. At patre avolante serpens, quia nidum adire nequit, virus suum ipsis procul infundit. Observat enim qua ventus perflet, atque

[1] Psal. CI, 7.

inde venenum suum pullis exhalat, ita ut intereant. Sed pater eorum rursus advolans, ac naturali ratione insidias conspicatus, novit et ipse quo pacto reviviscere possint. Nubem enim observat, et in sublime volat, ac supra caput illorum sensim volitat, lateraque pennis vehementius quatiens, sanguinis guttas ipsis exprimit et emittit : illæ vero per nubem stillantes, vivificam mortuis vim efferunt, atque ita illi excitantur. Pelicanus itaque pro Domino accipitur, pulli pro primis parentibus, nidus pro paradiso, serpens pro apostata diabolo. Insufflavit ergo ille per inobsequentiam primis parentibus in paradiso positis, mortemque invexit illis : Christus vero amore nostri permotus, in cruce exaltatus, ac in latere vulneratus, vivificum inde sanguinem stillare fecit, nosque mortuos per nubem sancti Spiritus vivificavit. « Factus » sum sicut nycticorax in domicilio. » Timidus est nycticorax; quare ultro citroque fugiens in domiciliorum ruderibus pernoctat, ac præ formidine clamitat. Per pelicanum itaque extremam populi vastitatem et solitudinem significabat, per nycticoracem vero tenebras indicat, queis populus offusus est : denotatque eos, extincto lumine sibi irradiante, ignorantia Dei affectos, quasi in tenebris et in nocte versari. Fortasse vir sanctus, quia noctibus singulis orando clamet, opportune sese nycticoraci confert.

« Vigilavi, et factus sum sicut passer solitarius in tec» to. Tota die exprobrabant mihi inimici mei : et qui » laudabant me, adversum me jurabant [1]. » Derisioni fui inimicis : et qui olim æmulandus et illustris eram, nunc ad jusjurandum usurpor ab iis qui me olim mirabantur : per meas enim calamitates jurant, Ne patiar ea quæ quidam perpessi sunt. « Et qui laudabant me, adversum

[1] Psal. CI, 8, 9.



» me jurabant : utpote qui Deum adjutorem non haberem. Neque solum inimici Dei hæc agebant; sed etiam qui me diligebant, adversum me jurabant, id est contribules mei. Nam hi quoque ipsis prophetiis non credebant; sed hortationes ac futurorum promissa irridentes, adversum me jurabant, vaticiniis meis fidem negantes. « Quia cinerem tanquam panem manducabam, et potum » meum cum fletu miscebam[1]. » His similia sunt quæ in psalmo LXXIX. habentur : « Cibabis nos pane lacryma- » rum, et potum dabis nobis in lacrymis in mensura[2] » Doloris vero magnitudinem his declarat. Nam si edendi tempus dolore plenum erat, quod aliud tempus dolore vacuum fuerit? His autem, inquit, circumcingor malis, quia tu, Domine, iram tuam adversum me commovisti. Hæc porro Propheta dicit, populi calamitatem ut propriam sibi adscribens, ac tantæ multitudinis perniciem lugens. « A facie iræ et indignationis tuæ, quia elevans » allisisti me[3]. » Quæ populo et loco acciderunt ut sibi propria enarrat, ac docet, ad magnam gloriam levatum populum, ita ut populus Dei vocaretur, ac domus Domus Dei ob sanctuarium ibi positum diceretur. Cum autem a Deo erectus et honoratus fuisset, vicissim postea loco illius sublimis gloriæ, in contrarium dejectum eum, allisum a Deo fuisse ait; ita ut locum obsidioni et extremæ vastitati, populum vero captivitati traderet.

« Dies mei sicut umbra declinaverunt, et ego sicut » fænum arui. Omnis enim caro fœnum, et omnis gloria » ejus quasi flos fœni[4]. » Rursum de populo sermonem quasi sibi proprium efferens subjungit, « Et ego sicut fœ- » num arui. Tu autem, Domine, in æternum permanes, » et memoriale tuum in generationem et generatio-

[1] Psal. CI, 10. — [2] Psal. LXXIX, 6. — [3] Psal. CI, 11. — [4] Ibid. 12; Isai. XL, 6.

» nem [1]. » Res, ait, mortales et humanæ tales sunt, quales supra declaratum est, mutationi scilicet et inæquabilitati obnoxiæ, quæ nunquam eodem in statu maneant; sed modo exaltatæ, mox allisæ; modo erectæ, mox dejectæ videantur, ac mutationem conversionemque quamlibet subeant, ob nequitiam quæ inter homines versatur. Tu autem Domine, qui nihil mortale, nihil fluxum habes, in æternum permanes, ac semper eodem modo, eodem in statu versaris, utpote æternus et immutabilis : ac quæ semel abs te statuta sunt, et in vaticiniis promissa fuerunt, in memoriale sempiternum manent; etiamsi non in præsenti generatione, at in futura secundum psalmodiam. Atque hoc te, Domine, maxime flectere debet; quia ego quidem talem habeo naturam, fluxam, brevem et ita calamitosam; tu vero æternus et immortalis es, ita ut præsentium malorum mutationem mihi perquam facile præbueris. Id namque infert, « Tu » exurgens misereberis Sion, quia tempus miserendi » ejus quia venit tempus [2]. » Da, inquit, calamitatis mutationem in melius : nam tempus misericordiam postulat; miseriæ quippe nostræ completum spatium est. His porro subindicat supplicii annis septuaginta circumscripti et captivitatis finem. Sic item Daniel ille mirabilis, recensito captivitatis tempore, supplicationem offert suam; hisque spiritualis melodiæ verba accinunt. Zacharias item orando dicebat, « Domine omnipotens, usquequo non misereberis Jerusalem, et civitatum Juda, » quas despexisti? hic septuagasimus annus est [3]. » Hic etiam prænuntiari puto Christi ad homines adventum, qui in causa futurus est, ut restauretur Sion, id est, ut pietatis institutum aperiatur. Quod autem illud est optatissimum et desideratissimum tempus, quo implenda esse

[1] Psal. CI, 13. — [2] Ibid. 14. — [3] Zach. I, 12.

dicuntur, quæ de Sione promissa sunt? Illud est tempus resurrectionis tuæ, Domine. Quia enim peccatum mundi sublatum venisti : nec oportebat tantum illum Servatorem pro paucis peccatoribus venire et pati, cum instaret tempus, quo dictum est, « Omnes peccarunt et gloria » Dei privantur, tunc pro omnibus mortem degustasti[1].»

« Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus et pul- » veri ejus miserebuntur. Et timebunt gentes nomen » tuum, Domine, et omnes reges gloriam tuam [2]. » Merito postquam dixerat placuisse lapides prioris populi, gentium vocationem adjicit, atque apertius declarat, tunc eas salutarem timorem accepturas et Deum culturas esse. Reges autem dixit, pro regnis. Neque enim vel gens vel regnum est, quod vel ex toto vel ex parte gloriam Christi non veneretur. « Quoniam ædificabit Dominus » Sion, et videbitur in gloria sua [3]. » Alio modo, ædificabit Dominus Sion, id est Ecclesiam; ædificationem autem illam hic declarat, qua gentes per fidem constitutæ sunt : et tunc gloria afficietur in ipsis.

« Respexit in orationem humilium, et non sprevit pre- » cem eorum. Scribatur hæc in generationem alteram, et » populus qui creabitur laudabit Dominum : quia prospe- » xit de excelso sancto suo, Dominus de cœlo in terra mas- » pexit, ut audiret gemitus compeditorum, ut solveret fi- » lios interemptorum, ut annuntient in Sion nomen Do- » mini, et laudem ejus in Jerusalem. In conveniendo po- » pulos in unum, et reges ut serviant Domino. Respondit ei » in via virtutis suæ : Paucitatem dierum meorum nuntia » mihi. Ne revoces me in dimidio dierum meorum[4]. » Hic videtur mihi propheticus chorus sublimius significare gentium per Salvatorem nostrum vocationem, lugereque

[1] Rom. III, 23. — [2] Psal. CI, 15, 16. — [3] Ibid. 17. — [4] Ibid. 18, 19, 20, 21, 22, 23, 24, 25.

quod eam ipsi non sint consecuti. In futurorum namque bonorum adventu, quando gentes et earum reges non ultra patrios dœmones, sed Dominum adorabunt; tali, inquit, tempore robur meum enervavit Dominus, ut dies meos præcinderet, ne ad illud tempus devenirem. Propheticus itaque chorus est qui respondet, sive potius qui interrogat et a Deo sciscitatur, qualis futura sit vita nostra. Ediscere quippe peroptabat, num ad dies illos perventura vita ejus esset, queis incarnatus Unigenitus in terra conspiciendus erat. Viam autem virtutis ejus vocat ipsius in terram adventum, venit enim ut fortem illum alligaret; dimidium vero dierum suorum, seu vitæ suæ, illud dicit spatium, quo in contemplatione ejus præsentiæ futurus erat. Rogabat ergo impleri totum vitæ suæ tempus, et quasi produci vitam suam, ut ipsius rerum eventus conspectu dignaretur; ita enim futurum erat ut tota vita ejus impleretur. Interea enim, ait, in præsenti dum hæc prænuntio, ac futura prospicio, in parte diei Dei constitutus videor: reliquus autem mihi est ipse rerum prænuntiatarum conspectus, quem si consequar, totum vitæ meæ cursum accipiam; sin scopum orationis meæ non attingam, similis ero iis qui in dimidio dierum immature et intempestive vitam deposuerunt. Videturque mihi Servatorem nostrum ob illa Prophetarum vota dixisse: « Multi prophetæ et justi voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt; » et audire quæ auditis, et non audierunt [1]. » Secundum historiam vero dixerit; Dum me infirmum et gravatum cerno, suspicor mihi perbreve tempus vitæ residuum esse. Ne itaque in dimidio dierum et immature a corpore proficiscar.

« In generatione generationum anni tui. » Cum dixis-

[1] Matth. XIII, 17.

set, « Ne revoces me in dimidio dierum meorum », ac rogasset vitam suam usque ad rerum prænuntiatarum eventum prorogari; videt hoc ob imbecillam et fluxam mortalis naturæ conditionem fieri non posse; deinde ait: Tui solius anni, Domine, in generationem et generationem producuntur: tuque pervenies ad illam generationem et populum, de quibus superius dicebatur: « Scribatur hæc in generationem alteram, » et cætera. « Initio » tu Domine terram fundasti, et opera manuum tuarum » sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanes[1]. » Nisi enim a principio, Domine, fuisses, et nisi cœli opera manuum tuarum essent, non possent illa opera mutari, nec in aliam conditionem venire: nam si non facta essent, sine fine manerent. Jam vero qui eorum opifex fuisti, potes illa mutare si velis: nam fluxæ et corruptibilis naturæ sunt: quia cum non prius existerent, voluntate ac virtute tua condita sunt. Unum quippe est quod manet, et nunquam non esse potuit, nempe tu solus omnium conditor. « Et omnes sicut vestimentum ve» terascent, et velut amictum volves eos, et volven» tur. » Cœli quoque etiamsi magnum præstantissimumque sint opificium, attamen ipsi quoque corruptioni subjicientur. Hæc autem corruptio ipsis in renovationem vertet, atque ipsos ita facile contrahes, ac si quis amictum convolvat: nam meliorem in formam volventur, ac mutabuntur atque conversionem optimam subibunt, a vetustate nempe ad renovationem et incorruptionem translati[2]. « Tu autem idem ipse es, et anni tui non defi» cient. Filii servorum tuorum habitabunt, et semen » eorum in sæculum dirigetur. » Innovati scilicet erunt ac meliorem in formam translati; « et semen eorum, » scilicet servorum tuorum, « in sæculum dirigetur. »

[1] Psal. CI, 26, 27. — [2] Ibid. 28, 29.

PSALMUS CII.

Ipsi David[1].

« BENEDIC anima mea Domino. » Fortasse mediam relictam animam inter corpus et spiritum, corpus quidem ad proprias concupiscentias et serviles voluptates pertrahit, quasi ex sublimi et altissimo loco dejiciens illam; spiritus vero contra ad se sursum trahit, et ad Deum adducit, hortaturque ut Dominum memoret, ipsi benedicat, ipsum præ oculis semper habeat: vel fortasse quemlibet seipsum excitare ac Deo benedicere jubet, bonum sibi ad salutem remedium esse Deo benedicere proponens. « Et omnia interiora mea nomini sancto ejus. » Nomini Domini benedicere jubet interiora sua, id est, cogitationes suas quæ ab intus procedunt, quarum duplex est ordo: aliæ enim pravæ sunt, nempe, cædes, fornicationes et furta spectantes; aliæ vero urbanæ et salutares; nempe humanitas, temperantia et communitas. Is itaque cujus omnia interiora recta sunt et parata ad benedicendum nomini sancto Dei, interiori suo affectu recte utitur, ad gratiarum actiones Deo agendas, atque omnia interiora sua consecrat, omnesque animæ virtutes et cogitationes ad divinum hymnum concitat. Is enim ratiocinia, cogitationes, omnesque animi motus, atque varias ejus virtutes advocat; vim nempe cogitandi, discernendi, respiciendi, agendi, imaginandi, recordandi, et alias: nam multæ in anima virtutes variique motus sunt. Quare modo strenuum quidpiam cogitamus, modo

[1] Psal. CII, 1.

concupiscimus, mox judicamus; aliquando quæpias desideramus, aliquando aversamur; ac rursum modo aliquo tendimus, modo declinamus; interdum mœsti sumus, postea vero pacati, læti et tranquilli. Omnes itaque hujusmodi animæ facultates divinus Spiritus hortatur ut benedicant Domino. Quod si cui corporeo more dictum excipicere animus sit, dicat, quia omnia corporis nostri interiora et viscera profundissima Dei sapientia concinnata sunt; ita ut inutile nihil in nobis sit, atque illa omnium mutua concordia et consensus ad Dei laudem et benedictionem conferat; jure ista quoque ad Deo benedicendum evocari. Si itaque animam ipsam corporeo more sermo effingit, et corporeas partes in ea partibus carente reponit; partes attributas animæ, quæ sane in partes divisibilis non est, alio ritu cogitabimus; caputque dicemus, mentem; collum, opinionem, utpote quæ ceu intermedia sit inter rationabile et irrationabile; pectus, animum, ventrem, concupiscentiam: harum partium nominibus ceu virtutum singularum symbolis usi.

« Benedic anima mea Domino, et noli oblivisci omnes » retributiones ejus. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas: qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia et miserationibus [1]. » Hæ sunt retributiones nobis a Deo concessæ; primo propitiationem posuit pro peccatis nostris, quæ in errore et idololatria admissimus: singulisque eorum propitius ille fuit, supplicationem prævertens, veniamque tribuens per propitiationem suam, quæ est Christus; secundo, quia etiam post remissionem te, o anima, infirmari contigit, in humanos affectus delapsam: et has ægritudines Servator rationabilibus et spiritualibus remediis, quæ in divinis ejus

[1] Psal. CII, 2, et seqq.

Scripturis fundata sunt, curavit; ad hæc tertio, vitam tuam, quæ in corruptionem cessura, et a morte absorbenda est, secundum illud, « Anima quæ peccaverit, » ipsa morietur [1], » misericordiæ suæ consentaneam rem agens, ac præmium pro te morti sanguinem Unigeniti tribuens, liberavit; quarto, propria clementia, misericordia et miserationibus usus, quia nemo ex operibus justificatur, adoptionis te gratia coronavit. In summa hic te peccatorum venia donavit, morborum animi medelam tribuit, nec non spem resurrectionis, pignus Spiritus: ac te incorruptionis veste induit, gratia sua salvum fecit. Nam gratiæ et clementiæ corona est. Atque hæc omnia, dotalia sponsi munera et dona sunt: sponsa quippe solam fidem obtulit. Neque solum illis, sed etiam spiritualibus bonis te replevit; sive etiam tuo in bonis desiderio satisfecit, qui frigidam animam repudiat, bona vero petentibus se tribuit. Quod si volueris morbos simul et peccata soluta videre, habes paralyticum hac duplici gratia donatum; audivit enim, « Dimittuntur tibi pec» cata tua, et, Tolle grabatum tuum [2]: » sic peccatrix mulier remissionem consecuta est, sic latro, publicani, ac demum omnes qui crediderunt.

« Qui replet in bonis desiderium tuum, renovabitur » ut aquilæ juventus tua [3]; » ita ut priori deposito homine, ac novo, qui renovatur ad cognitionem Creatoris sui, adjuncto, et ipsa renovetur. Sic autem, ait, juventus tua renovabitur ut nunquam veterascat, neque ad corruptionem rursus abeat, sed semper vegeta maneat in incorrupta vita. Cum autem aquila sit avium rex, altissimeque volet, ac sola inter animalia solares radios valeat obtueri, ipsumque attente conspicere; renovationem animæ, et e terra ad cœlum volatum, vitamque

[1] Ezech. XVIII, 4. — [2] Marc. II, 9. — [3] Psal. CII, 5.

supremo in lumine versaturam, aquilæ naturæ merito comparavit.

« Faciens misericordias Dominus, et judicium omni- » bus injuriam patientibus, notas fecit vias suas Moysi, » filiis Israël voluntates suas [1]. » Ex ipsa vero Moysis Scriptura edices, qualia pro læsis judicia tulerit: justo namque judicio Ægyptios invasit, divinitus inflictis plagis castigans illos propter filios Israël ab ipsis pessime habitos. « Miserator et misericors Dominus, longanimis » et multum misericors, non in finem irascetur, neque » in æternum succensebit. Non secundum peccata nos- » tra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras » retribuit nobis. Quoniam secundum altitudinem cœli » a terra corroboravit Dominus misericordiam suam su- » per timentes se. Quantum distat ortus ab occidente, » longe fecit a nobis iniquitates nostras. Quomodo mise- » retur pater filiorum, misertus est Dominus timenti- » bus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum. » Recordare quoniam pulvis sumus, homo sicut fœnum » dies ejus, tamquam flos agri sic efflorebit. Quoniam » spiritus pertransibit in illo et non subsistet, et non » cognoscet amplius locum suum [2]. » Quemadmodum a tenebris ignorantiæ peccatis inductæ ad lucem cognitionis suæ nos transtulit; hæcque fecit ut bonus pater insanientes filios miseratus, ac erga liberos male affectos majorem commiserationem assumens; eodem illė modo nos miseratus est, ac ex atheis et timore carentibus, pios ac se timentes nos effecit.

« Misericordia autem Domini ab æterno, et usque in » æternum super timentes eum. Et justitia illius in filios » filiorum, his qui servant testamentum ejus, et memo- » res sunt mandatorum illius ad faciendum ea [3]. « Huic

[1] Psal. CII, 6, 7. — [2] Ibid. 8, et seqq. — [3] Ibid. 17, 18.

simile illud, « Faciens misericordiam diligentibus me. » Nam misericordia Domini, et compar ejus justitia in omnem generationem extenditur in timentes eum, et in filios eorum, id est, in æmulatores gestorum ipsorum, in eos scilicet, qui non modo præceptorum ejus recordantur, sed sermonibus opera adjiciunt, et hoc modo vitam concinnant suam. Ea quippe dantur, non ut ipsorum nudam memoriam et notitiam servemus; sed ut memoria ad operandum utamur. Illud quoque Servator declarat his verbis: « Qui habet mandata mea, et servat » ea, ille est qui diligit me[1]: » nam observationi tantum, non memoriæ eorum, merces debetur; neque auditores, sed cultores legis justificabuntur. Pulchre autem lex Dei testamentum vocata est, ut qui eam observamus, hæreditatem inde speremus. Quod autem natura quidem nostra fluxa sit, divina vero clementia debitam progenitoribus justitiæ mercedem usque ad nepotes conservet, sexcenta hujusce rei testimonia reperias. Non ob Abrahami, Isaaci et Jacobi justitiam, populum ex iis postea exortum vocatione et peculiari providentia dignatus est. Jehu autem usque ad quartam generationem regnum conservavit, etiamsi non omnino pietate præditus esset; quia in principio regni sui studium erga Deum exhibuerat. Mirabili vero Davidi inextinctam custodivit generis scintillam, etsi impii multi inter ejus posteros exorti sint. «Dominus in cœlo paravit thronum suum, et » regnum ipsius omnibus dominabitur[2]; » Accurate dictum » est, « omnibus dominabitur; » sed non, « omnibus domi- » natur: » quia non omnes digni sunt regno illius. Quamobrem iis qui Evangelicam vitam exigunt, regnum cœlorum Salvator pollicitus est. Alio item intelligendi more omnibus dominatur, etiam iis qui regno cœlorum in-

[1] Joan. XIV, 2. — [2] Psal. CII, 19.

digni sunt imperans, quatenus nempe omnium Dominus est.

« Benedicite Domino omnes Angeli ejus, potentes » virtute, facientes verbum illius ad audiendam vocem » sermonem ejus[1]. » Superius quidem Spiritus divinus hominis animam ad gratiarum actionem et benedictionem Dei invitabat dicens, « Benedic anima mea Do» mino; » nunc autem quia throni Dei, et cœlestium mansionum, quas dignis Deus præparavit, mentionem fecit, admodum congruenter cœlestes virtutes jubet animæ saluti congaudere, secundum hoc Salvatoris dictum, scilicet gaudium fore in cœlo super uno peccatore pænitentiam agente[2]. Sed etiam cum hominis animam, tum cœlestes virtutes in finem agit; idem enim benedicendi munus tam illi, quam istis prescribit. « Potentes virtute, » facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermo» num ejus. » Quod ad te spectat, anima, imbecilla infirmaque es ad Deum pro dignate celebrandum : attamen id ex parte exequaris. Scito autem Angelos ejus, cum potentes virtute sint, et indesinenter verbum Dei faciant, dignique sint qui vocem et sermonem ejus audiant, dicenter ac condigne ipsi benedicere. Quod si quidam inter homines sint qui vitam angelicæ parem ineunt, utpote qui imaginem cœlestis circumferant, ac ipsi quoque verbum ejus exequi et vocem audire valeant, secundum eum qui dicit, « Omnia possum in eo qui me confor» tat[3]; » hi quoque Angelis pares cum sint, benedicant ei. Nemo autem eorum, qui verbum ejus transgrediuntur ac voci ejus non obtemperant, temere hoc agere præsumat.

« Benedicite Domino omnes virtutes ejus, ministri » ejus, qui facitis voluntates ejus[4]. » Quoniam adversa-

[1] Psal. CII, 20. — [2] Luc. XV, 7. — [3] Philip. IV, 13. — [4] Psal. CII, 21.

riæ quoque virtutes sunt, ideo David necessario illud adjicit, « ministri ejus, qui facitis voluntates ejus : » declarans quas et cujusmodi virtutes Deo benedicere velit; non omnes quippe, neque adversarias, sed solum eas quæ dignæ sunt, et variis ordinibus ipsi ministrant, sive quæ faciunt voluntatem ejus. Nam ministri Dei sunt virtutes ipsi ad quælibet munera pro beneficio et utilitate universi ministrantes: quare voluntates ejus exequi dicuntur. « Benedicite Domino omnia opera ejus, in o-
» mni loco dominationis ejus. Benedic anima mea Do-
» mino[1]. » Hæc seriei mens et sententia videtur esse : Si Angelorum, inquit, solummodo, divinarum virtutum, cœlestiumque Dei ministrorum officium esset ipsi benedicere, recte posses, o anima, te continere, ac te melioribus benedictionem cedere; quia vero divinus sermo cunctis ejus operibus præcipit ut Domino benedicant, par est enim omnem creaturam pro facultate, congruentem Deo hymnum emittere; quid cuntaris, o anima? Numquid etiam ipsa, utpote opus Dei non spernendum, sed ad imaginem ejus factum, temetipsam excitas ad divinas laudes et ad benedicendum Deo? Quoniam dominatio ejus, ut dictum est, omnibus imperat cœlestibus, terrestribus et infernis; ideo omnia opera ejus, utpote ipsius dominationi subdita, ipsi benedicant. Nam omnia, inquit, tibi subdita, utpote opificia tua, benedicere tibi debent. Et quomodo benedicant irrationabilia et inanimata? Quo modo cœli enarrant gloriam Dei : qui sane conspectu suo ceu voce ad exhibendam Dei virtutem utuntur : unde ego laudandi occasionem accipio, et ad creatorem celebrandum provocor. Et alias solent plerumque Prophetæ etiam irrationabilem naturam ad Dei laudes efferendas assumere, quasi rationabilis non sufficiat,

[1] Psal. CII, 22.

uti revera pueri in camino fecerunt. Cæterum omnibus in locis canere Judæis non convenit. Illi quippe ab iis qui se in captivitatem abduxerant, in Babylone ex canticis Sion cantare jussi, dixerunt, et quidem secundum legem agentes : « Quomodo cantabo canticum Domini in » terra aliena [1] ? » Nobis autem divinus Apostolus præcipit, ut in omni loco orantes elevemus sanctas manus. Idipsum Dominus [2]. Christus Samaritanæ dixit, localem adorationem de medio tollens, cultumque docens in Spiritu et veritate exhibendum.

[1] Psal. cxxxvi, 4. — [2] 1 Tim. ii, 3.

PSALMUS CIII[1].

« Benedic anima Domino : Domine Deus meus magnificatus es vehementer : confessionem et decorem induisti, » amictus lumine sicut vestimento[2]. » A creaturarum magnitudine, providentia et varietate docetur anima gaudere ac fiduciam sumere; ita ut in eo glorietur, ac Dominum Deumque suum magnum tantarum rerum opificem adscribat, eumque sibi proprium prædicet cum affectu dicens, « Domine Deus meus. Confessionem et decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento. » Quemadmodum is qui sensibili vestimento induitur, undique tegitur; sic quod Dei lumen sustineri nequeat, incomprehensibilem esse illius substantiam declarat. Sed quid ais, o David? Evangelista ait : « Ipse est lux vera, quæ » illuminat omnem hominem venientem in hunc mun» dum[3]. » Paulus vero dicit, ipsum lucem inhabitare inaccessibilem, et tu aïs ipsum lumine indui sicut vestimento? Videnes neque Prophetam, neque Evangelistam, neque Apostolum posse eam claritatem complecti; sed a nominibus apud nos usitatis paulatim ascendentes, obscuram quamdam ineffabilis illius gloriæ cogitationem afferre; Quia enim ignorant quæ sit illa substantia, a rebus apud nos conspicuis pro facultate illam complecti conantur.

« Extendens cœlum sicut pellem, qui tegit aquis su» periora ejus : qui ponit nubes ascensum suum, qui am» bulat super pennas ventorum. Qui facit Angelos suos » spiritus, et ministros suos ignem urentem[4]. » Hinc, ut par est, Seraphim Græce explicantur, incendentes ac

[1] Psal. CIII, 1. — [2] Ibid. 2. — [3] Joan. I, 9. — [4] Psal. CIII, 3, 4.

comburentes: Et vox Seraphim incendium significare declaratur. Quare de Angelica virtute dicitur : « Qui facit » angelos suos spiritus, et ministros suos ignem uren- » tem. »

« Qui fundat terram super stabilitatem suam, non in- » clinabitur in sæculum sæculi. Abyssus sicut vestimen- » tum amictus ejus, super montes stabunt aquæ. Ab in- » crepatione tua fugient, a voce tonitrui tui formidabunt. » Ascendunt montes et descendunt montes, et descen- » dunt campi in locum quem fundasti eis. Terminum » posuisti, quem non transgredientur, neque converten- » tur operire terram. Qui emittis fontes in convallibus, » inter medium montium pertransibuut aquæ. Potabunt » omnes bestiæ agri, expectabunt onagri in siti sua. Su- » per ea volucres cœli habitabunt, de medio petrarum » dabunt vocem. Rigans montes de superioribus suis[1]. » Quia prius dixerat, « Qui tegis aqua superiora ejus » ; hic ait, « Rigans montes de superioribus tuis. » Nisi malit quis superiora Dei, quasi ab eo constructa, aërem nubibus amictum intelligere. Deus itaque montes et campos qui in eis sunt, et universam reliquam terram rigat, non ex fontibus convallium, neque ex fluminibus quæ per terram defluunt, sed de superioribus suis pluvias ex alto sufficientes ac moderatas subministrans. Superiora autem Dei vocat aërem, de toto mundo quasi de domo quadam verba faciens. Montes quidem sunt spirituales viri : hi autem irrigantur de superioribus ipsius Dei, Spiritus sancti donis repleti, videlicet sermone sapientiæ, cæterisque recensitis. Superiora vero Dei, de quibus montes irrigat, sunt sublimes ac eximiæ veritatis comtemplationes, quæ superiora vocantur, quod nihil illas transcendat. « De fructu operum tuorum satiabitur terra. »

[1] Psal. CIII, 5, et seqq.

Ipse namque dixit, « Germinet terra herbam fœni, et » lignum fructiferum faciens fructum [1], » et reliqua. Ex Jesu operibus per œconomiam editis, quæ multis fructibus instructa sunt, universa terra satiatur, particeps eorum quæ a Jesu adeo mirabiliter perpetrata sunt: hic enim fructus operum ejus est. Et quidem sermo de operibus creationis et providentiæ ipsius, ceu fructus operum Dei esse intellectus, terram satiabit; nempe homines in terra versantes.

« Producens fœnum jumentis, et herbam servituti ho» minum, ut educas panem de terra; et vinum lætificat » cor hominis [2], » et cætera. Ait a pluvia satietatem terræ parari, Deo aquas ex mari reducente. Deinde indicat utilitatem hinc promanantem, quia aquarum irrigatione impinguata, cunctis incolis suis congruentem cibum profert; homini quidem nobili animali, et apud Deum in honore habito, eximium ac selectum cibum, panem, vinum, et oleum; panem quidem quo cor fulciatur et roboretur, vinum quo anima lætificetur, oleum quo corpus exhilaretur atque a laboriosa defatigatione curetur. Sic autem illi et variis instructam mensam ad usum ceu pater paravit Deus. Neque tamen cæterorum animalium curam neglexit; sed de eorum quoque conservatione sollicitus, congruentem ipsis escam subministravit, fœnum quidem jumentis; servituti autem hominum, herbam producens. Accuratissime vero Propheta animalium distinctionem fecit; jumenta quidem generatim appellans omne animal herba vescens; servitutem vero hominum, mansueta et quodammodo civilia animalia, ad hominum usum deputata, quorum alia quidem terram arant hominique opem ferunt, ut bos; alia gestant onera, ut asinus; alia demum aliud mortali generi ministerium

[1] Gen. I, 11. — [2] Psal. CIII, 14, 15.

præstant : quæ proprie et opportune servitutem hominum vocavit, quibus herbam datam esse ait, scilicet ab hominibus seminatam et cultam ; cæteris vero jumentis, sponte natum fœnum. Possunt autem utraque simul, herba videlicet et fœnum, et jumentis et servituti hominum data fuisse. Neque feras hic neque reptilia memoravit, quia hæc alio utuntur cibo ; alia enim carnivora sunt ; reptilia autem ipsa terra vescuntur.

Animadverte porro sermonem hunc circuitione uti, ac manifestiora quidem leviter tangere ; iis vero insistere quibus multi contradicunt, neque abstinere ab irrationabilibus, nec ab usu ministerioque eorum. Id vero hac duplici de causa agit ; alia est, ut ex abundanti impudentiam illorum refrænet, qui dicunt aliquid in mundo supervacaneum et inutile existere ; alia vero, ut ostendat quanta sit Deo de hominibus sollicitudo, quando de iis quæ eorum causa condita sunt tantam habet rationem. Quid huic curæ par esse possit, quandoquidem ea quæ nobis serviunt ita nutrit, nec patitur ut in omnibus gravemur. Neque enim hominem deseruit, nec laboribus ipsum gravat, vario illum salutis genere donans. Hic juvat eum, qui congeneres nostros servitute opprimit, sic alloqui : una hominum servitus sunt irrationabilia, tu vero hæc despicis : quare naturam a servitute et dominatione scindens, id effecisti, ut sibi ipsa serviret et dominaretur. Eum qui ad similitudinem Dei factus est, quis vendidit ? quis emit ? cum id solus Deus possit efficere ; imo vero nec ipse Deus, nam dona ejus sunt sine pœnitentia. Quod si Deus id quod liberum est non redigit in servitutem, quis potentiam suam potentiæ Dei præponat ? Cæterum sat oneris imponitur iis, qui liberi sunt, quod serviant, tantaque in pulvere sit differentia, ut alius imperet, aliis imperetur. At neque jugum, neque suppli-

cium primo peccato nostro destinatum, aggravandum est. Producit autem in his supernaturalibus altissimisque sermonibus suis, qui montes sunt, fœnum : quem cibum irrationabiliores ferre valeant. Est autem fœnum in hisce montibus positum, sermo de sensibilibus et littera Scripturæ; imo etiam sermo moralis, quem multitudo quoque percipere valebit, dicentibus singulis, « Dominus pascit » me, et nihil mihi deerit : in loco pascuæ ibi me collo- » cavit, super aquam refectionis educavit me[1]. » Qui autem hujusmodi statum transcenderunt, cum non in servitute hominum versentur, sed homines facti sint, singuli iterum dicens : « Parasti in conspectu meo mensam » adversus eos qui tribulant me; impinguasti in oleo » caput meum, et calix meus inebrians quam præclarus » est. Et misericordia tua subsequetur me omnibus die- » bus vitæ meæ, et ut inhabitem in domo Domini in » longitudinem dierum[2]. »

« Ut educas panem de terra, et vinum lætificat cor » hominis; ut exhilaret faciem in oleo, et panis cor ho- » minis confirmat. » Hic opportune quæratur, qua de causa cum dixisset David, « Producens fœnum jumen- » tis; » subjunxerit, « Ut educas panem de terra, » ex frumento nempe confectum. Quid autem est quod insinuare vult? Idem scilicet semen communem escam esse tam brutis quam hominibus, sed non eadem ratione. Atque illud Dei sapientiæ fuit. Et vero id animadvertas velim; spargitur frumentum, atque hactenus quidem hominum est cibus; cum autem germinaverit, exurgit, brutorum quoque alimentum proferens. Quemadmodum enim animalia id nostri causa acceperunt quod existant, ita et esca illorum a nostra initium habet. Nam herba ideo maxime producitur, ut frumentum conservet. Vides igitur

[1] Psal. XXII, 1. — [2] Ibid. 6.

non solum bruta nobis famulari; verum etiam cibum eorum cibo nostro servire, atque eodem ordine et ratione idipsum agere. Quemadmodum enim prius bruta, deinde homo, quia propter hominem bruta; sic primo herba, mox frumentum in germine, quia propter frumentum herba. « Et vinum lætificat cor hominis : » non omne vinum, sed illud solum quod ortum habet ab eo qui dicit : « Ego sum vitis vera [1]. » Sed quia sensilia omnia ob materiam terra vocantur, atque de illo accipiendus sermo est, qui quadam ratione et proportione ad spiritualia deinde erigit; hic quoque sermo panis est de terra eductus, ut interiorem et occultum hominem nutriat : atque a corporeis Scripturæ narrationibus, ob naturalem historiæ rationem, terra dicitur. Panis quippe eductus, est mysticus sermo. « Ut exhilaret faciem in oleo,et panis cor » hominis confirmat. » Exhilaratur porro ac illustratur interioris hominis facies oleo, quod divinam alit lucem, ac morbos laboresque animæ solvit, solaque intelligendi ratione a memorato vino differt. Dei quippe verbum, ut vitis, ita et oliva est. « Ego, *inquit*, sicut oliva fructifera » in domo Dei [2]. » Nam ejus doctrina secundum diversam rationem, et vinum et oleum et panis est.

« Saturabuntur ligna campi, cedri Libani, quas » plantasti, illic passeres nidificabunt. Erodii domus » dux est eorum : montes excelsi cervis, petra refugium » herinaciis [3]. » Hebraïcum exemplar et reliqui interpretes, « ligna Domini, » habent. Cum fructifera recensuisset, necessario etiam fructu carentia memorat, utpote quæ hominibus ad usum necessaria sint. Ideoque ipsa, Domini nuncupavit, ut sponte nascentia, neque manu culta, sed divino verbo germinantia. « Cedri Libani quas » plantasti. » Pulchre cedrorum plantationem Deo ad-

[1] Joan. xv, 1. — [2] Psal. LI, 10. — [3] Psal. CIII, 16 et seqq.

scripsit : quia sine ulla humana cura in tantam celsitudinem excreverunt. Non enim lignarius aliquis earum cultor fuit; sed divinum Verbum montium cacumina his opaca fecit. Quod si ipsum plantaverit, sane utiles sunt : optima quippe sunt quæcumque Deus effecit. Cum porro Libani tanquam celeberrimi mentionem fecit, necnon cedrorum ejus, alios etiam montes et arbores his significavit. « Illic passeres nidificabunt. Erodii domus dux est » eorum. » Aquila sic habet, « Illic aves nidificabunt. » Erodio abietes domus ipsi. » Nam hæ ipsæ arbores alium quidem hominibus, alium vero avibus usum præbent.

« Fecit lunam in tempora : sol cognovit occasum » suum[1]. » Cum terrena omnia recensuisset, invisibiliumque naturarum creationem exhibuisset, cœlorum item opificium subindicasset; nunc luminarium mentionem facit, quæ quarto die condita sunt. Nec sine consilio arbitror ea, quæ superius prætermissa videbantur, quando de rebus cœlestibus, de nubibus et ventis verba fecerat, nunc sermo resumit, ea post tot alia recensita memorans; verum ut doceat hæc quoque ad utilitatem condita fuisse. Forsitan enim si hæc primo loco commemorasset, occasio quædam relicta iis fuisset, qui quasi divina et tanquam causam productionis animalium et fructuum terræ, ipsa colenda esse duxerunt. Hoc nempe cum illi qui a pietate alieni erant existimarent; animum appulerunt ut solem et lunam, tanquam deos generationis, alimenti et incrementi nostri auctores, colerent. Sed divinus sermo id minime probat : enimvero affirmat, etiam citra isthæc, universalem illam Dei providentiam, non solum quæ in cœlis, sed etiam quæ in terra, animalia nempe plantasque, produxisse. Hæc item Moyses ut doceret, primo

[1] Psal. CIII, 19.

plantarum terrestrium ortum, deinde luminarium productionem induxit. Nunc item David denuo recurrit ad cœlestium illam providentiam, ac nulla alia de causa conditam lunam fuisse ait, quam ad enumerationem et notitiam mensium et dierum : nam illud, « in tempora, » idipsum significat; id est, ut conversionibus ejus, temporum mutationes dignoscantur, ac menses numerentur et anni. Nam lunæ variationes id præstant, ut possit tempus numerari : mensis quippe mensuram illa incremento imminutioneque sua efficit; ita ut lunæ creatio ad temporum doctrinam facta sit. Neque modica hinc utilitas evenit, quod scilicet tempestates dignoscantur, et ad omnia quemlibet sese adornare facultas sit. Si enim non ita se res haberet, omnia ruerent in exitium; cum neque agricola, neque natura, vel terram vel mare sulcandi opportunum tempus internoscere valerent. Hæc porro temporum notitia, non hominibus modo, sed etiam brutis idonea utilissimaque est. De luminaribus etiam in Genesi dicitur : « Sint in signa et in tempora, in dies et annos[1]; » in signa quidem imbrium, æstuum ac ventorum mutationis; in tempora vero aëris mutationum, hyemis, veris, æstatis et autumni; quæ ut ordine periodos agant statutus luminarium motus nobis efficit : in dies autem, non ita ut dies efficiant, dies enim et nox luminarium conditu antiquiores sunt; sed ut diei dominentur : in annos demum, quia luna quidem cum duodecies cursum suum perficiat, anni est auctor : solaris item est annus, nempe ab eodem signo ad idem ipsum signum solis revolutio.

« Sol cognovit occasum suum. Posuisti tenebras, et » facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ sylvæ. » Catuli leonum rugientes ut rapiant, et quærant a Deo » escam sibi. Ortus est sol, et congregabuntur, et in cu-

[1] Gen. I, 14.

» bilibus suis collocabuntur. Exibit homo ad opus suum, » et ad operationem suam usque ad vesperum. Quam » magnificata sunt opera tua, Domine! omnia in sapien» tia fecisti, impleta est terra creatione tua [1] ». Sol cognovit occasum suum, scilicet eum qui sibi a Deo præscriptus est. Sol quippe lucere tantum novit; neque id semper ac perpetuo; sed uni præesse diei, in nocte vero stellis tunc apparentibus concedere locum solet, ut proprium sibi cursum conficiant; ut adveniente nocte ac tenebris terræ superficiei imminentibus, mitiora quidem et mansuetiora animalia receptum habeant et secedant; feræ vero quælibet ad proprium quærendum cibum exeant, in proprio scilicet ac congruenti sibi tempore ac noctis intervallo. « Catuli leonum rugientes ut » rapiant, et quærant a Deo escam sibi » : quia nempe terra non ipsis perinde atque jumentis fænum produxit, et herbam servituti hominum. Deus utpote omniun curam agens, ac omnium conservationi ac vitæ prospiciens, ita providit, ut alia quidem a solis radiis pellerentur, ac lucem ut inimicam sibi fugerent; alia vero, tanquam luci affinia, in die procederent : ipsisque concessit ut in luce vitam degerent, feris quidem in lustris suis cubantibus, rationabili vero animali in die ac luce prodeunte ad opus suum, et ad operationem suam usque ad vesperum.

« Hoc mare magnum et spatiosum, illic reptilia, » quorum non est numerus : animalia pusilla cum ma» gnis [2] ». His declarat, sicut terræ elementum multa animantium genera producit et alit; ita et humidam substantiam, permulta animalium genera enutrire. Neque enim Deus vacua loca fecit, scd animalibus omnia replevit, aërem, terram, et mare; aërem quidem avi-

[1] Psal. CIII, 20 et seqq. — [2] Ibid. 25, 26.

bustantum; terram quadrupedibus et aligeris; mare infinitis piscibus: quorum alia majora, minora alia sunt; ac minora majoribus in escam dantur, et tamen genus non absumitur. Atque illud divinæ providentiæ indicium est, quod cum parva animalium genera cum magnis versentur, non funditus ab illis absumantur; nam validiora infirma devorant, nec penitus destruunt : quia proventus expensam superat. His similes sunt quotquot inter homines eos qui inferiores sibi sunt devorant. Verum illa quidem culpa vacant : illud enim ex natura contingit, tu vero ne minimam quidem tui purgandi viam reperias, qui cum et ratione et lege honoratus sis, ad illam brutorum confusionem ordinis declinas. Cæterum reptilia pisces vocat : quia pedibus carent et quasi in mari reptant, ut reptilia in terra.

« Illic naves pertranseunt », in mari videlicet. Cum declarasset quantam progeniem mare nutriat, et quod animalia ejus numero, neque ipsum mensura æstimari valeat; jam enarrat quam sit ipsum hominibus utile. Per nauticam quippe artem et gubernandi peritiam, necessaria mutuo communicamus, fructusque in terra nostra nascentes aliis subministramus, ab iisque accipimus suos; ita ut et quod superfluum est non inutile sit, et quod deest, advehi possit. Sublimiori autem ratione navi Ecclesiam confert; mari vero humanam vitam, quod res ejus instabiles ac semper in motu sint; innumerabile porro reptilium genus, multitudinem hominum vocat, et forma et persona quasi discrepantem, ita ut differentia ex varietate affectuum æstimetur. Nam natura quidem omnibus est una, nec diversa ortus ratio : mens autem varie distinguitur, corque nostrum diversitatem sententiarum admittit. Quod cum nosset quispiam, dixit : Quemadmodum facies faciebus similes non sunt;

sic nec mentes hominum. Naves autem dicimus esse eas quæ in hoc spirituali mari pertranseunt, ut scriptum est, videlicet sanctas Salvatoris nostri Ecclesias, quæ quidem in mundo, sed superiores mundo sunt; sicut revera onerarias videre est, in aqua sane, sed superiores aquis. Ecclesiæ igitur navibus similes, spirituale mare trajicientes, fideles homines recipiunt, et quasi in aliam terram aut regionem transferunt, scilicet an regnum cœlorum, ad spem in Christo fundatam, an sanctificationem Spiritus, et ad virtutem, quæ sanctorum patria est. Nam cum, sicut scriptum est, advenæ et peregrini sint super terram, non habent hic manentem civitatem : sed ad illam festinant, cujus artifex et creator est Deus. Cum ergo mundus hic noster exemplo maris intelligatur, pro cymba et navicula Ecclesia æstimabitur, pro notis habens sanctificatos, qui, quod fidem susceperint, Christum secum versantem semper habent, tranquillitatis auctorem. Alia item ratione naves nuncupat eos, qui in corpore suo, hujusce vitæ salsis et decumanis fluctibus agitantur. Laudantur porro naves quæ mare pertranseunt, non vero quæ ibi permanent, vel quæ fluctibus demerguntur. Nam qui in carne sunt, nec secundum carnem militant, vitæ fluctum calcantes, eoque superiores, faciunt operationem in aquis multis, ac descendunt, ut ex demersis aliquos lucrentur. Insuperque hujus vitæ distractionem, et amaram illam rerum ejus confusionem, commixtionemque urbane nobis indicans psalmista. « Hoc mare », inquit, « illic reptilia, quorum non est numerus », etc. Nam piscibus apposite conferantur, qui ad comparandas sibi res neque necessarias, neque utiles, huc illuc transsiliunt, et illa sola colligunt, quæ illos carnales esse declarent, ac labores eorum vanos irritosque faciant. Igitur piscium instar hoc mare magnum et spatiosum tranamus,

videlicet mundum : nam cujusque vita varia differensque est.

« Draco iste, quem formasti ad illudendum ei, omnia » a te expectant ut des illis escam in tempore. Dante te » illis colligent, aperiente te manum omnia implebuntur » bonitate [1] ». Vide an possis hinc dogma catholicum excipere, quod omnes res creatæ inopes sint, ac Dei largitione egeant, qua accepta roborantur ac vigent, utpote esca vitam accipientes. « Omnia a te expectant, ut des illis » escam in tempore. » Cum porro *omnia* dixerit, spirituales et sanctas virtutes, necnon sensibiles, quæ in mortalibus corporibus sunt, una complexus est. Nam ita Dei bonitas magis elucescit, quod tam dignis, quam indignis, suam impertiat benignitatem.

« Auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulve- » rem suum revertentur. Emittes spiritum tuum, et » creabuntur, et renovabis faciem terræ [2] ». Æstimo de hominibus hic sermonem haberi, ac præsentis sæculi consummationem futurique renovationem his significari; ut ne quis suspicaretur hujus mundi statum in æternum mansurum esse; sed spem haberemus in illud novum sæculum, ac resurrectionem quam sermo declarat, cum » posteaquam dixit, « In pulverem suum revertentur », subjicit, « Emittes spiritum tuum » vivificum, « et creabuntur », ex terra resurgentes, « et renovabis faciem » terræ, » pulchritudinem videlicet terræ, id est, homines ex terra efformatos. Hic clare nobis resurrectionem, novam per sanctissimum Spiritum vitam, ac humanorum corporum in novissimo sæculi tempore in pristinam formam restitutionem, prænuntiat : itemque productionem illam ut rursum existamus. Ostenditque ipsum esse et mortis et vitæ Dominum. Non vult enim

[1] Psal. CIII, 27 et seqq. — [2] Ibid. 30.

nos in tristibus permanere; sed postquam eatenus illa dixit, quatenus nos perterre faceret, ad mitiora rursum sermonem reducit : et quod alibi dictum est, quoniam vitæ et mortis ipse Dominus est, idipsum jam indicat et ait, eos qui in pulverem reversi sunt a Spiritu creandos, ac renovandum esse genus humanum : nam resurrectio, est in pristinum restitutio. Emissionem autem Spiritus nuncupat ejus ad operandum descensum, non vero mutationem a loco in locum, quia « Spiritus Domini re- » plevit orbem terrarum », a quo facies terræ renovatur. Etenim hæc est terræ pulchritudo, animalia quæ in ea sunt, plantæ, et hominum genus. Ut autem illa constituantur, necessaria est spiratio et vita ab illo data, quam et dare et accipere ipsi per facile est. Atque hæc omnia repente ac nullo negotio peragit : id enim vel maximum est virtutis ejus argumentum. Vides etiam in præsenti vita resurrectionem, in seminibus, in plantis, atque in ipso hominum genere expressam ad meditandum. Siquidem animalia et plantæ extremam vitæ rationem obtinent, qua sublata, ut dictum est, tota vita deficit : et quæ residua sunt, quod præ infirmitate vitam conservare non possint, ad unum et idem revertuntur, ac rursus animalia fiunt. Quodque divinissimum est, nos ex toto, videlicet animas et ipsis conjuncta corpora, ad omnimodam vitam et immortalitatem transferendos esse in promissis habemus : quæ res sane antiquis præter naturam esse forte visa fuerit: ac revera et divinum opus est et supra naturam ; naturam, inquam, nostram, non vero illam omni virtute plenam : huic enim nulla vita præter naturam aut supra naturam est ; itaque hinc sermones, secundum Simonis insaniam adversum prolati, repudientur. Quidam vero sic hosce versiculos explicant : Emittes Spiritum tuum; qui per baptismum accedit, et

creabuntur in novam creaturam, in novum populum; ita ut prior quidem interpretatio intelligatur de resurrectione ex mortuis, quando terra renovabitur, et liberabitur a corruptione; secunda vero, de regeneratione per baptismum.

« Sit gloria Domini in sæculum, lætabitur Dominus » in operibus suis. Qui respicit terram, et facit eam tre- » mere, qui tangit montes et fumigant. Cantabo Domino » in vita mea, psallam Deo meo quamdiu sum [1]. » Quandoquidem, ait, hæc edidici, ideo totam vitam meam in hymnis ad laudem creatoris insumam : et quamdiu vivam et in hac vita degam, debitum psalmum reddam Deo meo. Hoc porro additamentum magnum exhibet affectum et familiaritatem cum Deo. Non dixit enim, « psallam Deo, » tantum sed, « Deo meo. » Videtur namque dicere, ei qui me creavit, ac enutrivit, omniumque bonorum auctor mihi fuit. Hic autem canticum dicit, non verbis modo, sed et operibus persolvendum. Quod enim sese Deo multorum debitorem agnosceret, neque dignam aliquam retributionem proferre valeret, quam habet, hanc deponit, ut scilicet eum perpetuo hymnis celebret, ac ea in re totam vitam transigat. Audiant qui tota die negotiationibus et cauponis versantur : ac ne vel semel ad preces sese convertunt, quantorum munerum debitores Deo sint. Hoc vitæ lucrum est, Deo benedicere, atque hac in re vitam agere dignum est. Jure autem adjecit illud, « In vita mea; » et illud, « Quam- » diu sum psallam Deo. » Neque enim est quispiam in morte, qui memor sit ejus, in inferno autem quis confitebitur? Sic fatuis virginibus nuptialis cubiculi janua clausa est, quia tempus quod in ferendis lampadibus transigere debebant, in oleo emendo consumpserunt.

[1] Psal. CIII, 31 et seqq.

« Jucundum sit ei eloquium meum : ego vero delectabor in Domino [1]. » Utinam, inquit, ita cantem et psallam, ut fructus meus ipsi placeat; eloquium videlicet, sive colloquium meum, conversatio et laus mea : nam qui psallit, Deum alloquitur. Quid autem est illud, « Jucundum sit ei eloquium meum? » id est acceptabile sit ipsi, placeat ei, jucundissimum ac placidissimum Deo videatur. Oratio itaque nihil aliud est, quam colloquium cum Deo. Animadvertere igitur psalmodiam in se retributionem continere. Quid enim alloquio Dei æquari possit? Hujusmodi anima a tumultibus liberatur, in cœlum transfertur, vinculis corporis solvitur, alis instruitur, levior efficitur, affectus deponit, morbos exuit. Nam si ex prudentis viri colloquio quis lucrum reportans abscedit, cogita quantum virtutis metet ex Dei colloquio. Hymnus ergo est collocutio cum Deo. Quomodo autem hæc Deo jucunda fuerit? Si vita sit pura, si anima philosophetur. Nam si totam diem orando transigas, dum vitæ ratio orationi repugnat, non facile exaudiaris; non modo tu ipse, sed etiam quivis alius qui pro te precetur. Hæc porro dico, non ut ne oremus neque psallamus; sed ut post psalmos de vita et conversatione nostra solliciti simus. Hac item ratione versiculum hunc explices : multi quæstus causa perverse judicia ferunt, sed et antequam per accuratum examen et perquisitionem, qua de re agatur intelligant, temere singulis sententiis assensum præbent. At ea dialecticæ natura est, ut rerum naturas accurate distinguendi, similia cognoscendi, et quæ ad se pertineant discernendi, facultatem præstare posse putetur. Quamobrem David cum se divina dialectica instructum esse cognosceret, dicebat : « Jucundum sit tibi eloquium meum, » sive dialectica mea. Nam dialectica eorum qui altercandi ac

[1] Psal. CIII, 34.

contendendi animo res aggrediuntur, non jucunda, sed potius exasperans est. Quod autem sermo æquitatem spectans, jucundus Deo sit, ipse in cantico affirmat, « Favum distillant labia tua, soror mea sponsa : mel et » lac sub lingua tua [1]. » Quod vero qui frigida et futilia verba loqui solet, injucundus sit, id psalmodia declarat, cum ait, « Sepulcrum patens est guttur eorum. Ego vero » delectabor in Domino [2]. » Precor, inquit, ut hymnus et eloquium istud, jucundissimum Deo videatur. Id enim si fiat, hinc ego hilaritatem consequar, et delectabor in Domino, id est, in cultu, in adoratione, in præceptis ejus, quod talis mihi Dominus sit. Nam quæ subaspectum cadunt pulchra quidem sunt, cœlum delectat, sol lætificat, terra semina plantasque profert; at ego plus delector in creatore, quam in his omnibus. Hæc mihi voluptas, hæc lætitia, hæc deliciæ, hæc infinita bona mihi sunt.

« Deficiant peccatores a terra et iniqui ita ut non » sint [3]. » In illo videlicet tempore, quo audient, « Discedite a me maledicti in ignem æternum, paratum » diabolo et angelis ejus. Esurivi enim, et non dedistis » mihi manducare; sitivi, et non potastis me; hospes » eram, et non collegistis me; nudus, et non cooperuis» tis me; infirmus et in carcere, et non visitastis me [4] : » et non erunt in portione eorum qui Deo benedicunt. At quis forte dicat : Ergone bene Propheta imprecatur iis qui in peccatis sunt, omnesque vult perire ac destrui? At decuit potius virum sanctum ac spiritualem pro infirmantibus precari. Cæterum audi, paucis enim absolvam : Ante Servatoris adventum omnes in peccatis eramus, terræ imperabat Satanas, non erat qui faceret bonum, non erat usque ad unum : omnes declinaverant, simul inutiles facti erant. Nam Græci quidem idolorum cultores, æquitatis modum ignorabant, bonæ vitæ callem

[1] Cant. IV, 12. — [2] Psal. V, 11. — [3] Psal. CIII, 35. — [4] Matth. XXV, 41.

nesciebant; imo potius omnium rerum opificem et Salvatorem Christum nullatenus cognoscebant. Judæi item legem quidem habebant pro pædagogo : at non poterat ex lege homo justificari : omnes igitur in peccatis eramus, terra iniquitate plena erat. Postquam autem apparuit unigenitum Dei Verbum, et factum est homo, tunc defecerunt peccatores, defecerunt ii qui in iniquitate versabantur. Quomodo aut qua ratione? omnes quippe justificaverat, a sceleribus liberaverat, omnes liberos, puros ac tersos effecerat. Hinc ergo sequitur paucos in peccatis remansisse, multos autem justificatos esse. Itaque hic non naturam destrui rogat, neque homines funditus exitio tradi; sed precatur, ut peccator malitiam deserat, ut non ultra peccator sit; sed immutetur, ne sit iniquus, sed resipiscat. Sanctorum quippe animæ non pro seipsis tantum, sed pro universo orbe orationes efferunt suas. Nunc igitur David, arcanas divinæ pulchritudinis divitias, quoad humanæ facultatis erat, explorans, omnes homines paris notitiæ consortes esse peroptabat, peccatorumque sortem omnino deficere precabatur; non ut pereant postulans, sed ut resipiscant, utque eorum cœtus, postquam pristinam divinorum notitiam posuerunt et abjecerunt, deleatur. Vane igitur contentioni illi in obdurationis suæ pætrociniumhujusmodi voces opponunt; quod David videlicet deficere peccatorem exoptet, ac infamiam confusionemque inimicis imprecetur; quod Jeremias ultionem a Deo adversariis suis inflictam videre cupidus sit; quod Osee, ut infœcunda vulva mammæque aridæ inimicis dentur supplicet : ac similia bene multa in divinis Scripturis passim posita colligunt, ut hinc evincant, inimicis imprecari fas esse, atque sic acerbitatis suæ Dei bonitatem vindicem faciant.

Verum nemo eorum qui vere sancti sunt, quorum dic-

ta ex divina dispensatione ad posterorum institutionem conscripta fuere, ad malum quodpiam studium suum contulisse demonstrabitur; sed totus eorum scopus ad improbitatis in humana natura versantis emendationem respicit. Quemadmodum is qui præcatur non esse infirmos, non esse pauperes, non hominum destructionem, sed infirmitatem paupertatemque aboleri expetit; ita singuli sanctorum quod naturæ adversatur de medio tolli postulant. Nam cum psalmista ait, « Deficiant pec- » catores a terra et iniqui, ita ut non sint [1], » peccatum et iniquitatem deficere precatur. Non enim homo homini inimicus est; sed motus voluntatis ad malitiam, quod natura conjunctum erat ad inimicitiam deduxit. Malum igitur deficere precatur : at homo non malum quidpiam est. Quomodo enim malum boni similitudo fuerit? Ita quamvis insaniam et confusionem inimicis precetur, hic tibi adversariorum, qui in occulto humanam naturam oppugnant, cœtum declarat. Quod autem dæmonibus non hominibus imprecetur, ipsa orationis forma comprobat : « Confundantur, inquit, qui quærunt animam » meam, ut auferant eam. Convertantur retrorsum et » erubescant qui volunt mihi mala. Ferant confestim » confusionem suam qui dicunt mihi, Euge, euge. Exul- » tent et lætentur in te omnes qui quærunt te Domine, » et dicant semper, Magnificetur Dominus, qui diligunt » salutare tuum [2]. » Soli quippe dæmones animæ insidiantur : animæ autem insidiæ sunt alienatio a Deo ob pravum animi affectum. Ut ergo in hæc non incidat, adversariis infamiam precatur. Illud vero nihil aliud est, quam victoriam sibi de adversariis postulare : inimici vero sunt animi affectus. Sic Jeremias zelo religionis instructus, rege et populo idola colentibus, non peculiarem

[1] Psal. CIII, 35. — [2] Psal. XXXIX, 14.

quemdam animi morbum curat, sed pro communi hominum supplicationem Deo offert, rogans ut contra impios impetum faciat, et sic omnes homines ad meliorem frugem revocentur. Et Osee malitiam tunc apud Israëlitas sese multiplicantem, infœcunditati damnat, et acerbas peccati mammas exsiccari expetit, ut ne malum apud homines vel gignatur vel alatur. Ac si quis alius apud sanctos viros similis sermo, iræ speciem præferens, deprehenditur, ad hanc prorsus mentem respicit; scilicet malum eliminat, hominem vero non atterit.

Quod si quis alia ratione Davidis dicta intelligere velit, ita ut Propheta eos qui in impietate vivunt execrationi subjiciat; ita quoque inveniet prophetiam cum Apostolica doctrina quadrare. Paulus quippe Corinthiis scribens, hoc modo claudit : « Si quis non amat Dominum Jesum, » anathema sit [1]. » Nam eorum qui ardenter amant proprium est, odisse eos qui dilectum odio habent. Fortasse item statum qui post resurrectionem futurus est, hic David significat, quando dicit lætari Dominum in operibus suis, deficientibus peccatoribus a terra. Quomodo enim quis a peccato denominetur, si peccatum non fuerit? Hæc tu quoque precare; Aperi, Domine, divitem manum tuam ad spiritualis beneficii dispensationem, ut amarissima et crudelis anima mea impleatur bonitate : mitte Spiritum sanctum tuum, et renova corruptam terram meam; ut tunc læter in operibus tuis, diabolicis præstigiis in corde meo deficientibus.

« Benedic anima mea Domino. » Omnibus cum laude absolutis, in eodem versiculo psalmum benedictione claudit; ac post jactum fundamentum, sermoni tectum imposuit, ac proœmio congruentem finem induxit. Tu enim, inquit, o anima, opificem ac Salvatorem tuum

[1] Cor. XVI, 22.

assidue hymnis celebrato. Ipse namque te a sorte improborum amovebit, et sanctorum consortio dignam efficiet. Tum in exordio tum in fine sermonis ipsi benedictionem emittas. Nam assidua Dei benedictio, ad rectum institutum vitam concinnat nostram.

PSALMUS CIV.

Alleluia.

« Confitemini Domino, et invocate nomen ejus, an- » nuntiate inter gentes opera ejus. Cantate ei et psallite » ei, narrate omnia mirabilia ejus [1]. » Hic psalmus primus eorum est qui « Alleluia » inscribuntur. Est autem Alleluia adhortatio mystica ad Deum laudandum aurem excitans; ita ut hæc sit ejus significatio, « Laudate Domi- » num. » Nam in quibus sanctæ Scripturæ partibus hæc vox apponitur, « Laudate Dominum, » Hebraïcis verbis per « Alleluia » exprimitur. Per illud enim « Allelu, » laus intelligitur, quæ ad Deum refertur: illud autem « ia, » unum est ex nominibus queis divina natura significatur. Totum vero « Alleluia » explicatur « laus Dei. » Cum itaque hoc nomen inscriptum in psalmodia reperitur; tunc intelligendum est id quod subjungitur ad laudem Dei provocare. Sic in postremis maxime libri psalmis, multi hujusmodi tituli reperiuntur : queis intelligere licet eis, qui ad virtutis perfectionem jam devenerunt et qui a præcedentibus psalmodiæ partibus, secundum sententiam purgati sunt, Dei laudes convenire : atque ea conditione illos esse qua Angelorum natura esse creditur. Nullam enim aliam eorum occupationem didicimus esse, quam Deum laudare; neque iis qui in virtute perfecti sunt alia cura et studium est, quam ut efficiant totam vitam suam Dei laudem esse. Quoniam igitur ii psalmi qui inscriptionem habent, « Alleluia, » omnes fere in postrema psal-

[1] Psal. CIV, 1, 2.

modiæ parte deprehenduntur, hinc intelligere licet, sublimi illi ascensui, qui in psalmis reperitur, præeminere postremam psalmodiæ partem, in qua ut plurimum, laus Dei, sive adhortatio ad Deum laudandum frequentatur. In hoc ergo psalmo Apostolis præcipit Spiritus sanctus, ut omnia mirabilia, quæ in suo adventu fecit Dominus, populo ex gentibus patefaciant; itemque narrent quæ beneficia prisco illi populo exhibuerit, et quam vicem singulis eorum gestis reddiderit. Insuper hic promissionum a Deo Patriarchis factarum mentio habetur, et quanta ipsorum gratia nepotibus eorum bona concessa fuerint. Horum quippe commemoratio est ad beneficio donatos avitæ virtutis studio inflammandos satis. Postea vero docet novum populum, scilicet ex gentibus, se ingratam illam gentem divina providentia non injuste spoliasse, ut pariter ex justitia sententiæ contra illos latæ, viso ingrati animi præmio, moneantur ne in eadem qua Judæi via incedant, sed in recto calle insistant.

« Confitemini Domino, et invocate nomen ejus. » Cum Scriptura soleat duplici sensu confessionem proferre, ac modo hac voce peccatorum denuntiationem, modo gratiarum actionem significet; hic secundum utramque rationem, ad vitam cum virtute agendam instituimur. Nam confessio, a malis hominem semovet, et iis alienum efficit : gratiarum autem actionis studium, apud beneficum auget gratiam erga eos qui grato animo beneficia nacti sunt. Hortatur itaque sermo ad hymnos gratiarum actionis efferendos, et ad divina beneficia narranda. Nam illud, « invocate, » Symmachus, « prædicate » vertit : » alius autem interpres ait, « Et invocate in » nomine ejus. » Magnum quidpiam subindicans. Atenim si confessus fueris, ait, et peccata deposueris, nomen ejus cum fiducia invocando magna edere opera valebis. Ne-

que sine causa primo confiteri, postea invocare exoptat; sed ut per confessionem purgati, ex puro instrumento hymnum offeramus.

« Annuntiate inter gentes opera ejus. » Hæc laus, quam tractamns, historiam compendio narrat a tempore Abrahami ad exitum filiorum Israël ex Ægypto, quam gentibus annuntiare jubet Spiritus divinus; ita ut his declaret non Judæorum modo, sed etiam gentium utilitatem curari : Spiritu scilicet præcones gentium excitante ad quærendum Dominum, et ad prædicanda ejus opera. Idque cum hymnis agendum docet, ait enim : « Cantate ei et » psallite ei, narrate omnia mirabilia ejus. » Vult gentibus, utpote ignorantibus ac nondum edoctis, annuntiari quanta olim beneficia Deus prisco populo impertierit, ac quomodo illi infinita a Deo munera consecuti, impie transgressi sint; qua item ratione ob iniquitates suas a Dei providentia lapsi sint. Jubet autem eos et interpretes et explanatores esse arcanorum quæ divina eloquia complectuntur : quæ sane mirabilia ejus fuerint : ac præcipit ut hymnis ipsi vicem rependant, et ab se patrata mirabilia ignorantibus aperiant.

« Laudamini in nomine sancto ejus : lætetur cor quæ» rentium Dominum. Quærite Dominum, et confirma» mini, quærite faciem ejus semper [1]. » Laus enim et gloria iis est, qui Dei virtutem enarrant. Aquila vero loco illius, « laudamini, » interpretatur, « gloriamini. » Præcipit autem sermo Apostolis eorumque successoribus, ut ne in divitiis, in robore, in potentia, altum sapiant; sed in veri Dei cognitione et providentia, ac in eo quod Christiani vocentur. Hoc item jubet divinus Apostolus, dum ait, « Qui gloriatur, in Domino glorietur : non enim » qui seipsum commendat ille probatus est; sed quem

[1] Psal. CIV, 3, 4.

» Dominus commendat[1]. » Idipsum Jeremias, id sapientissima Anna pronuntiant, « Non glorietur sapiens in sa-» pientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, » et non glorietur dives in divitiis suis : sed in hoc glo-» rietur qui gloriatur, intelligendo et cognoscendo, quia » ego sum Dominus, qui facio misericordiam et justitiam » in terra. Lætetur cor qaærentium Dominum[2];» id est, invocantium eum ad opem, sive virtute ad eum tendentium, a quibus etiam invenitur. Docet autem quanta utilitas ex confessione proveniet. Nam quod quæsivistis, ait, id accidet vobis; videlicet animi lætitia : illa quippe spei Deo repositæ fructus est. Animadverte autem quomodo a confessione inceperit, et in lætitiam desinat. Nam profectus secundum Deum initium confessio est; finis autem lætitia secundum Deum : plurima vero sunt in medio horum posita. Oportet igitur homines primo confiteri Domino per sinceram pœnitentiam, ac per fructus confessioni congruentes : deinde vero ad meliora profectos confidere et invocare nomen ejus : sicque ubi post confessionem invocaverint eum, divinis charismatibus donari; sub hæc his acceptis, opera quæ didicerunt omnibus annuntiando, aliis quoque utiles esse : ac præter hæc omnia, utpote lætitia illa, quæ secundum Deum est, dignatos, cantare ei et psallere ei : secundum hæc, explanatores esse arcanorum, quæ in divinis sermonibus continentur; hinc, utpote qui hæc omnia recte peregerint, laudari in nomine ejus; demum post hæc omnia anima lætari, quæ cor dicitur. Hæc porro quæ Dominum quæsivit, tum ex ipsa perquisitione, tum quod quærendo reperiat, ea quæ secundum Deum est lætitia fruatur.

Isthæc vero omnia æstimo ad personam Apostolorum a Spiritu sancto referri. Nam illud, « Annuntiate in gen-

[1] 2 Cor. x, 18. — [2] Hierem. ix, 23.

» tibus opera ejus, » non aliis dicere convenit quam illis. Sermonis porro veritatem ipse rerum eventus testificatur. Etenim ii soli in gentibus quæ sua opera universorum Deum cognoverunt, opera Dei annuntiaverunt, quas gentes superius novam generationem et populum qui creatur nuncupavit. Eum itaque qui Dominum quæsiturus est, opus est primo per sinceram pœnitentiam et per fructus ejusdem confiteri : nam qui talis est, Deum quærere, et quærendo invenire potest. Nam si cum de lapidibus pretiosis agitur, peritis est opus, et si urinatores multa scientia egent; multo magis cum de Deo agitur. Multa enim impedimento sunt quominus inveniatur, negotiorum tumultus, carnis insultus, animarum morbi, dæmonum insidiæ, animi segnities; si his omnibus liberemur, quamprimum ipsum inveniemus, malitiam ponemus, et virtutem amplexabimur. Hæc quippe via est illo tendens. Quid ergo est illa inquisitio? frequenter illum cogitare et animo versare : nam qui quærit, in ipsa mente quod quærit habet.

« Quærite Dominum et confirmamini : quærite faciem » ejus semper. » Quid est Dominum quærere? quæ ad illum pertinent sapere, de illo semper cogitare, eum in mente semper versare, nunquam cum eo per orationem et bona opera conversandi finem facere. Qui autem ipsum inquirunt, invicti et insuperabiles erunt. Cum igitur sermo gentium præcones incitasset ut Dominum alacriter exquirerent, nunc magis magisque confirmat illos dicens, « Confirmamini, » id est, ne molliter in illo quærendo agatis. Sic autem ipsos alloquitur, ut robore ac virtute indigentes, quo illos ad jussum peragendum confirmet : erat porro illud, ut gentibus prædicarent, Græcis et Barbaris, secundum illud, « Dominus dabit verbum evange-

» lizantibus virtute multa[1]. » Docet quo pacto quærere illum oporteat, et quod non semel aut his, sed per totam vitam, supernum auxilium exquirere opus sit, atque hinc utilitatem capere. Subsumit deinde, « Quærite » faciem ejus semper. » Non ter in anno, ut in lege Moysis ferebatur in conspectum ejus venientes; sed per totam vitam. Faciem vero hic vocat ejus adventum, visitationem, providentiam, curam, auxilium, commilitium, benevolentiam. Nam substantiæ ejus faciem nemo videbit et vivet. Facies item ejus est Filius.

« Mementote mirabilium ejus quæ fecit, prodigia ejus » et judicia oris ejus[2]; » sive illa quæ in veteri Scriptura, sive illa quæ in Evangeliis memorantur. Hæc enim opus erit vos gentium præcones omnibus gentibus tradere; quando illæ ea a nemine antehac edidicerunt. Quæcumque igitur Dei Verbum incarnatum peregit, cum antiquis conjuncta, gentibus tradere memineritis. Hic videtur mihi viam ostendere qua possimus Deum quærere et invenire. Quænam illa via? Perpetuo in memoria volvere mirabilia ejus opera, leges et præcepta : quare subdit, « Prodigia ejus et judicia oris ejus. » Prodigia quidem divina signa dicens ; judicia vero, decreta et præcepta, sive ea, quæ ad ultionem justo judicio a Deo patrata sunt, mirabilia. Quæ prodigia dic mihi? Quæ in Ægypto, quæ ante et post profectum in Ægyptum, quæ post adventum ejus. Hæc quippe omnia admiranda et stupenda opera sunt, quæ humanum captum superant. Sive prodigia quidem, edita miracula, ut ambulare supra mare, mortuos suscitare, et similia ; judicia autem oris ejus, verba quæ dicebat cum impuros dæmones ex hominibus pelleret ; vel præcepta novi Testamenti. Imo potius hoc loco videtur mihi judicia vocare

[1] Psal. LXVII, 12. — [2] Psal. CIV, 5.

leges, quas sive in cœlo, sive in terra, sive in mari posuit. Neque enim solus homo legem accepit; sed omnia visibilia; mare, ne oras transgrederetur; montes, ut figerentur, terra ut staret, sol ut curreret, luna proprium ut ordinem servaret; varius ille stellarum chorus, corporum, plantarum, brutorum natura, ut et aliorum omnium, legem accepit : universa quippe suis legibus administrantur. Et hæc omnia præceptis facta sunt, quæ ore declarantur. Quæcumque ergo os ipsius, sive per vetus, sive per novum Testamentum judicavit, ea connectite, gentibus præcipientes, ut judicia ejus quasi regias leges custodiant. Judicia porro intelligas ea, quæ justo calculo mirabiliter edita sunt. Nam quia ea quæ in Ægypto gesta sunt narraturus est, justitiam ultionis de Ægyptiis sumptæ docere antevertit. Oportebat enim omnes, qui in terra sunt, homines, ejus judiciis subditos, neque gesta ejus, neque judicia ejus ignorare. Quibus judiciis non solum Judaïcam gentem, sed etiam omnes in terra homines vocatione sua dignari decrevit.

« Semen Abraham servi ejus, filii Jacob electi ejus. » Ipse Dominus Deus noster.[1]. » Quoniam, « non omnes » qui ex Israël, ii sunt Israëlitæ, neque qui, semen » sunt Abrahæ, omnes filii[2]; » jure quidem Salvator noster Judæis qui ex semine Abrahæ esse gloriabantur, dixit : « Scio quia semen Abrahæ estis ; » et iterum, « Si » filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite[3]; » ita ut quidam filii sint Abrahæ per imitationem, qui et electi vocantur; cum aliqui semen tantum ejus sint, atque ideo minime electi : non enim semen electum dicitur, sed filii. Semen vero sunt servi ejus. Cum itaque Discipuli Servatoris, gentium præcones effecti, utrumque obtinerent, utpote qui et servi essent et electi; ideo dictum est

[1] Psal. CIV, 6, 7. — [2] Rom. IX, 6. — [3] Joan VIII, 37; Ibid. 39.

ad eos : « Semen Abraham servi ejus, filii Jacob electi » ejus. » Huic autem dicto, « Electi ejus, » compares illud, « Hos duodecim elegit Jesus, et Apostolos nominavit[1]; » et illud, Nonne ego vos duodecim elegi[2]? » Electorum vero præstantiam intelligimus ex illo, « et » multi vocati, pauci vero electi. Ipse Dominus Deus » noster, in universa terra judicia ejus[3]. » Non ignorandum, inquit, ipsum esse Dominum Deum nostrum, qui providentia sua universum mundum divinis judiciis administrat ; ita ut nihil sine judicio, nihil sine Dei providentia eveniat.

« Memor fuit in sæculum testamenti sui, verbi quod » mandavit in mille generationes. Quod disposuit ad » Abraham, et juramenti sui ad Isaac, et statuit illud » Jacob in præceptum, et Israël testamentum æternum : » dicens, Tibi dabo terram Chanaan, funiculum hæreditatis vestræ. Cum essent numero brevi, paucissimi » et incolæ in ea. Et pertransierunt de gente in gentem, » et de regno ad populum alterum. Non reliquit hominem nocere eis, et corripuit pro eis reges. Nolite tangere Christos meos, et in Prophetis meis nolite malignari[4]. » Si accurate perpendas quod illud verbum fuerit, quod mandavit, in multas generationes pervadens ; non enim numerum annorum, sed perpetuum subindicat numerus hujusmodi, ut verbi gratia, septies, « Sterilis » peperit septem, » id est, multos; et, « Septies cadet » justus et resurget ; » hac ratione illud Abrahæ dictum comperies, « Et benedicentur in te omnes gentes terræ[5]. « Et, « benedicentur in semine tuo omnes tribus terræ. » Et multiplicans multiplicabo semen tuum.[6]. » Similia item Isaaco promissa reperias jurejurando confirmata,

[1] Luc. VI, 13; — [2] Joan. VI, 71. — [3] Matth. XX, 16. — [4] Psal. CIV, 8 et seqq. — [5] Gen. XII, 1; — [6] Gen. XXII, 18.

tam de terra, quam de multiplicatione seminis. Hoc porro post plurimas generationes impletum est in adventu Christi ex semine Abrahæ oriundi. Et ad hoc usque tempus viget et permanet promissio, donec plenitudo gentium ingressa fuerit. Hic itaque diuturnum post ævum, et post multas exactas generationes, nam hic millenas pro plurimis accepit, illas Patriarchis datas promissiones per Salvatorem nostrum Jesum, ac per ejus doctrinam implevit, omnibus gentibus Abrahæ promissionem impertiens.

« Et vocavit famem super terram, omne firmamentum » panis contrivit [1]. » In his sermo aliud quidpiam, multis occultum, et edocet. Causam enim cur famem, instar animalis cujusdam, vocaverit super terram; id est, virtutem famis effectricem, et cur omne firmamentum panis contriverit, hic declarat; ut patefaciat quo in casu panis non firmet eos qui illo replentur, secundum illud, « Panis cor hominis confirmat. » Id enim maxime tempore famis evenit, et ira Dei immissum, ut scilicet qui comedunt non confirmentur.

« Misit ante eos hominem, in servum venumdatus » est Joseph. Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, » ferrum pertransiit anima ejus, donec veniret verbum » ejus [2]. » Hæc omnia pertulit, donec veniret verbum ejus, quod cum in visionibus accepisset patri et fratribus suis renuntiavit, dicens vidisse seipsum fratresque suos manipulos colligentes, ac illorum deinde manipulos suum manipulum adorasse, similiter quoque solem et lunam atque undecim stellas ipsum adorasse. « Donec veniret » verbum ejus. Eloquium Domini inflammavit eum; » illud, « Eloquium Domini inflammavit eum [3], » simile est huic: « Nonne per Deum declaratio illorum est? » Ne-

[1] Psal. CIV, 16. — [2] Ibid. 17, 18. — [3] Ibid. 19.

que enim, ait, somnia Pharaoni explicasset, nisi Deo dante ipsa intellexisset. « Misit rex et solvit eum, princeps populi et dimisit eum. Constituit eum dominum » domus suæ et principem omnis possessionis suæ, » ut erudiret principes ejus, sicut semetipsum, et » senes ejus sapientiam doceret. [1]. » Cum a tentationibus ceu igne satis probatus fuisset Joseph; tunc Deo suggerente Pharaoni, qui et rex et princeps hic vocatur, a vinculis solvitur, atque domus regis et omnis possessionis ejus princeps constituitur. Extulit enim eum, ut complures dixerint, ut fructus ad abundantiam colligeret, et ad tempus famis eos custodiret. Hic autem sermo docet, non tam ob frugum custodiam ad principatum evectum fuisse, quam ad utilitatem animæ eorum qui per ipsum docendi et instituendi erant. Erant autem hi principes Pharaonis et seniores. Quibus utilem institutionem adeptis, verisimile erat omnes quoque subditos profectus hujusmodi consortes futuros esse.

« Et intravit Israël in Ægyptum, et Jacob accola fuit » in terra Cham. Et auxit populum suum vehementer, » et firmavit eum super inimicos ejus [2], Quis intravit, nisi Israël? Et quis accola fuit in terra Cham, nisi Jacob? His autem cum ipse pater tum filii ejus declarantur. Cum enim non solus Jacob intraverit; sed etiam septuagenta animæ cum eo, secundum illud, « In sep» tuaginta animabus descendit Israël in Ægyptum [3]; » idcirco et filii et pater prædictis verbis significantur. » Et auxit populum suum vehementer, et firmavit eum » super inimicos ejus. » Nec aucti nec firmati fuissent, nisi Josephum patronum nacti essent, et ab Ægyptiis honorem accepissent, qui Josephi gratia ipsis deferebatur.

« Convertit cor eorum ut odirent populum suum, et

[1] Psal. CIV, 20 et seqq. — [2] Ibid. 23, 24. — [3] Act. VII, 14.

» dolum facerent in servos suos. Misit Moysen servum » suum, Aaron quem elegit sibi. Posuit in eis verba si- » gnorum suorum, et prodigiorum suorum in terra » Cham. Misit tenebras et obscuravit, quia exacerbave- » runt sermones ejus. Convertit aquas eorum in sangui- » nem et occidit pisces eorum. Edidit terra eorum ranas » in penetralibus regum ipsorum. Dixit et venit cyno- » mia et ciniphes in omnibus finibus eorum. Posuit plu- » vias eorum grandinem, ignem comburentem in terra » ipsorum. Et percussit vineas eorum et ficulneas eorum, » et contrivit omne lignum finium eorum. Dixit, et venit » locusta et bruchus, cujus non erat numerus, et come- » dit omne fœnum in terra eorum, et comedit omnem » fructum terræ eorum. Et percussit omne primogenitum » in terra eorum, primitias omnis laboris eorum [1]. » Quemadmodum primo Josephum permisit in servitutem redigi, ac compedibus ferroque humiliari; deinde vero post datum virtutis experimentum, ad regnum evexit; sic etiam nunc cum vellet populum providentia sua di- gnari, ipsum primo tentationibus tradidit, ut postmodum diceretur illud : « Et ingemuerunt filii Israël, et excla- » maverunt ad Dominum Deum suum, et ascendit cla- » mor eorum ad Deum ab operibus : et exaudivit Deus » gemitum eorum, et recordatus est Deus testamenti sui » ad Abraham et Isaac et Jacob. Et respexit Deus filios » Israël, et cognitus est illis [2]. » Quia vero dictum est, « convertit cor eorum, scilicet Ægyptiorum; ut odi- » rent populum ejus; » dicas Deum hoc jure fecisse. Quia enim in multa licentia, libertate et honore apud Ægyp- tios fuerant, in oblivionem Dei patrii sui venerunt, ac sese cultui Ægyptiorum idolorum dediderunt. Quam- obrem jure Ægyptios adversus illos excitavit, quia sibi

[1] Psal. CIV, 25 et seqq. — [2] Exod. II, 23.

ipsis fidentes Deum neglexerant; ut ab iis afflicti, ediscerent, neque ipsis, neque multorum numinum superstitioni hærendum esse, atque ad Deum patrum suorum sese converterent.

« Et deduxit eos cum argento et auro, et non erat in » tribubus eorum infirmus. Lætata est Ægyptus in pro» fectione eorum, quia incubuit timor eorum super » eos.[1] » Deus per Moysem populo præcipit, ut Ægyptios tanquam victos spolient, ac diuturnæ apud illos servitutis, quia illos oppresserant, præmium expectant. « Et non erat in tribubus eorum infirmus ». Quodque multo mirabilius erat, post tantum laborem, post laterum coctionem, post tantam miseriam et tot verbera, ne unus quidem infirmus erat : idque tantis plagis Ægypto illatis. Hoc utique naturæ ordinem transcendit.

« Expandit nubem in protectionem eorum, et ignem, » ut luceret eis per noctem[2]. » Recensitis Egyptiorum plagis, consequenter transit ad beneficia Israëli collata : simul nos admonens ut Ægyptiacos mores fugiamus, ne in paria incidamus, præcemurque ut in portione Dei adscribamur, cui beneficia sua impertiit : itemque commemorans, quantis Dei mirabilibus dignatus sit populus ex circumcisione, ut eorum mores coarguat, justamque abjectionis eorum causam commonstret.

« Petiit, et venix coturnix, et panibus cœli replevit » eos. Dirupit petram et fluxerunt aquæ, manarunt in » inaquosis flumina. Quoniam memor fuit verbi sancti » sui, quod habuit ad Abraham servum suum.[3] » Sic item Moyses illos in Deuteronomio alloquitur : « Ne dicas, » Propter justitias meas eduxit me Dominus de terra Æ» gypti, sed propter jusjurandum quod juravit Dominus » patribus vestris. Et cognosces hodie quia non propter

[1] Psal. CIV, 37, 38. — [2] Ibid. 39. — [3] Ibid. 40 et seqq.

» justias tuas, Dominus Deus tuus dat tibi terram bonam » hanc ad possidendum, quia populus duræ cervicis es. » Et eduxit populum suum in exultatione, et electos » suos in lætitia. [1] » Singula enim quæ contigerunt admiratione digna erant, et prodigiis plena, ut quod ipsis pellentibus cum voluptate liberarentur, quod cum abundantia rerum, quod cum perfecta sanitate. « Et dedit » illis regiones gentium, et labores populorum possederunt. [2] » Non enim solum a pristinis liberavit, sed etiam aliena ipsis tradidit, neque permisit ut labori vacarent, « Ut custodiant justificationes ejus, et legem ejus » requirant. [3] » Hæc promisit, quia custodierant justificationes ejus. Talis quippe Deus est, ut misericordiam suam diligentibus se in millibus exhibeat. His autem illorum nepotibus talia præstitit et largitus est, cohortans et concitans eos ad custodiendas justificationes ipsius et legem ipsius exquirendam. Sed quia tot dignati bonis, prædicta non custodierunt, tunc ablata ab ipsis gratia est, nec modo terram amiserunt, sed etiam a Deo lapsi sunt, ac gentium et inimicorum servi sunt effecti.

[1] Deut. IX, 4; Psal. CIV, 43. — [2] Ibid. 44. — [3] Ibid. 45.

—

PSALMUS CV.

Alleluia.

« Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in » sæculum misericordia ejus. Quis loquetur potentias Do- » mini, auditas faciet omnes laudes ejus? Beati qui cus- » todiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tem- » pore. Memento nostri Domine in beneplacito populi » tui, visita nos in salutari tuo. Ad videndum in bonitate » electorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ, ut lau- » deris cum hæreditate tua. [1] » Hic quoque psalmus laudem hymmumque in Deum continet, quare inscriptus est, « Alleluia », quod explicatur, « Laudate Dominum ». Statim autem a principio præcipit iis qui a peccatis aguntur, ut a Dei Filium tanquam ad medicum et servatorem accedant, atque propria confitentes peccata, animæ vulnera ipsi detegant. Qui vero id sincere præstat, ac delicta pristina deflet, id ut non verbis tantum, sed animo quoque et operibus peragat, a psalmista instituitur. Hortatur porro ad alacriter confitendum, annuntiando, « Quoniam bonus » est Dominus, « quoniam in » sæculum misericordia ejus ». Idcirco ait prompto animo confitemini; quia et ipse ad clementiam paratus est, gnarus res præsentis sæculi misericordia egere, utpote quæ mortales et fluxæ sint.

« Peccavimus cum patribus nostris, injuste egimus, » iniquitatem fecimus. [2] » Non soli, inquit, peccavimus; sed si quis jam inde a priscis temporibus exploret, genus

[1] Psal. cv, 1 et seqq. — [2] Ibid. 6.

nostrum peccatis semper deditum fuisse deprehendet. Cum enim a Moyse tot miracula ederentur, non intellexerunt; sed salutem nacti, et ab Ægyptiorum servitute liberati, non cognoverunt, quod non justitiæ suæ causa, neque quod ipsi Dei providentia digni essent, sed ob magnitudinem misericordiæ ipsius, hæc consecuti sint.

« Patres nostri in Ægypto non intellexerunt mirabilia » tua, non fuerunt memores multitudinis misericordiæ » tuæ. Et irritaverunt ascendentes in mare rubrum. [1] » Hæc quidem præcedens psalmus enarravit, mirabilia vero in deserto patrata compendio retulit, nullamque in populum accusationem instituit. Hic vero psalmus resumit narrationem, omnesque populi impietates commemorat. Totiusque sermo Judaïcæ gentis accusatio est. « Et irritaverunt ascendentes in mare Rubrum »; cum ad Moysen accedentes dicerent, Utinam mortui essemus in Ægypto, aut in hac solitudine; et, « An quia sepulcra » non erant in Ægypto eduxisti nos, ut interficeres in » solitudine? Quid hoc fecisti nobis educens ex Ægypto? » Nonne hic erat sermo, quem locuti sumus ad te in » Ægypto dicentes, Dimitte nos ut serviamus Ægyptiis? » Melius est enim nos servire Ægyptiis, quam mori in » solitudine hac. [2] » Et, quantum in ipsis quidem situm erat, Deum sibi ex clemente acerbum efficiebant. At bonus Deus, misericordia et mansuetudine dives, rursus « salvabit eos propter nomen suum, ut notam faceret » potentiam suam [3] »; ne impii dicerent, « Ubi est Deus » eorum? « ideo ipsis salutem tunc impertiit : undique illos ad salutem compellens. Illi autem victi ad modicum tempus verbis ejus crediderunt, postquam mare Rubrum transierant.

« Et increpuit mare Rubrum et exsiccatum est, et de-

[1] Psal. cv, 7. — [2] Exod. xiv, 11. — [3] Psal. cv, 8.

» duxit eos in abysso sicut in deserto [1] ». Qui increpuit mare Rubrum, ab omnibus Deus habitus et declaratus est. Cum ergo Jesus agitato mari imperat, apud omnes in confesso fuit ipsum esse Deum, ut ex tempestate et procella, tranquillitas existeret. Idem quippe Deus est qui increpavit mare Rubrum et exsiccavit illud, ita ut pertransiri posset id, quod olim ob multitudinem aquarum mare et abyssus vocabatur.

« Et salvabit eos de manu odientis, et redemit eos de » manu inimici. Operuit aqua tribulantes eos, unus ex » eis non remansit [2] ». Quærat quispiam, de promiscuis Ægyptiis qui mare transierunt, et una cum populo in deserto versabuntur. Cui respondebimus, eos non ex numero opprimentium Israëlem fuisse. De tribulantibus autem dictum est, « Unus ex eis non remansit ». Promiscuus vero populus, Ægyptius quidem erat, sed cum Moysis vocibus crederet, salutem est consecutus.

« Et crediderunt verbo ejus, et cantaverunt laudem » ejus. Cito fecerunt, obliti sunt operum ejus, non sus» tinuerunt consilium ejus [3] ». Cum Moyse et Aaron in exitu canticum cecinerunt; sed quamprimum et statim immutati, obliti sunt operum ejus.

« Et concupierunt concupiscentiam in deserto, et ten» taverunt Deum in inaquoso. Et dedit eis petitionem » ipsorum, et misit saturitatem in animas eorum. Et ir» ritaverunt Moysen in castris, Aaron, sanctum Do» mini [4] ». Quando tentaverunt Deum in inaquoso, etsi tentationibus ille non pateat, cum injuriarum immemor sit, non ultus eos, dedit eis petitionem ipsorum. Quinetiam cum exacerbarent eum ascendentes in mare Rubrum, tunc ostendit eis potentiam suam : cum autem irritaverunt Moysen et Aaron in castris, tunc aperta est

[1] Psal. cv, 9. — [2] Ibid. 10, 11. — [3] Ibid. 12, 13. — [4] Ibid. 14 et seqq.

terra, et deglutivit eos : non oportebat enim famulos ipsius contemni. Sed quia bonitas et severitas penes illum sunt, primo benignitatem exhibuit illis; cum autem nihil prodesset eis, consequenter ultricem medelam ipsis adhibet : quare subdit : « Aperta est terra, et deglutivit » Dathan, et operuit super caput Abirom. Et exarsit » ignis in synagoga eorum, flamma combussit pecca- » tores [1] ». Moysen itaque irritaverunt Dathan et Abiron dicentes : « Num Moysi solus locutus est Deus, nonne » etiam nobis » ? Aaronem vero Core et cœtus illius, ignem alienum, et sacrificia Deo loco Sacerdotum offerre ausi, irritaverunt. Sed eos qui contra Moysen locuti fuerant, Dathan scilicet cum toto genere suo hians terra deglutivit, et operuit super congregationem Abiron; Core autem et eos qui cum illo incensa sua oblaturi erant, flamma de tabernaculo prodiens combussit.

« Et fecerunt vitulum in Choreb, et adoraverunt sculp- » tile, et mutaverunt gloriam suam in similitudinem vi- » tuli comedentis fœnum. Obliti sunt Deum qui salvavit » eos, qui fecit magna in Ægypto, mirabilia in terra » Cham, terribilia in mari Rubro. Et dixit ut disperderet » eos, nisi Moyses electus ejus stetisset, in confractione » in conspectu ejus, ut averteret iram ejus ne disper- » deret eos, et pro nihilo habuerunt terram desidera- » bilem. Non crediderunt verbo ejus, et murmuraverunt » in tabernaculis suis, non exaudierunt vocem Domini. » et elevavit manum suam super eos, ut prosterneret eos » in deserto, et ut dejiceret semen eorum in nationibus, » et dispergeret eos in regionibus. Et initiati sunt Beel- » phegor, et comederunt sacrificia mortuorum. Et irri- » taverunt eum in adinventionibus suis et multiplicata » est in eis ruina. Et stetit Phinees et placavit, et ces-

[1] Psal. cv, 17, 18.

» savit quassatio. Et reputatum est ei in justitiam, in » generationem et generationem usque in sempiter- » num [1] ». Extat in Numeris historia quomodo accepta Phinees hasta Madianitidem, et simul illum qui cum ea rem habebat, transfixerit : quo edito facinore statim ira Dei placata illis est. Hic porro declaratur quantum apud Deum valeat unius viri justitia; ita ut ob Phineæ pro Deo zelum ira frangeretur, et quassatio peccatores invadens averteretur.

« Et irritaverunt eum ad aquam contradictionis, et » vexatus est Moyses propter eos, quia exacerbaverunt » spiritum ejus. Et distinxit in labiis suis, non disperdi- » derunt gentes, quas dixit Dominus illis. Et commixti » sunt inter gentes, et didicerunt opera eorum, et ser- » vierunt sculptilibus eorum, et factum est illis in scan- » dalum. Et immolaverunt filios suos et filias suas dæ- » moniis. Et effuderunt sanguinem innocentem, » sanguinem filiorum suorum et filiarum suarum, quas » sacrificaverunt sculptilibus Chanaan. Et infecta est » terra in sanguinibus, et contaminata est in operibus » eorum, et fornicati sunt in adinventionibus suis. Et » iratus est furore Dominus in populum suum, et abomi- » natus est hæreditatem suam [2]. » Si propter hæc omnia abominatus est hæreditatem suam, cur supra dictum est, « Ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad læ- » tandum in lætitia gentis tuæ, ut lauderis cum hæredi- » tate tua? At perpende num aperte sermo abominatam prioris populi hæreditatem declaret, ac de alia hæredi- tate vaticinetur, ut et de alio populo quibus cum annu- merari optandum esse docet.

« Et tradidit eos in manus inimicorum, et dominati » sunt eorum qui oderunt eos [3]. » Non tradit Dominus

[1] Psal. cv, 19 et seqq. — [2] Ibid. 32 et seqq. — [3] Ibid. 41.

populum suum, nisi prius abominetur ipsum : ipsum autem abominatur ob memorata opera. Cum autem ipse Dominus tradiderit, quis non possit populis ad ipsum pertinentibus dominari? « Et tribulaverunt eos inimici » eorum, et humiliati sunt sub manibus eorum : sæpe » liberavit eos. Ipsi autem exacerbaverunt eum in con- » silio suo : et humiliati sunt iniquitatibus suis [1]. » Ipse quidem ait, bonus cum esset ac mitigaretur, liberabat eos; illi vero exacerbaverunt eum, acerbum sibi constituentes : ac rursus ille, utpote servator, eruebat eos; illi vero peribant, exitii operibus sese confodientes : idque sæpe factum est, donec se ipsi humiliaverunt in iniquitatibus suis.

« Et vidit Dominus cum tribularentur, cum audiret » deprecationem eorum. Et memor fuit testamenti sui, » et pænituit eum secundum multitudinem miseri- » cordiæ suæ. Et dedit eos in misericordias in cons- » pectu omnium qui ceperant eos [2]. » Hoc implebatur, quando immisit Deus in cor Cyri regis, et postea Darii et Artaxerxis, ut cum Judaïca gente benigne agerent, secundum ea quæ in Esdræ Scriptura feruntur. Quinetiam nunc Romano imperio parentes miserationibus, Deo auctore, donantur : non quod digni sint; sed ob misericordiæ ejus magnitudinem. « Et pœnituit eum » secundum multitudinem misericordiæ suæ. » Pœnitentiam autem vocat castigationis cessationem. Deus quippe pœnitentiæ affectum habere nequit : neque modo his, modo illis placita edit ; sed sapienter omnia moderans, et castigationes inducit, et clementiam exhibet.

« Salvos nos fac, Domine Deus noster, et congrega nos » de nationibus, ut confiteamur nomini sancto tuo, et » gloriemur in laude tua. Benedictus Dominus Deus

[1] Psal. cv, 42, 43. — [2] Ibid. 44 et seqq.

» Israël, a sæculo et usque in sæculum, et dicet omnis » populus, fiat fiat [1]. » Docentur rogare ut de gentibus congregentur; ut vel sero tandem a dispersione liberati in unum conveniant. Quod Judæi quidem in præsenti vita futurum esse somniant, cum unctus ipsis aderit. Nos autem jam Salvatore nostro hominibus illucescente, multitudinem animarum ex omnibus gentibus in dies sub Dei Filio congregatarum videmus : quæ hic præparantur ad meliorem congregationem in regno cœlorum habendam, quam vere sanctam fore promittit. « Benedic- » tus Dominus Deus Israël a sæculo et usque in sæculum. » Et dicet omnis populus, fiat, fiat. » Congruenter Apostolo dicenti. « In omni gratias agite, » jam sermo docet, semper Domino benedicendum esse, sive misereatur, sive castiget, sive salutem impertiat [2].

[1] Psal. cv, 47, 48. — [2] 1 Thess. v, 18.

PSALMUS CVI.

Alleluia.

« CONFITEMINI Domino quoniam bonus, quoniam in » sæculum misericordia ejus. Dicant qui redempti sunt » a Domino, quos redemit de manu inimicorum, et de » regionibus congregavit eos a solis ortu et occasu, ab » Aquilone et mari : erraverunt in solitudine, in ina- » quoso [1]. » Domino confitendum est, sive ipsi ut medico peccata nostra declarando; sive pro beneficiis in nos collatis gratias agendo, utpote qui curationis ejus pignus obtineamus : quoniam non modo bonus est, sed etiam per totum præsens sæculum misericordiam suam extendit. « Dicant qui redempti sunt a Domino, quos re- » demit de manu inimicorum et de regionibus congrega- » vit eos. » Gentium vocatio per Salvatorem nostrum ad rem deducta, congruenter in præsenti post Judaïcæ gentis repudiationem, quæ in præcedenti psalmo enarrata fuit, prænuntiatur : in quo post longum impietatum ipsorum catalogum dictum est : « Et iratus est Dominus » in populum suum, et abominatus est hæreditatem » suam. Quos redemit de manu inimicorum : » eos nempe qui ab inimicis et hostibus hominum, diabolo scilicet, in servitutem redacti fuerant. « Et de regionibus congre- » gavit eos a solis ortu usque ad occasum, ab Aquilone » et mari. » Congregat autem eos in Ecclesiam suam ex omni gente : universum quippe orbem per quatuor climata designavit. Ex his namque gens nova et hæreditas

[1] Psal. CVI, 1 et seqq.

Dei nova constitit. Consentaneum itaque est quamdam existimare Judæorum ex gentibus synagogam hoc significari psalmo; quasi Judæi per totum orbem a gentibus semovendi, ab alienæ terræ incolatu liberandi, et in Judæam congregandi sint : nam id hactenus Judæi somniant. Sed quia hæc non ipso opere facta deprehenduntur, cum elapsis jam a captivitate Babylonica annis prope mille, nihil hujusmodi in illorum gratiam peractum sit, restat ut rerum eventui hæc verba accommodemus, et ad gentium vocationem prophetiam reducamus.

« Erraverunt in solitudine et in inaquoso, viam civi-» tatis habitaculi non invenerunt : esurientes et sitien-» tes, anima eorum in ipsis defecit [1]. » Nos scilicet qui ante divinum Servatoris nostri cultum, in vita infrugifera, inaquosa sterilique olim errabamus, cum gentes irrationabiles essemus, atque ad muta idola abduceremur ; qui nunquam viam civitatis habitaculi inveneramus, cum alieni essemus a civitate Israëlis, cum nullam spem haberemus et athei in mundo essemus; qui olim odio eramus, in fame et siti animo deficientes, quod rationabili et cœlesti cibo spiritualique potu privati essemus, secundum illud, « Emittam non famem panis, » neque sitim aquæ; sed famem audiendi verbum Do-» mini. Et commovebuntur aquæ a mari usque ad mare, » et ab Aquilone usque ad orientem; circuibunt quæ-» rentes verbum Domini, et non invenient [2]; » idcirco in deserto virtutum existentes errabamus, ducem ac principem non nacti, quem sequentes decursa via reperire possemus civitatem sacra lege rite constitutam, in qua habitare possemus, nunquam inde recessuri : hæc eautm est virtus et Dei sapientia. « Et clamaverunt ad » Dominum cum tribularentur, et de necessitatibus

[1] Psal. cvi, 5. — [2] Amos. viii, 11.

» eorum eripuit eos [1]. » Gentes omnes cum in deserto et inaquoso errarent, atque anima earum ex penuria salutarium verborum deficeret, clamabant ad Deum supplicantes, ut communis omnibus Servator mitteretur : « Et » clamaverunt ad Dominum cum tribularentur. » Captivis condolentes, ac erga sitientes et præ cibi penuria animo deficientes misericordia moti, clamabant ipsi et vociferabantur ad Dominum, pro suis singuli deprecantes.

« Et deduxit eos in viam rectam, ut irent in civita» tem habitationis. Confiteantur Domino misericordiæ » ejus, et mirabilia ejus filiis hominum [2]. » Illi siquidem erraverunt in terra deserta et inaquosa, hac prima ægritudine, erroris scilicet, laborantes. Hinc in secundum malum delapsi, viam civitatis, in qua habitarent, non invenerunt : ac tertium ipsos malum invasit, quia esuriebant et sitiebant, ita ut anima eorum in ipsis deficeret. Benignus autem Deus ac bonus Salvator, primo quidem deduxit eos in viam rectam; deinde docuit eos quo pacto in via ad civitatem habitaculi ducente, graderentur. Ecqua vero illa recta via fuerit, nisi salutaris sermo Evangelicus, qui solus nos ad cœlestem ducit civitatem, in qua constituti, habitaculum nostrum reperiemus ? « Con» fiteantur Domino misericordiæ ejus, et mirabilia ejus » filiis hominum : » prædicantes omnibus filiis hominum, ut omnes de gratia Dei in nos collata, deque ejus misericordia certiores effecti, ad salutem properemus nostram.

« Quia satiavit animam inanem, et animam esurien» tem replevit bonis, sedentes in tenebris et umbra » mortis, vinctos in mendicitate et ferro. Quia exacer» baverunt eloquia Domini, et consilium Altissimi irri-

[1] Psal. cvi, 6. — Ibid. 7, 8.

» taverunt [1]. » Umbram mortis si idololatriam et impias actiones dixeris, neutiquam aberres. Hæ quippe sunt quæ nos a vera vita semovent. In his porro antea versabamur, quando Deum exacerbabamus, et consilium Altissimi irritabamus. Nam cum oportuisset ex magnitudine et pulchritudine creaturarum opificem universorum contemplari, et sempiternam ejus virtutem divinitatemque ex creatione mundi intelligere; nos contra quasi cæci in tenebris et umbra mortis degentes, ac secundum rationabiles animæ virtutes compediti et excæcati, mutavimus gloriam incorrupti Dei in similitudinem imaginis corrupti hominis, et volucrum, et quadrupedum, et reptilium.

« Et humiliatum est in laboribus cor eorum : infirmati » sunt, nec fuit qui adjuvaret [2]. » Ingens quippe illud facinus soli Verbo Dei reservabatur, de quo sub hæc dicitur : « Misit Verbum suum, et sanavit eos, et eripuit eos » de interitionibus eorum. Et clamaverunt ad Dominum » cum tribularentur : et de necessitatibus eorum liberavit eos. Et eduxit eos de tenebris et umbra mortis, et » vincula eorum disrupit [3]. » Nam quomodo in necessitatibus non fuerimus, cum malignis dæmonibus et spiritibus immundis serviremus? At benignus et misericors Deus sanctorum Prophetarum ac religiosorum virorum pro nobis ad se clamantium preces exaudiens, non modo nos ab illis eripuit, verum etiam eorum vincula disrupit. Hoc porro declarat uberem peccatorum remissionem, qua nos Salvatoris nostri Jesu Christi gratia dignatus est.

« Confiteantur Domino misericordiæ ejus, et mirabi- » lia ejus filiis hominum : quia contrivit portas æreas, » et vectes ferreos confregit. Suscepit eos de via iniqui- » tatis eorum, propter injustitias enim suas humiliati

[1] Psal. cvi, 9 et seqq. — [2] Ibid. 12 et seqq. — [3] Ibid. 13, 14.

» sunt [1]. » Idipsum jam ob posteriora ejus beneficia repetitur. Æstimo autem humanarum animarum ad mortem usque lapsum his indicari; quarum causa opus fuit ut Redemptor et Salvator omnium ad mortem usque descenderet. Quo cum solus ex omnibus venisset Christus Dei, portas illas, quæ a sæculo ferro occlusæ erant, et nulli mortalium apertæ fuerant, atque ideo ex ære conflatæ fuerant, contrivit, et una earum vectes, antea infractos, confregit.

« Omnem escam abominata est anima eorum, et ap» propinquaverunt usque ad portas mortis [2]. » Ob malum affectum eorum, qui rationabilem et animabus salutarem escam aversabantur, merito missus unigenitus Dei Filius, carne et humana natura suscepta, ad portas usque mortis profectus iis, qui qousque deciderant et ad ipsum clamaverant, salutis manum porrexit. « Et clamaverunt ad » Dominum cum tribularentur, et de necessitatibus » eorum liberavit eos. Misit verbum suum et sana» vit eos, et eripuit eos de interitionibus eorum. » Confiteantur Domino misericordiæ ejus, et mira» bilia ejus filiis hominum. Et sacrificent ei sacrifi» cium laudis, et annuntient opera ejus in exultatione, » qui descendunt mare in navibus, facientes operatio» nem in aquis multis [3]. » Cum redemptoris et Servatoris adventum commemorasset, per quem prædicta omnia edita fuerant; deinde adjicit de Apostolis ipsius vaticinium. Ipsi namque erant qui descendebant mare in navibus, idque vere et ad litteram, quemadmodum divina Evangeliorum Scriptura testificatur. Apostolorum itaque ipsorumque comitum mentionem admodum congruenter hæc Scriptura Dei Verbi ad homines adventui subjunxit. At enim illis ipsis nova novi Testamenti mysteria peragere

[1] Psal. CVI, 15 et seqq. — [2] Ibid. 18. — [3] Ibid. 19 et seqq.

præcepit dicens : « Et sacrificent sacrificium laudis, et » annuntient opera ejus in exultatione. »

« Dixit et stetit spiritus procellæ, et exaltati sunt » fluctus ejus. Ascendunt usque ad cœlos et descendunt » usque ad abyssos, anima eorum in malis tabescebat. » Turbati sunt, commoti sunt sicut ebrius, et omnis sa- » pientia eorum devorata est. Et clamaverunt ad Domi- » num cum tribularentur, et de necessitatibus eorum » eduxit eos. Et percussit procellam, et stetit in auram, » et siluerunt fluctus ejus [1]. » Hæc prophetice prænun- tiata reipsa et ad litteram impleta sunt. Nam cum Disci- puli Salvatoris nostri cum ipso navigarent, « motus, » *inquit*, magnus factus est in mari, ita ut navicula » operiretur fluctibus [2]. » Illi vero procumbentes dice- bant ei, « Domine salva nos; perimus. » Ille vero dum dixisset, « Quid timidi estis modicæ fidei? increpavit » ventos et mare, et facta est tranquillitas magna. Et » lætentur quia siluerunt, et deduxit eos in portum » voluntatis suæ. Confiteantur Domino misericordiæ » ejus, et mirabilia ejus filiis hominum. Exaltent eum in » Ecclesia plebis, et in cathedra seniorum laudent » eum [3]. » Deducti sunt in portum voluntatis ejus : qua de causa hic quarto jubentur Domino confiteri, et mise- ricordias ejus in ore ferre. Præcipit item omnibus homi- nibus ut annuntient mirabilia ejus. « Posuit flumina in » desertum, et exitus aquarum in sitim, terram fructi- » feram in salsuginem a malitia inhabitantium in ea. » Posuit desertum in stagna aquarum, et terram sine » aqua in exitus aquarum. Et habitare fecit illic esurien- » tes, et constituerunt civitates habitationis. Et semi- » naverunt agros et plantaverunt vineas, et fecerunt » fructum productionis. Et benedixit eis et multiplicati

[1] Psal. CVI, 25 et seqq. — [2] Matth. VIII, 24. — [3] Psal. CVI, 30 et seqq.

» sunt nimis, et jumenta eorum non minoravit. Et pauci » facti sunt, et vexati sunt a tribulatione malorum et do- » lore. Effusa est contemptio super principes eorum, et » errare fecit eos in invio, et non in via [1]. » Etenim Judaicæ gentis multitudo in tantam bonorum penuriam redacta est, ut pauci penes ipsos reperiantur qui secundum Deum præclari sint. Ac tota quidem eorum gens quæ in hoc vaticinio prænuntiantur sustinuit. Principes autem eorum, et Patriarchæ quidam, Sacerdotes, legis doctores, Sadducæi, Scribæ et Pharisæi pudore suffusi sunt, in contemptumque traditi; utpote qui, vocati cum essent ad viam rectam, illam respuerint.

« Et adjuvit pauperem de inopia[2]. » Hic consueto more Symmachus edidit, « Et muniet pauperem ab afflictio- » ne. » Illis quidem, ait, quæ prædicta sunt evenient: pauperem vero populum muniet, videlicet illum qui ex gentibus constituendus est, quem beatum prædicans Salvator ac Dominus noster Jesus Christus dicebat: « Beati » pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlo- » rum. Et posuit sicut oves familias [3]. » Aquila vero ait, « Et ponet sicut ovile cognationes; » Symmachus autem, « Et statuet, *inquit*, sicut gregem cognationes; » id est, Ecclesias quæ per civitates et regiones ex diversis cognationibus constitutæ sunt.

« Videbunt recti et lætabuntur, et omnis iniquitas » oppilabit os suum [4]. » Quid porro videbunt, nisi rerum ex deterioribus ad meliora commutationem? Quamobrem iis qui prophetias ad effectum et finem deductas conspexerunt dicebat Servator: « Vestri autem beati oculi, » quia vident; et, multi Prophetæ voluerunt videre quæ » vos videtis, et non viderunt. Et omnis iniquitas oppi-

[1] Psal. cvi, 33 et seqq. — [2] Ibid. 41. — [3] Matth. v, 3, — [4] Psal. cvi, 42.

» labit os suum[1]. » In rabiem acta et ob invidiam dolore fracta, neque tamen aliquid agere valens, quia Deus ita voluit. Id autem manifeste videre licet, cum infidelium et idololatrarum iniquitas, contra Ecclesiam Christi furens et sæpe insaniens, quod demum nihil agere valeret, os suum obturavit, a divino verbo frænata : quod etiam illis tempore persecutionum hæc edicit, « Tace, obmu- » tesce [2]. » iniquitatem vero intelligas diabolum, et omnem iniqua agentem, secundum illud, « Obstructum » est os loquentium iniqua[3]. Quis sapiens, et custodiet » hæc : et intelligent misericordias Domini[4] ? »

[1] Matth. XIII, 16. — [2] Marc. IV, 39. — [3] Psal. LXII, 12. — [4] Psal. CVI, 43.

PSALMUS CVII.

Canticum psalmi ipsi David[1].

« Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, can- » tabo et psallam in gloria mea. Exurge gloria mea, » exurge psalterium et cithara, exurgam diluculo. » Confitebor tibi in populis, Domine, psallam tibi in » nationibus. Quoniam magna est super cœlos miseric or- » dia tua, et usque ad nubes veritas tua[1]. » Qui salutari illa beatitudine dignus effectus est, qua dicitur, « Beati » mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt, » confidenter dicat, « Paratum cor meum Deus[2]. » Propheta igitur cum per bona opera rem Spiritui sancto gratam et acceptam perfecisset, talium largitori Deo præsentem orationem emittit. « Cantabo et psallam in gloria mea : » id est, assumpta gloria mea, seu prophetandi gratia. » Exurge gloria mea, exurge psalterium et cithara, » exurgam diluculo. » Num forte animæ corporisque sui vires excitat ob adventuram ipsi Spiritus sancti inspirationem; ita ut nos spirituali more membra corporis et sensus excipiamus, quibus mens quandocumque voluerit pulsatur; psalterium vero explicemus incorporeas et rationabiles animæ virtutes, quas ad Spiritus susceptionem præparans ait, « Exurge psalterium et cithara. »

« Exaltare super cœlos Deus, et super omnem terram » gloria tua, ut liberentur dilecti tui. Salvum fac dextera » tua, et exaudi me. Deus locutus est in sancto suo : » exaltabor et dividam Sichima, et convallem taberna-

[1] Psal. CVII, 1 et seqq. — [2] Matth. V, 8.

» culorum dimetiar [1]. » Obsecro precorque, cito adesse gratiam, qua te altissimum Deum in cœlis celebratum noscamus, et gloria tua per omnem terram manifesta reddatur. Hoc enim peracto, dilecti tui a dura servitute eruentur et a captivitate qua subacti et afflicti sunt. « Salvum fac dextera tua et exaudi me, Deus locutus est » in sancto suo. » Quis erat sanctus Dei nisi Filius unigenitus, qui vere sanctus et dilectus est : per quem Deus ipsis ad supradictam orationem, quæ sic habet, « Exaltare super cœlos Deus, » respondet, « Exal- » tabor; » ad illud vero, « Et super omnem terram glo- » ria tua, » rursus congruenter reponit ab his verbis, « Exaltabor et dividam Sichima, et convallem taberna- » culorum dimetiar. » Hanc, inquit, convallem, id est, universum Orbem, in tabernacula dimetiar, quasi loca eorum metiens et describens; dividam in tabernacula per singulas civitates, et regiones et vicos : ac rursum, tabernacula mihi dimetiens, ac per loca distribuens, id est, universas per orbem Ecclesias.

« Meus est Galaad, et meus est Manasses : et Ephraïm » susceptio capitis mei. Juda rex meus, Moab lebes spei » meæ [2]. » Quoniam Ephraïm et Manasses filii Joseph fuerunt, eorumque posteri regionem, quæ Galaad vocabatur, occuparunt, et Sychem et Samariam, ubi regia Israëlis erat; ideo illos suos esse dicit, ac Ephraïm quia ex ipso regnum constabat, fortitudinem capitis sui per excellentiam vocat. « Juda rex meus, Moab lebes spei » meæ. » Judam regem esse suum dicit. Manifestum autem est secundum Apostolum, Salvatorem et Dominum nostrum Jesum Christum exortum esse ex Juda, a quo regium genus constitutum est. In his item sermo Ephraïm et Judam recenset; quoniam totum Judæorum genus

[1] Psal. CVII, 6 et seqq. — [2] Ibid. 9, 10.

olim in duo regna dividebatur; vaticinans non ultra futuram hujusmodi divisionem esse, sed totius gentis conjunctionem. Hæc porro completa sunt in adventu Domini et Servatoris nostri Jesu Christi. Eo quippe tempore universa gens Judæorum in unum redacta, neque ultra in regna duo divisa fuit. Quapropter pari ratione Servator Evangelium regni prædicabat, et in omnes tribus eorum Discipulos mittebat suos. «Juda rex meus, Moab le- » bes spei meæ. » Cum hi porro in primis et in principio vocationis suscepti fuerint, non tamen alienigenæ illi pejores a me alieni erunt; sed etiam ipsum Moab, cui olim vetitum ad Ecclesiam Domini accedere, admittam et excipiam : id enim spero. « Moab lebes spei » meæ. » Clarius autem et apertius hæc interpretati sunt Aquila et Quinta editio, his verbis, « Moab lebes lavacri » mei; » id est, « receptaculum lavacri mei; » Symmachus vero, Erit, *inquit*, Moab lebes securitatis meæ. verum memini audivisse me a quodam Hebræos, sub secreto in hæc loca sententiam tradente : qui his mystice declarari dicebat Christi generationem secundum carnem, quam a genere Moab per Ruth Moabitidem assumpsit, ex qua oriundus est rex David, cujus ex semine Christus Dei secundum carnem genitus est, qui etiam ad Joannis baptisma et ad lavacrum Jordanis accessit. « Moab lebes » spei meæ. » His quoque, ut videtur mihi, gratia vocationis Moabo a Deo promittitur, non alio modo peragenda, nisi per lavacrum regenerationis. Cum Moabo talia promissa sint, paria de reliquis gentibus cogitanda nobis relinquit. Nam cum prophetia Moabitas admittat, qui olim proscripti erant; manifestum est per illos cæteris item gentibus eum bonam spem adscribere.

« In Idumæam extendam calceamentum meum, mihi » alienigenæ subditi sunt. Quis deducet me in civitatem

» munitionis ; aut quis deducet me usque in Idumæam ? » Nonne tu, qui repulisti nos, et non egredieris Deus in » virtutibus nostris ? Da nobis auxilium de tribulatione, » et vana salus hominis. In deo faciemus virtutem, et » ipse ad nihilum deducet tribulantes nos[1]. » Id est, Ascendam et ambulabo inter gentes. Idumæi namque ab Esaü illo exoso oriundi erant, de quo dictum est : « Nonne » frater erat Esaü Jacob, dicit Dominus? et, Jacob di- » lexi, Esaü autem, odio habui[2]. » Extendam igitur, inquit, calceamentum, non amplius in Israël, non in Judæam terram, non in Jerosolyma tantum, sed in illam ipsam odiosam regionem. Ascendam itaque ad illos olim inimicos, atque eos amicorum loco habebo. « Mihi alie- » nigenæ subditi sunt. » Pro quo Aquila quidem ait, « Cum Phylistæis amicitiam inibo ; » Quinta autem editio, « Apud Allophylos honorabor ; » quinquagesimus vero nonus psalmus habet, « Mihi Alienigenæ subditi sunt. » Notitiæ vero Dei et amicitiæ et societatis et dilectionis signum est, ipsi subjici eos, qui olim inobsequentes et Deo alieni erant, pravisque dæmonibus subditi.

[1] Psal. CVII, 11 et seqq. — [2] Malach. I, 2.

PSALMUS CVIII.

In finem psalmus ipsi David[1].

« Deus laudem meam ne tacueris : quia os peccatoris » et os dolosi super me apertum est. Locuti sunt adver- » sum me lingua dolosa, et sermonibus odii circumdede- » runt me, et oppugnaverunt me gratis. » In hoc item de more pro illo, « in finem, Aquila, « Victoriæ auc- » tori , » Symmachus vero , « Triumphale, edidit. Spiritu sancto tantum non docente nos, in triumphalibus Salvatoris nostri et trophæis de morte partis, has voces proferre debere, in quibus humana ejus vita et tolerantia cruciatuum declaratur. « Deus laudem meam ne tacueris: quia os peccatoris et os dolosi super me apertum est. » Locuti sunt adversum me lingua dolosa, et sermonibus » odii circumdederunt me, et oppugnaverunt me gratis. » Præsens quippe psalmus refertur ad personam Christi, utpote qui passiones ejus complectatur, ut testificatur Actuum Apostolorum Scriptura, ubi Petrus cum proditoris Judæ lapsum memorasset, ac monuisset alium ad XII Apostolorum numerum complendum aggregari oportere, testimonio usus est prophetico, ut in præsenti psalmo habetur : « Fiat habitatio ejus deserta, et non sit qui in- » habitet in ea, et episcopatum ejus accipiat alter[2]; » ita ut secundum Petri doctrinam hæc vox de Juda prolata sit, ut et cæteræ in hoc psalmo expressæ. Salvator igitur ab allatis vocibus humano more orsus, utpote homo factus, manens tamen Deus ut erat, Patrem obse-

[1] Psal. CVIII, 1 et seqq. — [2] Act. I, 20.

crat, ne insidiatores consilio suo officiant; consilium autem ejus totum erat, ut ex hominibus idololatriam omnem extingueret, Patri vero laudem in terra constitueret : quod item alibi docet his verbis, « Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo » te[1]. Qui autem vitæ ejus insidias parabant, summo studio satagebant ut hæc ipsa laus silentio prorsus mitteretur. Verum tu, inquit, Pater ne sinas laudem taceri meam, quæ in honorem et gloriam tuam concinnatur. « Quia os peccatoris et os dolosi super me apertum » est. » Os autem peccatoris et os dolosi potissimum erat os Pharisæorum et Scribarum, qui cum hypocrisi ipsum Magistrum et Rabbi vocabant; præsertim autem Judæ, qui Salvatorem et Dominum suum osculo prodidit.

« Locuti sunt adversum me lingua dolosa, et sermo- » nibus odii circumdederunt me, et oppugnaverunt me » gratis. Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi : » ego autem orabam[2]. » Cum enim illum, utpote beneficum, ac non corporum modo, sed etiam animarum medicum diligere debuissent, illi contra calumnias adversus eum conflabant.

» Pro eo ut me deligerent detrahebant mihi : ego au- » tem orabam. Et posuerunt adversum me mala pro » bonis, et odium pro dilectione mea[3]. » Discipulos meos tantum non opere docens quales esse debeant, si quando in patria incidant. Quia vero in medio dicitur, « Ego autem orabam, » sed quænam pro illis precaretur scripto non traditur : quispiam non incommode dixerit, ipsum hæc quæ jacent pro illis etiam precatum esse, quæ doctrinæ ipsius affinia erant dicentis, « Orate pro læ- » dentibus et persequentibus vos. Et posuerunt adversum » me mala pro bonis, et odium pro dilectione mea[4]. »

[1] Psal. xxi, 23. — [2] Psal. cviii, 4. — [3] Ibid. 5. — [4] Matth. v, 44.

Hac de re dicendum nihil, cum historia Evangelica multitudinem beneficiorum, quæ incarnatus hominibus impertiit, complectatur, cum scilicet curaret omnem eorum languorem et infirmitatem.

« Constitue super eum peccatorem, et diabolus stet a » dextris ejus [1]. » Qui etiam ipsum enervavit, ac omnibus, quæ prius in dextra animæ suæ parte possidere videbatur, ipsum spoliavit. Cum judicatur, exeat condemnatus, et oratio ejus fiat in peccatum. Fiant dies » ejus pauci, et episcopatum ejus accipiat alter : fiant » filii ejus orphani, et uxor ejus vidua. Nutantes transfe- » rantur filii ejus, et mendicent, ejiciantur de habitatio- » nibus suis [2]. » Verisimile est hæc reipsa ac secundum nudam litteram contra proditorem post suspensionem ejus completa fuisse; ita ut filii quidem ejus orphani essent, et uxor ejus vidua, cætaraque omnia quæ recensentur ad litteram finem sortirentur, et prædictio Salvatoris nostri, qui hæc futura in psalmo prænuntiabat, vera deprehenderetur. Hæc item intelligas populo Judaïco post insidias in Christum structas accidisse. Nam paucis elapsis post crucem annis, tota gens sedibus pulsa est : atque illi quidem interfecti sunt, mulieres vero cum liberis in servitutem actæ sunt.

« Scrutetur fœnerator omnem substantiam ejus, et » diripiant alieni divitias eorum. Non sit illi susceptor, » nec sit miserator pupillis ejus. Fiant nati ejus in inte- » ritum, in generatione una deleatur nomen ejus [3]. Symmachus vero sic, « Colligat exactor omnia quæ sunt » ipsi. » Exactores autem Romanorum Imperatores sunt, impositum vectigal exigentes. Hi porro omnia Judæorum bona diripuerunt, accurate omnia scrutantes, ita ut occulta etiam invenirent sibique vendicarent. His vero

[1] Psal. CVIII, 6. — [2] Ibid. 7 et seqq. — [3] Ibid. 11 et seqq.

gestis, postquam inimici bona ipsorum inter se diviserint, nemo iis adjutor erit, nec eorum filiis parcetur. Deinde quadraginta nondum elapsis annis, Judæorum populus internecione deletus est.

« In memoriam redeat iniquitas patrum ejus in conspectu Domini, et peccatum matris ejus non deleatur.
» Fiat contra Dominum semper, et dispereat de terra
» memoriale eorum, pro eo quod non est recordatus fa-
» cere misecordiam[1]. » Patrum virtus sæpenumero etiam fiiliis peccantibus profuit, ut fides Abrahæ Judæis, Davidis pietas Salomoni : sed pravitas parentum filiis similibus pænam adauget ; ex nullo quippe loco aliqua miserendi occasio reperitur. « In memoriam redeat iniquitas
» patrum ejus in conspectu Domini. » Patres autem eorum vocat illos, qui in deserto impie se gesserunt, qui tempore Judicum et Regum, quique post reditum ex Babylonia inique vixerunt. « Et peccatum matris ejus non
» deleatur. » Matrem vero vocat Jerosolymam, in qua cruentum contra Dominum Christum facinus perpetrare ausi sunt. « Fiat contra Dominum semper, et dispereat
» de terra memoriale eorum, pro eo quod non est
» recordatus facere misericordiam. Cum omnia, inquit, ab eis admissa scelera Deus semper intueatur, nulla ipsos venia dignabitur, sed internecioni tradet. Atque hinc palam est, non de solo Juda, sed de omnibus incredulis Judæis hæc dici : nam a singulari persona ad multos sermonem transtulit ; non enim jam dicit, « ejus ; » sed, »
« eorum. »

« Et persecutus est hominem inopem et mendicum,
« et compunctum corde mortificare, » id est, percussum ob iniquitates quas in ipsis videbat. Quare Jerosolymam deflens dixit ei, « Si cognovisses et tu quæ adpacem

[1] Psal. cviii, 14 et seqq. — [2] Ibid. 17.

» tibi : nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis [1]. Mor-
» ticavit » autem ipsum, quia in causa fuit cur ad mortem traderetur. « Et dilexit maledictionem, et veniet ei;
» et noluit benedictionem, et elongabitur ab eo. Et in-
» duit maledictionem sicut vestimentum, et intravit
» sicut aqua in interiora ejus, et sicut oleum in ossibus
» ejus. Fiat ei sicut vestimentum quo operitur, et sicut
» zona, qua semper præcingitur. Hoc opus eorum qui
» detrahunt mihi a Domino, et qui loquuntur mala adver-
» sus animam meam [2]. » Cum prophetia de persona Salvatoris dicat, « Qui benedixerint te, benedicti sunt; et
» qui maledixerint te maledicti sunt [3]; » quomodo quidem ii qui in toto orbe Deum per ipsum cognoverunt, ac in ipsum crediderunt, Dei benedictione dignentur; ita ut multiplicentur et augeantur et Ecclesia Christi omnia impleat, propalam omnibus est: quomodo autem Judæi, qui in ipsum quotidie maledicta et blasphema verba proferunt, Dei maledictionem sibi ipsis attrahant, etiam hoc manifestum est ex eo quod caput non attollant, neque emergant, ex quo tempore Salvatori nostro insidias struxerunt.

« Et tu, Domine, fac mecum propter nomen tuum,
» quia suavis est misericordia tua. Libera me, quia ege-
» nus et pauper ego sum, et cor meum conturbatum est
» intra me. Sicut umbra cum declinat ablatus sum, ex-
» cussus sum sicut locustæ. Genua mea infirmata sunt a
» jejunio, et caro mea immutata est propter oleum [4]. »
Cum de animarum tam proditoris quam insidiatorum pernicie, necnon de totius Judaïcæ gentis repudiatione admodum sollicitus sit, utpote hominum amans; se eo-

[1] Luc. XIX, 42. — [2] Psal. CVIII, 18 et seqq. — [3] Gen. XXVII, 29. — [4] Psal. CVIII, 21 et seqq.

rum causa turbari profitetur : quare ait, « Et cor meum » conturbatum est intra me. »

« Et ego factus sum opprobrium illis : viderunt me, » et moverunt capita sua. Adjuva me, Domine Deus » meus, et salvum me fac secundum misericordiam » tuam. Et sciant quia manus tua hæc, et tu Domine fe- » cisti eam[1]. » In resurrectione a mortuis, manus Dei, id est, unigenitum ejus Verbum, innotuit, et is qui hactenus plurimis latuerat, apparuit; quando nempe ipse volens « sustinuit crucem confusione contempta[2], » atque idem corpus suum suscitavit, cum sit dextera et virtus Patris. « Sciant » igitur, ait, « quia manus tua hæc, » quam opprobriis et cachinnis traducunt, « et tu, Domi- » ne, fecisti eam : » quod tibi placuerit ut ea corpus assumeret. Nam manus Dei est ejus virtus omnium effectrix, quæ non alia est a Dei Verbo, per quod omnia facta sunt. « Maledicent illi, et tu benedices. Qui insurgunt in » me confundantur : servus autem tuus lætabitur[3]. » Ad hanc usque diem perseverant Judæi Servatorem blasphemis dictis impetere : at illis blasphema proferentibus, splendidior quotidie prædicatio evadit. « Induantur qui » detrahunt mihi pudore, et operiantur sicut diploïde » confusione sua[4]. » Judæi namque post insidias adversus Christum, Dei providentia destituti, pudore circumfusi sunt : Salvator autem et Dominus noster lætitia ad hoc usque tempus impletur, Ecclesia per totum orbem in nomine ejus constituta. « Servus autem tuus lætabitur. » Neque alio modo et sententia servi nomen hic accipere necesse est : divinum quippe Paulum audimus hæc dicentem, « Semetipsum exinanivit formam servi acci- » piens[5] ; « ipseque per Hesaïam clamat : « Sic dicit Do-

[1] Psal. cviii, 25 et seqq. — [2] Hebr. xii, 2. — [3] Psal. cviii, 28. — [4] Ibid. 29. — [5] Philip. ii, 7.

» minus formans me ex utero servum sibi. Induantur
» qui detrahunt mihi pudore, et operiantur sicut diploï-
» de confusione sua [1]. » Hoc autem ediscas, si consideres qua mente sint Judæi, videntes quidem veneranda et sancta sua funditus deleta, illius vero, qui ab ipsis ignominia affectus, ac in crucem et mortem traditus est, sepulcrum studio et honoribus celebrari; Ecclesias vero quæ ejus virtute per totum orbem fundatæ sunt in dies accrescere ac multiplicari, ac cum gloria promoveri. Hæc quippe ipsis oculis cernentes Judæi, qui non confusione et pudore merito induantur?

« Confitebor Domino nimis in ore meo, et in medio
» multorum laudabo eum, quia astistit a dextris pau-
» peris, ut salvam faceret a persequentibus animam
» meam. Multorum[2] : » quorum nisi omnium gentium quæ in ipsum crediderunt, et Ecclesiarum quæ in toto orbe sunt? Ipse namque est qui dixit, « Ubi duo vel tres
» congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio
» eorum [3]. » Ideo per totum orbem in medio Ecclesiarum magnæ a Domino gratiarum actiones Patri emittuntur.

[1] Isai. XLIX, 5. — [2] Psal. CVIII, 30, 31. — [3] Matth. XVIII, 20.

PSALMUS CIX.

Psalmus ipsi David[1].

« Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis, » donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuo- » rum[2]. » Hoc dictum valde accuratum ac verum esse Salvator significavit dicens : « Si ergo David in spiritu » vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est[3]? » neque enim sine Spiritu sancto poterat David hæc proferre, « Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis. » Quomodo enim humanæ cognitioni accidisset notitia communicationis quam Pater habet cum eo qui Dominus ipsius David dicitur? Thronus itaque regiam ejus dignitatem declarat; sessio autem firmitatem, stabilitatem, et immobilatem permansionis ejus in regno. Illud autem, « a dextris, » declarat ipsum dextrorum Patris munerum esse participem. Omnia quippe dextera, læta, bona et salutaria quasi a Patre Filius subministrat. Inimicos autem vocat eos qui in præcedenti psalmo declarati sunt; neque tantum eos, sed etiam omnes adversarias virtutes. Pater enim in præsenti psalmo se omnes sub pedes ejus prostraturum esse denuntiat.

« Virgam virtutis emittet Dominus ex Sion, et domi- » nare in medio inimicorum tuorum[4]. » Virgam virtutis arbitror hoc loco Evangelicum sermonem dictum esse. Observa porro, num forte secundum aliam rationem virga virtutis hic dicatur ea, quæ in secundo psalmo virga ferrea nuncupatur. Evangelicus itaque sermo, qui Ser-

[1] Psal. cix, 1. — [2] Ibid. 2. — [3] Matth. xxii, 45. — [4] Psal. cix, 3.

vatoris nostri virtutem et ejus œconomiam annuntiat, virga doctrinalis et salutaris fuerit; illa vero qua inimicos suos et Ecclesiæ hostes prosternit ac destruit, ferrea vocetur, qua dicitur inimicos suos tanquam vasa figuli contriturus esse. Quia igitur Christus Ecclesias suas in mediis urbibus et gentibus inter inimicos et hostes constituit, necessario dictum est, « Virgam virtutis tuæ » emittet Dominus, ut domineris in medio inimicorum » tuorum. »

« Tecum principium in die virtutis tuæ in splendori» bus sanctorum, ex utero ante Luciferum genui te[1]. » Aquila, « Ab utero diluculo excitato tibi ros pueritiæ tuæ; » Symmachus, « Velut diluculo tibi ros juventus tua; » Quinta autem editio, « Ex utero diluculo tibi ros juven» tutis tuæ. » Hisque videtur generationis ejus carnalis œconomiam significare. Ab utero enim, ait, erit ros matutinus pueritiæ tuæ; sive ex utero fiet tibi ros tuus diluculo in juventute tua. Hisque arbitror declarari, non ex semine viri, sed ex Spiritu sancto, carnalem generationem constitui. Nam quemadmodum superne de cœlo defluens, sic in utero prægnantis Matris ejus, carnis constitutio facta est in infantia ipsius. Pro illo autem, » ex ventre, » sive « ex utero, » Hebraïcum habet « Ma» riam. » Aliquo autem narrante novi, Hebraïcam vocem hic Mariam meminisse : nam illud, « Mariam, » Mariæ nomen significat; ita ut his nominatim Deipara commemoretur.

« Juravit Dominus, et non pœnitebit eum, Tu es sa» cerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. » Dominus a dextris tuis confregit in die iræ suæ reges. » Judicabit in nationibus, implebit ruinas, conquassabit » capita in terra. De torrente in via bibet, propterea

[1] Psal. cix, 4.

» exaltabit caput[1]. » Hæc admodum consequenter videntur prædictis verbis subnexa esse. Etiamsi enim ortum ex utero passus sis; atque veluti ros ex Spiritu sancto, assumpta carne, factus sis in infantia tua; at non pari atque cæteri homines ratione vitæ exitum sortieris; sed in æternum Deo et Patri Sacerdos manebis : siquidem id definitum, et a Patre tuo cum juramenti affirmatione pronuntiatum est.

[1] Psal. cix, 5 et seqq.

PSALMUS CX.

Alleluia.

« Confitebor tibi Domine in toto corde meo, in consi- » lio justorum et congregatione [1]. » Inscriptio præsentis ac sequentium psalmorum declarat, hæc non per psalterium pronuntiata fuisse, neque cantici locum tenere, neque orationis, neque aliorum quæ in titulis feruntur; sed esse hymnos gratiarum actionis : quare inscripti sunt, « Alleluia, » quod Græce versum, laudem Dei significat. « Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, in con- » silio justorum et congregatione. Magna opera Domini, » exquisita in omnes voluntates ejus. Confessio et magni- » ficentia opus ejus, et justitia ejus manet in sæculum » sæculi [2]. » Admodum vero congruenter post traditam de Salvatore nostro Prophetiam, hymnus gratiarum actionis his verbis subjungitur, ex ipsius Servatoris persona recitatus, qui Patri suo de salute omnibus hominibus concessa gratias refert. Nam confessio ex Scripturæ usu modo peccatorum declarationem significat, modo gratiarum actionem exhibet. Statim enim in Evangeliis ipse Servator noster ait : « Confiteor tibi Pater, Domine cœli » et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et pru- » dentibus, et revelasti ea parvulis. Ita pater, quoniam » sic fuit placitum ante te. Omnia mihi tradita sunt a Pa- » tre, et nemo novit quis est Filius nisi Pater, et quis est » Pater nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. In » consilio justorum et congregatione. Magna opera Do-

[1] Psal. cx, 1. — [2] Ibid. 2, 3.

» mini, exquisita in omnes voluntates ejus [1]. » Non pravorum et perversorum virorum; sed probarum et rectarum animarum, gratiarum actionum hymnum tibi Patri meo reddam. His porro significat Ecclesiam ejus gratia per totum orbem fundatam; consilium autem rectorum vocavit ordines suorum in Ecclesia sanctorum; congregationem vero, ordinem alterum post consilium rectorum nuncupat, qui in Ecclesia ejus alterum constituit multitudinis cœtum.

« Confessio et magnificentia opus ejus, et justitia ejus » manet in sæculum sæculi. Memoriam fecit mirabilium » suorum misericors et miserator Dominus, escam dedit » timentibus se. Memor erit in sæculum testamenti sui : » virtutem operum suorum annuntiavit populo suo; ut » det illis hæreditatem gentium : opera manuum ejus » veritas et judicium. Fidelia omnia mandata ejus, con- » firmata in sæculum sæculi, facta in veritate et æqui- » tate. Redemptionem misit populo suo, mandavit in » æternum testamentum suum. Sanctum et terribile no- » men ejus : initium sapientiæ timor Domini [2]. » Num forte, quoniam qui timet non perfectus est, initiatio per timorem, consummatio per dilectionem efficitur? nam « perfecta caritas foras mittit timorem [3]. » Talis autem fuerit quisquis ex toto corde, tota anima et virtute Dominum Deum diligit. « Intellectus bonus omnibus facien- » tibus eum. Laudatio ejus manet in sæculum sæculi. » Tunc bona intelligentia est, quando operibus completur : quare non dixit tantum intelligentiam bonam, sed etiam omnibus facientibus eam. « Laudatio ejus manet in sæ- » culum sæculi. » Finis enim beatorum est, ut apud Deum sint, et ipsi assistant, solique ejus theologiæ et laudi vacent.

[1] Luc. x, 21. — [2] Psal. cx, 4 et seqq. — [3] Joan. iv, 18.

PSALMUS CXI.

Alleluia.

« Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus » volet nimis. Potens in terra erit semen ejus, generatio » tio rectorum benedicetur. Gloria et divitiæ in domo » ejus, et justitia ejus manet in sæculum sæculi [1]. » Ita solet appellare omnes qui ex gentibus ad Deum accedunt. Id vero declaratur ex eo, quod distincte post Israëlem, post domum Aaronis, et post domum Levi, timentes Dominum ad hymnum Dei provocentur, ut alibi dicitur. Post illos enim quinam illi Dominum timentes esse possint, nisi ex gentibus peregrini et alienigenæ? Itaque in psalmo quem tractamus, non alius fuerit populus qui beatus prædicatur, ab eo qui ex gentibus ad Deum accessit: quem appellat timentem Dominum. Neque tamen ille statim beatus, nisi quæ sequuntur fecerit; id est, ut mandata ejus valde cupiat, ac voluntatem firmiter teneat; nec coactus, aut præter animi affectum mandata custodiat, sed libens et cum alacritate complectatur, ac sincere diligat mandatorum Dei observationem.

« Exortum est in tenebris lumen rectis, misericors et » miserator et justus [2]. » Is qui beatus prædicatur, proprium lumen non deserit, doctrinam suam non omnibus, sed rectis exoriri faciens, ac lumen cognitionis intus in rectorum generatione præbens, ac rectos illuminans. « Jucundus vir qui miseretur et commodat [3]. » Non occludit viscera sua, sed bona sua egentibus impertit: quia

[1] Psal. cxi, 1 et seqq. — [2] Ibid. 4. — [3] Ibid. 5.

hoc præceptum implet, « Quis est fidelis et prudens œconomus, qui in tempore conservis dabit tritici mensuram? Beatus ille servus quem cum venerit Dominus ejus, inveniet sic facientem. Vere dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum[1]. Disponet sermones suos in judicio, quia in æternum non commovebitur[2]. » Talis, inquit, homo, et qui talia agit, neque cadet, neque commovebitur a sua supra petram statione. Non enim principum minas reformidabit, non pertimescet eos, qui in tempore calamitatis se conturbare ac confundere conantur.

« In memoria æterna erit justus, ab auditione mala non timebit[3]. » Non ex verbis mendacii, quæ veritatem quidem præferunt, sed contra Dei cognitionem sese exerunt, sinistri quidpiam patietur, utpote fundatus supra petram, quem nihil separare possit a caritate Dei, quæ est in Christo Jesu. « Paratum cor ejus sperare in Domino, confirmatum est cor ejus : non commovebitur donec despiciat inimicos suos[4]. » Ideo, inquit, non commovebitur; sed neque « ab auditione mala » timebit, quia « paratum cor ejus » est « sperare in Domino. » Quod Symmachus vertit, « Firmum cor ejus sine sollicitudine in Domino. » Ideo hujusmodi tumultus despicit : neque modo inimicos non pertimescit, verum etiam eorum cladem, ob spem in Deo locatam, expectat.

« Dispersit dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi, cornu ejus exaltabitur in gloria. Peccator videbit et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet : desiderium peccatoris peribit[5]. » Quoniam totus hic sermo de iis qui de fide initiati sunt, et de populo ex gentibus, qui per divinam doctrinam Dei cultum

[1] Luc. XII, 42. — [2] Psal. CXI, 6. — [3] Ibid. 7. — [4] Ibid. 8. — [5] Ibid. 9 10.

uscepit, pronunciatus est, consequenter etiam memorat eos ex circumcisione, qui profectum gentium indigne ferunt. Quare dictum est, « Peccator videbit et irascetur, » dentibus suis fremet et tabescet; » quia iniquus quidem legem accepit, sed eam trangressus est. Hujusmodi autem est quisquis ex circumcisione ob salutem nostram dentibus suis fremit. Imo etiam idipsum usu venit gentilibus qui infideles sunt, ac de profectu suorum, qui ad divinam vitæ rationem translati sunt, infremunt. Cæterum utrique ordines, de iis qui in Christo perfecti sunt furentes, tabescent, ac desiderium eorum peribit.

PSALMUS CXII.

Alleluia Aggæi et Zachariæ.

« Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini. » « Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc et usque » in sæculum [1]. » Cum in præcedenti psalmo viros omnes, qui quod timeant Dominum beati effecti sunt, repræsentaverit, ac eorum vitam et institutum secundum Deum, finem quoque quo donandi apud Deum sunt, descripserit; in præsenti quinam illi et quibusnam similes sint declarat, pueros appellans, quia quoad animæ ætatem juvenes et recens nati sunt : hos quoque ad laudem Dei provocat. Pro illo, « Pueri, » Aquila et Symmachus, « Servi, » interpretati sunt dicentes, « Hymnis ce» lebrate servi Dominum, hymnis celebrate nomen Do» mini. » Pueri namque nihil a servis differunt, utpote timore servitutis instituti. « Sit nomen Domini benedic» tum ex hoc nunc et usque in sæculum. » Quasi pueris ignorantibus, quomodo Dominum laudare oporteat, Propheticus Spiritus instar pædagogi ac præceptoris voces tradit. Hæc porro oratio est pro nobis pueris emissa; ut nomen Domini perpetuo nobiscum maneat, nos minime fugiens, sed in vita nostra conquiescens.

« A solis ortu usque ad occasum laudabile nomen Do» mine [1]. Excelsus super omnes gentes Dominus, super » cœlos gloria ejus [2]. » Et quandonam hic sermo finem accepit, nisi post adventum Servatoris nostri Jesu Christi? Nam ante illum in sola Judæa Deus notus esse dicebatur,

[1] Psal. cxii, 1, 2. — [2] Ibid. 3, 4.

et in solo Israële magnum nomen ejus erat, dum gentes quæ extra Judæam erant, dæmonibus et impuris spiritibus subditæ, ac idololatriæ addictæ essent : cum nomen Domini ne quidem in mentem veniret illis. Quando autem ipse Dominus noster Jesus Christus adveniens, Discipulos suos in omnes gentes emisit, tunc impletus est hymnus per has voces universis traditus.

« Quis sicut Dominus Deus noster qui in altis habitat, » et humilia respicit in cœlo et in terra [1]? » His docetur novus populus, etiamsi Dominus noster assumptus est, et ad dexteram Patris sedet, attamen totam terram plenam esse et gaudere ejus inspectione. Annon illud magnum esse videatur? At si consideres de quo dictum sit, hoc longe inferius illo erit. Quomodo enim in cœlis habitat, qui cœlum et terram implet, qui ubique præsens dicit, « Deus appropinquans ego sum, et non Deus procul : qui mensus sum cœlum palmo, et terram pugillo [2], » qui contineo gyrum terræ? Sed quoniam tunc illi sermo cum Judæis erat, ideo fortasse hoc loquendi modo est usus, eorum sese crassitudini attemperans : ac deinde paulatim eorum mentem erigens et attollens, in cœlum et in terram adducit, id est, sursum et deorsum. Id vero ait ob Judæorum imbecillitatem, qui idolis dediti erant, et deos adorabant in locis ac templis inclusos. Cum ait igitur, « in cœlo et in terra, » ansam præbet cogitandi eum ubique atque hic et illic esse, et omnia pervadere. Non enim ut quispiam in cœlo conclusus, procul terrena conspicit; sed ubique præsens, incomprehensus, incircumscriptus, omnibusque astans. Viden quo pacto paulatim auditorum mentem sublevet? Non enim ideo interrogat, ut quis de gloria Dei digna loquatur, sed pro captu hominum. Et alibi quoque cœlum dicitur esse thronus

[1] Psal. CXII, 5, 6. — [2] Hier. XXIII, 23; Isai. XL, 12.

Dei, quia cœlestes virtutes istic Dei gloriam firmiter obtinent; terra vero scabellum, quia homines in terra extrema divinorum vix capere valent. Hic vero David postquam auditorem de terra erexit, ad aliud Dei virtutis argumentum progreditur dicens :

« Suscitans de terra inopem et de stercore erigens pau-
» perem; ut collocet eum cum principibus, cum principibus
» populi sui ; qui habitare facit sterilem in domo, matrem
» de filiis lætantem[1]. » Virtutem Dei pro voluntate sua quælibet commutantem celebrat. Non solum enim, inquit, pauperem divitiis et gloria afficit ; sed etiam cum principibus populi collocat, et ad imperium evehit. Magnæ quippe et inenarrabilis virtutis est parva erigere. Potest item hic versus de populo ex gentibus dici : de quo ait Propheta :
« Et propterea benedicet tibi populus pauper, et civitates
» hominum injuria affectorum benedicent tibi. Fuisti
» enim omni civitati humili adjutor, et iis qui animo
» deficiebant propter indigentiam, tegumentum : ab ho-
» minibus malignis erues eos : tegumentum sitientium,
» et spiritus hominum injuria affectorum[2]. » Hunc enim pauperem et populum egenum a vilibus rebus, a dedecore turbulentorum animi mortuum, et a stercore gentilitiarum abominationum erigens, sedere faciet cum principibus Israëlis, qui populus ejus est. Sunt autem Apostoli principes vel patriarchæ Hebraïcæ gentis : quibuscum habitabunt quotquot ex gentibus crediderunt. Idipsumque dicit Dominus : « Multi venient ab oriente et occi-
» dente, et recumbent cum Abraham, Isaac et Jacob in
» regno cœlorum[3]. Est itaque sermo ille universalis. Quod si quis illum anagogico more excipere velit, is deprehendet hoc ipsum in adventu Christi factum esse. Quid enim natura nostra egentius ? Attamen illam exci-

[1] Psal. CXIII, 7 et seqq. — [2] Isai. XXV, 8. — [3] Matth. VIII, 11.

tavit primitiasque nostras extulit, atque in altissimum cœlum sedere fecit. Stercus autem hoc loco dicit vilitatem illam, et repentinam, quæ inde facta est, mutationem, omnia ipsi facilia et pervia esse declarans. Hæc et beata Anna, hymnum in gratiarum actionem Deo offerens, dicit : « Dominus pauperem facit, et ditat; humiliat, et » erigit; suscitat de terra inopem et de stercore erigit » pauperem, ut sedere faciat cum optimatibus populi, et » thronum gloriæ in hæreditatem ipsis tribuens[1]. » Hæc porro videmus passim ab universorum Deo effici. Sic beatum Davidem, qui pastor erat, regem constituit; sic Josephum in servitutem delapsum, in regio throno sedere fecit; sic Moysem, qui pastor fuerat, oratorem populi denuntiavit, et deum Pharaonis constituit; sic gentes quæ impietatis servituti subactæ erant, et stercori peccati et abominationis insidebant, bonis Israëli collatis dignatus est; sic humanam naturam quæ in ipsum inferni profundum deciderat, recepit, reduxit, et supra omnem principatum, potestatem et dominationem sedere fecit, ac supra omne nomen, non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro prolatum.

[1] 1 Reg. II, 7.

PSALMUS CXIII.

Alleluia.

« In exitu Israël de Ægypto, domus Jacob de populo » barbaro, facta est Judæa sanctificatio ejus, Israël po- » testas ejus [1]. » Hic quoque hymnus est, qui beneficia commemorat Judæis a Deo collata, atque Dei virtutem enarrat idolorumque imbecillitatem deridet. Convenit item hic hymnus gentilibus qui crediderunt, et ab idolorum errore liberati sunt : discunt enim quantum intersit inter eos qui non sunt et eum qui est, et quod unus idemque sit veteris et novi Testamenti Deus. Pro illo autem, « De populo barbaro; » Aquila, « De populo alterius » linguæ; » Symmachus, « De populo alterius vocis, » edidit. « Facta est Judæa sanctificatio ejus, Israël potestas » ejus. » Olim namque cum prior ille populus Moyse duce transitum faceret ex Ægypto, modica quædam terræ portio, et exiguus totius orbis angulus, Judæa scilicet a Deo electa fuerat, atque una Judæorum natio. Cum autem per salutarem adventum gratia in toto orbe effusa esset, a solis ortu usque ad occasum laudabile fuit nomen Domini : ac excelsus non super unam Israëlis gentem, sed excelsus super omnes gentes fuit Dominus.

« Mare vidit, et fugit, Jordanis conversus est retror- » sum. Montes exultaverunt sicut arietes, et colles sicut » agni ovium. Quid est tibi mare quod fugisti, et tu Jor- » danis, quia conversus es retrorsum? Montes exultastis » sicut arietes, et colles sicut agni ovium? A facie Domini

[1] Psal. CXIII, 1, 2.

» mota est terra, a facie Dei Jacob, qui convertit petram » in stagna aquarum, et præruptam in fontes aquarum [1]. » Videtur mihi rursum hic sermo Prophetiam edere de gentium omnium vocatione. Olim namque, ait, cum populus ex Ægypto egrederetur, sola Judæa facta est sanctificatio Dei, et solus Israël sub potestate ejus erat. Et olim quidem particularis sensus maris erat, et fluminis et montium et collium : nunc vero universum terræ elementum moveatur et concutiatur; imo potius secundum Aquilam, « parturiat, » ut impleatur quod dictum est per Hesaïam Prophetam : « Quis audivit talia, et quis » vidit sic? Si parturivit terra in die una, et nata est » gens tota simul [2]? » Nam cum vocatio gentium et Dei gratia in universum hominum orbem effundenda esset, necesse prorsus erat simulacra gentium a sæculo stabilita, commotionem et concussionem pati, et dæmones in ipsis habitantes fugere, ut populus ex gentibus per totum orbem Deo nasceretur.

« Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da » gloriam : super misericordia tua et veritate tua, ne » quando dicant gentes, Ubi est Deus eorum? Deus autem » noster in cœlo, et in terra omnia quæcumque voluit » fecit. Simulacra gentium argentum et aurum, opera » manuum hominum [3]. » Hic mihi videtur Spiritus sanctus populi ex circumcisione abjectionem subindicare, atque orationes ipsis tradere ad confitendum, hæcque verba ex ipsorum persona proferre, queis declarat ipsos virtutem sibi prospicientem non ulterius habere : hisque instituuntur ad obsecrandum et dicendum, Nos quidem indigni sumus gratia, qua donantur omnes gentes : at ne nobis hæc, facias, Domine; sed propter nomen tuum quod ab initio invocatum est super nos; neque ex justi-

[1] Psal. CXIII, 3 et seqq. — [2] Isai. LXVI, 7, — [3] Psal. CXIII, 1 et seqq.

tiis nostris, sed ex misericordia et veritate tua id concedas. Nam si non miserearis, gentes dicent, « Ubi est Deus » eorum? » Ne vero unquam hoc dictum proferant, concede ac tribue nobis misericordiam tuam. Etiamsi enim nos inspectio tua non amplius gubernet, sed persuasum habemus te esse in cœlo, et ea facere quæ velis.

« Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da » gloriam : super misericordia tua et veritate tua, ne » quando dicant gentes, Ubi est Deus eorum? Deus au» tem noster in cœlo et in terra, omnia qnæcumque » voluit fecit. Simulacra gentium argentum et aurum, » opera manuum hominum, os habent, et non loquen» tur; oculos habent, et non videbunt; aures habent » et non audient; nares habent, et non odorabunt; ma» nus habent, et non palpabunt, pedes habent, et non » ambulabunt, non vociferabuntur in gutture suo. Simi» les illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in » eis. Domus Israël speravit in Domino, adjutor eorum » et protector eorum est. Domus Aaron speravit in Do» mino, adjutor eorum et protector eorum est. Qui ti» ment Dominum speraverunt in Domino, adjutor eo» rum et protector eorum est. Dominus memor nostri be» nedixit nobis. Benedixit domui Israël, benedixit » domui Aaron : benedixit iis qui timent Dominum, » pusillis cum majoribus. Adjiciat Dominus super vos, » super vos et super filios vestros. Benedicti vos a Domino, » qui fecit cœlum et terram. Cœlum cœli Domino, ter» ram autem dedit filiis hominum. Non mortui lauda» bunt te, Domine, neque omnes qui descendunt in in» fernum. Sed nos qui vivimus benedicemus Domino, ex » hoc nunc et usque in sæculum[1]. » Hi versiculi in quibusdam exemplaribus a psalmo CXIII, distincti ac separati

[1] Psal. CXIII, 5 et seqq.

sunt; ita ut hæc cxiv, psalmum constituant. At cum inspecto Hebræorum libro, eorum dictiones et characteres conjunctos esse repererim, Hebræorum librum sequendum esse, atque prioribus hæc conjungenda esse æstimavi, ita ut hæc pars sint centesimi-decimi-tertii hymni. Videntur itaque hæc præcedentibus cohærere. Nam pueri illi, quibus dictum est, « Laudate pueri Do» minum, » id est, novus populus, edocentur quem Dominum laudare par sit. Palam autem est eum ipsum esse, qui in exitu Israël de Ægypto tanta miracula edidit. Consequenter igitur ad illa edocentur ipsi, ne ignorent quinam fuerint illi ab se olim dii existimati, quod scilicet anima omnique sensu caruerint, fuerintque mortua, muta et cæca idola, nihil simile habentia, non dico magno et mirabilium editori, omnium opifici, sed ne vel postremis eorum quæ anima et sensu prædita sunt: sed inanimata prorsus materia fuerint. Et illa quidem, animalia inquam animata, Dei Verbo, constiterunt : at illi gentium dii, ut putabantur, humanorum operum figmenta sunt.

PSALMUS CXIV.

Alleluia.

« Dilexi quoniam exaudiet Dominus vocem orationis » meæ, quia inclinavit aurem suam mihi, et in diebus » meis invocabo [1]. » Qui olim Dominum timebat, jam a timore profectus, et ad dilectionem Dei transgressus, jure dixerit, « Dilexi : » quem porro, nisi Dominum Deum ex toto corde, virtute atque anima ; ita ut propter ipsum, vel ad mortem usque concertet pro veritate, ac quamvis tentationem sustineat, quodvis periculum alacriter præ Dei amore subeat ? « Quia inclinavit aurem suam mihi, » et in diebus meis invocabo. Circumdederunt me dolo- » res mortis, pericula inferni invenerunt me. Tribula- » tionem et dolorem inveni, et nomen Domini invocavi. » O Domine libera animam meam, misericors et justus » Dominus, et Deus noster miseretur. Custodiens parvu- » los Dominus, humiliatus sum, et salvavit me. Conver- » tere anima mea in requiem tuam, quia Dominus bene- » fecit tibi. Quia eripuit animam meam de morte, oculos » meos a lacrymis, pedes meos a lapsu [2]. » Hæc, inquit, omnia propter Deum perpessus dilexi illum. Non enim præter voluntatem, neque refugiendo ; sed alacriter me his omnibus tradidi, et hæc amplexus sum propter amorem Dei ; ita ut dicere valeamus, « Propter te mortifica- » mur tota die [3]. » Hæc quippe omnia dilexi propter Dominum ; ac cum diligerem, nomen Domini invocavi.

« Placebo coram Domino in regione viventium [4]. » Hic

[1] Psal. CXIV, 1, 2. — [2] Ibid. 3 et seqq. — [3] Psal. XLIII, 22. — [4] Psal. CXIV, 9.

mundus vere et ipse mortalis, et morientium locus est. Quia enim rerum visibilium constitutio composita est, omne vero compositum solvitur; cum in mundo et pars mundi simus, necessario naturæ universi consortes sumus; at illic non est immutatio vel corporis vel animæ. Neque enim est cogitationis aberratio, neque sententiæ variatio, cum nulla calamitas pacatum tranquillumque cogitationum ordinem auferat. Illa item est regio viventium, ubi se maxime Deo placiturum Propheta prænuntiat; ut qui a nullo extraneo ex numero viventium abscindendus sit. Illa regio est, in qua neque nox, neque somnus, mortis imago, neque cibus neque potus, infirmitatis nostræ fulcimenta, nec quidpiam eorum quæ extrinsecus molestiam creant; sed regio viventium, nec per peccatum morientium, at vera vita viventium in Christo Jesu.

PSALMUS CXV.

Alleluia.

« Credidi, propter quod locutus sum, ego autem humiliatus sum nimis. Ego autem dixi in excessu meo, » Omnis homo mendax. Quid retribuam Domino pro » omnibus quæ retribuit mihi[1] ? » In Hebraïco exemplari hæc cum præcedentibus conjuncta sunt, ita ut horum sententia cum præmissis cohæreat, et pars eorum sit. Nam cum dixisset ibi, « Convertere anima mea in requiem tuam; » ac rursum, « Placebo in conspectu Domini in regione viventium; » hic subjungit hæc verba, « Credidi, propter quod locutus sum. » Aliam quippe esse regionem viventium præter humanam vitam credidi, esseque item animæ requiem aliam præter terrenam habitationem « credidi, propter quod locutus sum : » ego autem humiliatus sum nimis. Ego autem dixi in » excessu meo, Omnis homo mendax. » Memetipsum humiliavi, et admodum afflixi : ita enim interpretatus Symmachus est, dicens, « Afflictus sum valde. » Id vero præstiti, quod scirem, omnem hominem esse mendacem : quare contendens ac sollicitudinem gerens, ne, utpote homo, falso de me hanc sententiam protulerim, « Placebo » in conspectu Domini in regione viventium. » Ideo cum futuræ vitæ et animæ requiei, necnon regioni viventium fidem habeam, et hæc locutus sim quia credebam, ne a promissione labar, nec spe frustratus evadam, memetipsum valde humiliavi.

[1] Psal. cxv, 10 et seqq.

« Ego autem dixi in excessu meo, Omnis homo mendax. » Nam ratiocinia hominum miserabilia, et fallaces cogitationes nostræ sunt ; siquidem corruptibile corpus aggravat animam, et terrenum tabernaculum mentem curis gravem onerat; vixque terrena conjectare possumus, ac quæ præ manibus sunt cum labore deprehendimus. Cœlestia vero quis investigavit? Attamen ego non ut homo locutus sum ; alias enim mentitus essem : sed Dei verbis ac pollicitationibus credidi.

« Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit » mihi ? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini » invocabo. Vota mea Domino reddam coram omni po» pulo ejus : pretiosa in conspectu Domini mors sancto» rum ejus. O Domine ego servus tuus, ego servus tuus » et filius ancillæ tuæ. Dirupisti vincula mea[1]. » Se filium ancillæ dicit, scilicet Ecclesiæ. Vincula vero erant, quibus ceu catenis peccatorum suorum constringebatur. Liberatus autem a peccato, ac filius ancillæ tuæ Ecclesiæ scilicet effectus, gratia tua a pristinis peccatis liber evasi. « Tibi sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini in» vocabo. Vota mea Domino reddam in conspectu omnis » populi ejus, in atriis domus Domini, in medio tui Je» rusalem[2]. » Profectum ejus qui talia dicit significat, id est, populi ex gentibus. Per illud enim, « Tibi sacrificabo » hostiam laudis, » corpori et sanguini communicabo, ait, et in horum communione nomen tuum invocabo, ac vota gratiarum actionis tibi Domino intus in medio veræ Jerusalem et in conspectu omnis populi reddam, necnon promissiones, quas aliquando feceram.

[1] Psal. cxv, 13 et seqq. — [2] Ibid. 18, 19.

PSALMUS CXVI.

Alleluia.

« Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum o-
» mnes populi, quoniam confirmata est super nos miseri-
» cordia ejus, et veritas Domini manet in æternum[1]. »
Hic itaque sermo gentes omnes alienigenas et perigrinas ad laudem Dei provocat; deindeque a gentibus populos distinguens ait : « Laudent eum omnes populi. » Discrimen autem intelliges, si attenderis Prophetiæ apud Zachariam dicenti : « Gaude et exulta filia Sion : ecce
» ego venio et habitabo in medio tui, dicit Dominus. Et
» confugient gentes multæ ad Dominum et erunt ei in popu-
» lum et ego ero eis in Deum[2]. » Quamdiu enim gentes erant, nondum erant populus ejus; a priori autem vita conversæ, ac per lavacrum regenerationis mysteriorum Dei participes effectæ, ejus populi evadunt. Quod ad hanc usque diem per universum orbem impletur, cum infiniti populi, quasi in choros distributi, Deum Prophetarum, qui penes Hebræos erant hymnis celebrent, atque easdem lectiones, disciplinas et dogmata edoceantur. Hæc igitur, quæ ipsis oculis conspicimus, non aliter, quam per solam Salvatoris virtutem in toto gentium orbe constituta sunt.

[1] Psal. CXVI, 1, 2. — [2] Zach. II, 10.

PSALMUS CXVII.

Alleluia.

« Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in » sæculum misericordia ejus. Dicat nunc domus Israël » quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia » ejus. Dicat nunc domus Aaron quoniam bonus, quo- » niam in sæculum misericordia ejus. Dicant nunc » omnes qui timent Dominum quoniam bonus, quo- » niam in sæculum misericordia ejus [1]. » In his quoque effusa in omnes gentes evangelica gratia, quarum gentium pars aliqua, imo pars prima, erat populus ex circumcisione ; merito Judæos ad confessionem primos sermo evocat : deindeque eos ex gentibus, qui ad Evangelium accesserant, secundum illud, Judæo « primum et Græco [2]. » Si quis autem accurate rem examinaverit, etiam pro adventu Christi Judæos in primis gratias agere decet. Nam etiamsi adversa sint perpessi, at non ab eo qui in mundum venit; sed ingrati animi pœnas luerunt. Nam ille quidem ad ipsos peregrinatus, frequenter dicebat, « Non veni nisi ad » oves quæ perierunt domus Israël [3] » quod si hoc beneficio indigni sunt habiti, id suis iniquitatibus et ingrato nimium animo suo imputent.

« De tribulatione invocavi Dominum, et exaudivit » me in latitudine. Dominus mihi adjutor, et non ti- » mebo quid faciat mihi homo. Dominus mihi adjutor, » et ego despiciam inimicos meos. Bonum est confidere

[1] Psal. cxvii, 1 et seqq. — [2] Rom. i, 16. — [3] Matth, xv, 24.

» in Domino, quam confidere in homine. Bonum est » sperare in Domino, quam sperare in principibus. » Omnes gentes circuierunt me, et in nomine Domini » ultus sum eos. Circumdantes circumdederunt me, » et nomine Domini ultus sum eos. Circumdederunt » me sicut apes favum, et exarserunt sicut ignis in » spinis, et nomine Domini ultus sum eos. Impulsus » eversus sum ut caderem, et Dominus suscepit me. » Fortitudo mea et laus mea Dominus, et factus est » mihi in salutem. Vox exultationis et salutis in ta- » bernaculis justorum[1]. » Mihi sane profuit quod impiorum finem ipsis oculis perciperem. Novi enim eos exarsisse « sicut ignis in spinis, » aut extinctos esse « sicut ignis in spinis; » ita ut non ulterius perturber, si videam impios sese erigentes, et in populum Dei insurgentes. Edidici quippe quinam ipsos finis expectet.

« Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini » exaltavit me, dextera Domini fecit virtutem. Non » moriar, sed vivam, et narrabo opera Domini. Cas- » tigans castigavit me Dominus, et morti non tradidit » me[2]. » Quod persecutiones non inutiles sint, sed ad utilitatem et probationem vexatorum cedant, docet his verbis, « Castigans castigavit me Dominus. » Novi enim infirmitatem meam, et a Deo mihi præstitam virtutem non ignoravi. Edidici vero cujusmodi sit dextera illa Domini, quæ inimicos depressit.

« Aperite mihi portas justitiæ, ingressus in eas con- » fitebor Domino : hæc porta Domini, justi intrabunt » in eam. Confitebor tibi quoniam exaudisti me, et » factus es mihi in salutem[3]. » Generale igitur omnium virtutum nomen justitiæ adscribitur, quas in specie di-

[1] Psal. cxvii, 5 et seqq. — [2] Ibid. 16 et seqq. — [3] Ibid. 19 et seqq.

videns quispiam jure dixerit; « Aperite mihi portas » justitiæ, » portas item prudentiæ, et reliquarum secundum Deum actionum. Postquam autem portas omnes prætergressus fuerit; demum in intima sanctorum, ut quispiam dixerit, perveniens, non multas, sed unam videbit portam ipsius Domini, per quam omnes justi ingredientur. Dixerit porro quispiam, hanc ultimam esse et postremam portam, ultra quam progredi non liceat. Postrema autem Domini porta fuerit contemplatio ejus, secundum illud, « Beati mundo corde, quoniam ipsi » Deum videbunt[1]. »

« Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic » factus est in caput anguli. A Domino factum est istud, » et est mirabile in oculis nostris. Hæc dies quam fecit » Dominus, exultemus et lætemur in ea. O Domine » salva quæso : o Domine bene prosperare fac quæso; » benedictus qui venit in nomine Domini[2]. » Quoniam videbat beneficium in orbem terræ conferendum, rerumque mutationem, ac in melius conversionem, hoc bono fruentibus gratulans ait : « O Domine salva quæso; » o Domine bene prosperare fac quæso. » Id est, conserva illos qui his fruuntur, ita ut repleantur, et fructus gratia dignos exhibeant : facilem ipsis viam para, ut postquam hæc consecuti fuerint, a talibus bonis ne excidant.

« Benediximus vobis de domo Domini : Deus Dominus » et illuxit nobis[3]. » Confitentes neminem alium quam ipsum Dominum hæc ipsis ostendisse ac exhibuisse, quare dicunt, « Benediximus vobis, » quia illuxit vestram salutem ostendens. Postquam autem oraverunt et in Spiritu sancto hæc futura prospexerunt Prophetæ, beatos prædicant eos qui horum finem et effectum ali-

[1] Matth, v, 8. — [2] Psal. cxvii, 22 et seqq. — [3] Ibid. 27.

quando consecuturi sunt. « Constituite diem solemnem » in condensis usque ad cornua altaris, » vos ex gentibus qui in condensis estis. Hoc autem sic Aquila inperpretatus est, « Ligate solemnitatem in pinguibus; » Symmachus vero, « Colligate in celebritate densitates, » usque ad cornua altaris. » His autem præcipit, multis cimeliis domum Dei replere, atque donariis frequentibus ipsam temporibus solemnitatem coronare.

« Deus meus es tu, et confitebor tibi : Deus meus » es tu, et exaltabo te[1]. » Populus ex Israël, ex domo Aaron et ex timentibus Dominum, in Christo congregatus, jubetur confiteri ac dicere : « Deus meus es tu, » et confitebor tibi. Deus meus es tu, et exaltabo te. » Confitebor tibi, quoniam exaudisti me, et factus es » mihi in salutem. » Cui porro hæc dicit, nisi Domino superius declarato, qui de tribulatione ipsum liberavit, qui etiam inimicos ejus depressit, qui reprobatum ab ædificantibus lapidem exaltavit, qui fideles suos bene prosperare fecit et salute donavit. « Confitemini Domino » quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia » ejus[2]. »

[1] Psal. cxvii, 28. — [2] Ibid. 29.

PSALMUS CXVIII.

Alleluia.

« Beati immaculati in via, qui ambulant in lege » Domini. Beati qui scrutantur testimonia ejus, in toto » corde exquirent eum. Non enim qui operantur ini- » quitatem in viis ejus ambulaverunt. Tu mandasti » mandata tua custodiri nimis. Utinam dirigantur viæ » ad custodiendas justificationes tuas. Tunc non con- » fundar, cum respexero omnia mandata tua. Confi- » tebor tibi in rectitudine cordis, quod didicerim ju- » dicia justitiæ tuæ. Justificationes tuas custodiam, non » me derelinquas usquequaque[1]. » Immaculati sane fuerint qui perfecti sunt in via, quos beatos prædicare docetur is qui in divinarum disciplinarum principiis et rudimentis versatur; ne ipse inflatus nocumento afficiatur, ut jam se beatum æstimans, sed agnoscat se procul abesse ab iis qui beati prædicantur. « Beati qui » scrutantur testimonia ejus, in toto corde exquirent » eum. » De testimoniis jam disseruimus : via igitur hujusmodi testimoniorum fuerit, secundum eorum mentem progredi, non ex tristitia, aut ex necessitate, sed cum omni lætitia, quemadmodum ait Propheta, « Viam » mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor » meum. »

« In quo corriget junior viam suam, in custodiendo » sermones tuos. In toto corde meo exquisivi te, ne » repellas me a mandatis tuis. In corde meo abscondi

[1] Psalmus cxviii, 1 et seqq.

» eloquia tua, ut non peccem tibi. Benedictus es, » Domine, doce me justificationes tuas. In labiis meis » enuntiavi omnia judicia oris tui. In via testimoniorum » tuorum delectatus sum sicut in omnibus divitiis. In » mandatis tuis exercebor, et considerabo vias tuas. » In justificationibus tuis meditabor : non obliviscar » sermones tuos[1]. » Justi judicii tui sermones, inquit, memoria repetens, magnam hinc utilitatem nactus sum. Timeo autem ne aliquando in horum oblivionem veniam : quare orationem effudi, ut per totam vitam meam, et omni tempore, judicii tui memor sim; sive alio modo, Universalis providentiæ tuæ, Domine, judicia tua nosse concupivit anima mea.

« Retribue servo tuo, vivam et custodiam sermones » tuos. Revela oculos meos, et considerabo mirabilia » tua de lege tua. Incola ego sum in terra, non ab» scondas a me mandata tua. Concupivit anima mea » desiderare justificationes tuas in omni tempore. In» crepasti superbos, maledicti qui declinant a mandatis » tuis. Aufer a me opprobrium et contemptum, quia » testimonia tua exquisivi. Etenim sederunt principes » et adversum me loquebantur, servus autem tuus » exercebatur in justificationibus tuis. Nam et testi» monia tua meditatio mea est, et consilia mea jus» tificationes tuæ[2]. » Aliquando, inquit, exprobrabant mihi, olim cum peccata in me existerent; aliquando despiciebant vilipendentes quasi nullius pretii hominem. Ego vero seorsim sedens, ac divinis sermonibus animum adhibens, neminemque habens quicum consulerem, nullamque aliam nactus consolationem, justificationibus tuis pro consiliariis utebar.

« Adhæsit pavimento anima mea, vivifica me secun-

[1] Psal. cxviii, 9 et seqq. — [2] Ibid. 17 et seqq.

» dum verbum tuum. Vias meas enuntiavi, et exau-» disti me, doce me justificationes tuas. Viam justi-» ficationum tuarum intelligere me fac, et exercebor » in mirabilibus tuis. Dormitavit anima mea præ tæ-» dio, confirma me in verbis tuis. Viam iniquitatis » amove a me, et lege tua miserere mei[1]. » Sicut initium dormiendi est dormitatio, sic cum anima initium peccandi facit, dormitare dicitur, dum ad peccatum quasi ad somnum trahitur; sed ex memoria meliorum inde emergit ac excitatur. Necessario autem prudentia muniri, et oculos meos lumine perfundi tuo postulo ad intelligendam legem, ut omnis via iniquitatis amoveatur a me. Pro illo autem, « Viam iniquitatis amove » a me; » Aquila, « Viam mendacii amove a me, » edidit; Symmachus vero, « Viam mendacem aufer a » me; » ut prior expositio vera sit. Nam precatur unusquisque, ut extra falsam quamlibet sententiam et mendacem de divinis Scripturis opinionem versetur.

« Viam veritatis elegi, judicia tua non sum oblitus[2]. » Hunc quidem versum ille tantum dicet, qui ea quæ sub aspectum cadunt, tanquam temporanea despicit; invisibilia autem, ut sempiterna ac sola vera, contemplatur, et ad illa festinat. Siquidem illa veritatis via non est, quam eligit is qui terrenas divitias ac mundi gloriam sectatur. Qui igitur, ut diximus, in veritatis via incedere cooptavit, hic non immemor judiciorum Dei et retributionum ejus, eo sese modo gerit. Qui veritatis amans est, et mendacia ore suo nunquam profert, dixerit, « Viam veritatis elegi. » Sed etiam qui Dei judicia præ oculis semper habet et in omni opere suo eorum meminit, dicet, « Judicia tua non sum » oblitus. »

[1] Psal. cxviii, 25 et seqq. — [2] Ibid. 30.




« Adhæsi testimoniis tuis, Domine, noli me confun-» dere[1]. » Ille testimoniis adhæret, qui sermonibus de cœlo et terra, vel quavis alia de re scripto traditis sese addicit, et nullatenus ab iis recedit. Hic vero confidat, licet prius opera turpia perpetrarit; sive etiam postulet a Deo remissionem, et dicat, « Domine noli me confun-» dere. Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dila-» tasti cor meum[2]. » Brevi, inquit, tempore decucurri non unius, sed omnium mandatorum tuorum viam, operibus et actionibus meis ea complens, quæ mandatis tuis enuntiantur. Quamobrem Paulus cum ea consummasset, ait, « Cursum consummavi, fidem servavi[3]. »

« Legem pone mihi, Domine, viam justificationum » tuarum, et exquiram eam semper[4]. » Aliud a Deo pe-» tit, aliud ex parte sua se collaturum promittit. Tu enim, inquit, Domine, legem pone mihi viam justificationum tuarum : ego autem toto vitæ meæ tempore in ejus inquisitione persistam.

« Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam, et » custodiam illam in toto corde meo[5]. » Vult Propheta legem Dei scrutari, gnarus eam non claram et captu facilem. Itaque da mihi intellectum, ait, ut congruenti cum examine et attentione perquiram illam; ut ex illa rerum quas vel agere vel contemplari opus est, usum captumque assequar : sic namque potero eam in toto corde custodire, ac sine dubitatione adire illam. Quod si intellectu opus sit ut legem duntaxat scruteris, quantam a Deo intelligentiam accipere opus habes, ut finem ejus reperias?

« Deduc me in semitam mandatorum tuorum, quia » ipsam volui[6]. » Hic semitam pro lege dicit : nam man-

1 Psal. cxviii, 31. — 2 Ibid. 32. — 3 2 Tim. iv, 7. — 4 Psal. cxviii, 33. — 5 Ibid. 34. — 6 Ibid. 35.



datorum semita quædam est. Semita autem dicitur via trita, in qua multi ante nos justi ambularunt. Si quis autem justo duce non utatur, non potest secundum præcepta Dei ambulare. Nam Christi nos imitatores esse, ac tollere crucem, ipsumque sequi oportet.

« Inclina cor meum in testimonia tua, et non in avaritiam. Averte oculos meos ne videant vanitatem; in via tua vivifica me. Statue servo tuo eloquium tuum in timore tuo. Amputa opprobrium meum quod suspicatus sum, quia judicia tua jucunda. Ecce concupivi mandata tua, in justitia tua vivifica me[1]. » Omnia ad Deum viri sancti referunt, docentes nihil nos sine Deo posse. « Nisi enim in me manseritis, *inquit*, nihil potestis facere[2]. » Sed fortasse nonnemo dixerit: Si omnia ad Deum referuntur, ubi est id quod meæ facultatis est? Sin minus, ubique sane miscet ea quæ a Deo sunt cum iis quæ in nostra sunt potestate. A Deo certe illud est, « Legem pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum: » nostrarum autem partium est illud, « Et exquiram eam semper. » A Deo rursum postulo, « Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam, « ad me vero pertinet illud, « Et custodiam illam in toto corde meo. » Tertio item a Deo id expeto, « Deduc me in semitam mandatorum tuorum: » quid autem ad me spectat? « Quia ipsam volui, « videlicet legem supra memoratam; ita ut petamus ut quæ a Deo sunt adsint nobis, ea promittentes quæ nostræ facultatis sunt, neque irrita illa facientes, ne pacta cum Deo nostra violemus.

« Et veniat super me misericordia tua, Domine, salutare tuum secundum verbum tuum. Et respondebo exprobrantibus mihi verbum, quia speravi in sermonibus tuis. Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usque

[1] Psal. CXVIII, 36 et seqq. — [2] Joan. XV.

» valde, quia in judiciis tuis supersperavi. Et custodiam » legem tuam semper, in sæculum et in sæculum sæculi. » Et ambulabam in latitudine, quia mandata tua exqui- » sivi. Et loquebar in testimoniis tuis in conspectu re- » gum, et non confundebar[1]. » Hoc pulchre quadraverit in eum qui ad nomen Christi confitendum ante reges et præsides ducitur. « Et meditabar in mandatis tuis, quæ » dilexi valde. Et levavi manus ad mandata tua quæ di- » lexi, et exercebar in justificationibus tuis[2]. » Levare manus ad mandata, est omnem actionem ad divina mandata spectantem edere. Utrumque igitur de se Psalmista testificatur : atque una nobis præcipit ut mandata Dei perficiamus; quin etiam ut plurimum illa meditemur et contemplemur; ita enim id obtinebimus, ut et ipsi accuratius exsequamur, et aliis exsequendi auctores simus.

« Memor esto verborum tuorum servo tuo, in quo » mihi spem dedisti. Hæc me consolata est in humilitate » mea, quia eloquium tuum vivificavit me. Superbi ini- » que agebant usque valde, a lege autem tua non decli- » navi[3]. » Cum heterodoxi superbe contra legem agerent, ut eam traducerent, ego ejus observationi admodum attendebam, meum erga illam affectum ne minimum quidem titubare permittens. « Memor fui judiciorum tuorum » a sæculo, Domine, et consolatus sum. Defectio tenuit me » pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. Canta- » biles mihi erant justificationes tuæ in loco peregrina- » tionis meæ. Memor fui nocte nominis tui, Domine, et » custodivi legem tuam. Hæc facta est mihi, quia justifi- » cationes tuas exquisivi[4]. »

« Portio mea es Domine : dixi custodire legem tuam[5]. » Qui sæcularibus hujus vitæ rebus renuntiat, nullamque

[1] Psal. CXVIII, 41 et seqq. — [2] Ibid. 47, 48. — [3] Ibid. 49 et seqq. — [4] Ibid. 52 et seqq. — [5] Ibid. 57.

in terra portionem habet, neque res istiusmodi concupiscit, sed Domino vice omnium contentus est, dicet, « Portio mea Dominus. » Huic autem competit dicere, « Dixi custodire legem tuam, scilicet spiritualem, de qua Paulus ait; « Scimus enim quod lex spiritualis est[1] » et cætera. Quomodo enim legem et præcepta Domini non custodient, qui illum in portionem habent, quemadmodum et Levitæ, quibus vetitum est aliquid in vita possidere? Nam dictum est, « Levitis et sacerdotibus filiis Aa-» ron non est pars neque hæreditas in filiis Israël, quia » Dominus pars eorum[2].

« Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo, mi-» serere mei secundum eloquium tuum. Cogitavi vias » tuas, et converti pedes meos in testimonia tua. Paratus » sum, et non sum turbatus, ut custodiam mandata » tua. Funes peccatorum circumplexi sunt me, et legem » tuam non sum oblitus. Media nocte surgebam ad con-» fitendum tibi super judicia justitiæ tuæ. Particeps ego » sum omnium timentium te et custodientium mandata » tua. Misericordia Domini plena est terra, justifica-» tiones tuas doce me[3] » Si consideraveris multitudinem peccantium, impie agentium, et iniquitatem contra excelsum loquentium, Deique in tot peccatis tolerantiam perpenderis, quomodo etiam post hæc omnia oriri faciat solem suum super malos et bonos, et pluat super justos et injustos, dices, « Misericordia Domini plena est terra, » justificationes tuas doce me[4]. »

« Bonitatem fecisti cum servo tuo, Domine, secundum » verbum tuum. Bonitatem et disciplinam et scientiam » doce me, quia mandatis tuis credidi[5]. » Pro illo, « Bo-» nitatem fecisti, » Symmachus edidit, « Bene fecisti

[1] Rom. VII, 14. — [2] Num. XVIII, 2. — [3] Psal. CXVIII, 58 et seqq. — [4] Matth. V, 45. — [5] Psal. CXVIII, 65, 66.

» servo tuo. » Docetur autem is, qui divinis institutus est, ne ingratus sit pro beneficio per Deum sibi collato; sed sciat, bonitate Dei ad se perveniente, se dignum habitum fuisse qui servus Dei vocaretur, secundum verbum ejus talis effectus.

« Priusquam humiliarer, ego deliqui, propterea elo- » quium tuum custodivi[1]. Propter priora, inquit, peccata quæ admiseram, traditus, humiliatus sum, Deique judicio id sum perpessus. Quamobrem disciplinæ tradiditus, doctrinam postulo, ut cognoscam hanc humiliationem, quæ mihi accidit, ex bonitate et disciplina evenisse mihi.

« Benignus es tu Domine, et in bonitate tua doce me » justificationes tuas[2]. » Opus justi est, in omnibus quæ accidunt, alacriter se habere, quod hæc a providentia dispensentur, atque vel acerbiora hilariter accipiendo Deo dicere, « Benignus es tu; » et, « Benedicam Domi- » num in omni tempore, » in hoc semper proposito insistendo. Pro illo, « Benignus es tu, » reliquæ editiones, « bonus es tu, » interpretatæ sunt. Scio utique, ait, neque dubito de natura tua, quod nimirum ipsa bonitas sit; sed postulo doctrinam justificationum tuarum, qua me institui rogo : nam doctrina egeo, ut sermones de superbis cognoscam.

« Multiplicata est super me iniquitas superborum, » ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua[3]. Quanto justior quispiam est, Deoque magis adhæret, ac in eo pax Dei multiplicatur, tanto magis in eo, utpote præstantiori athleta, virtus accrescit, plus quam superborum ipsum lædere volentium, sive adversariarum virtutum, sive hominum. Hoc autem peracto, ne vel minimum quidem remissior evadit, quo minus in toto corde scrutetur mandata Dei, ut faciat ea.

[1] Psal. CXVIII, 67. — [2] Ibid. 68. — [3] Ibid. 69.

« Coagulatum est sicut lac cor eorum : ego vero legem » tuam meditatus sum. Bonum mihi quia humiliasti me, » ut discam justificationes tuas. Bona mihi lex oris tui » super milia auri et argenti [1]. » Nam ante superbiam quidem, incolumes et corde vigentes erant, atque, ut ita dicam, potabiles, ut etiam lacti ad escam utilissimo compararentur ; postquam autem superbiam induerunt, omnes indurati quasi e lacte in caseum commutati sunt. Pro illo autem, « coagulatum est, » Aquila dicit, « Im» pinguatum est quasi adeps cor eorum ; » Symmachus autem, « Medullatum est sicut adeps cor eorum. » Cæterum licet ille in his versarentur, ego a proposito minime recessi, sed toto corde scrutabar mandata tua : ab eorumdem scrutatione providentiæ tuæ ac universorum administrationis notitiam captans. Atque illorum quidem cor præsenti cibo suo impinguabatur, dum ego legem tuam meditarer.

« Manus tuæ fecerunt me et plasmaverunt me : da » mihi intellectum, et discam mandata tua [2]. » Cum Deus cœlum et terram et omnia quæ in eis sunt verbo et præcepto suo condidisset, quando venit ad hominem, dixit : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram [3]. » Cuinam vero alii dicit, « Faciamus » hominem, » nisi Unigenito suo et Spiritui sancto, quos jam manus appellat ? In Job item scribitur, « Manus tuæ » fecerunt me, et plasmaverunt me : postea mutatus, me » dire perdis, renovans in me examen meum [4]. » Itaque manus Dei fecerunt et plasmaverunt. Ac Origenes quidem et non nulli alii illud, « fecerunt, » de prima creatione dictum affirmant ; illud autem, « plasmave» runt, de lavacro regenerationis ac reformatione.

« Qui timent te, videbunt me, et lætabuntur, quia

[1] Psal. CXVIII, 70 et seqq. — [2] Ibid. 73. — [3] Gen. I, 26. — [4] Job. X, 8.

» in verba tua supersperavi. Cognovi, Domine, quia » æquitas judicia tua, et in veritate humiliasti me. Fiat misericordia tua ut consoletur me, secundum eloquium » tuum servo tuo. Veniant mihi miserationes tuæ et vi- » vam, quia lex tua meditatio mea est [1]. » Si adveniat mihi misericordia tua, et miserationes tuæ ad me accesserint, nequaquam absorbebor ab humiliatione; sed per patientiam perseverans, bene novi me in vita mansurum esse. Misericordiam vero et miserationes tuas consequi rogo; quia et ipse omnia quæ facultatis meæ sunt implere non desino, et in ipsa humiliatione mea legem tuam meditabor.

« Confundantur superbi, quia injuste iniquitatem fe- » cerunt in me, ego autem exercebor in mandatis tuis. » Convertantur mihi timentes te, et qui noverunt testi- » monia tua. Fiat cor meum immaculatum in justifica- » tionibus tuis, ut non confundar [2]. » Omnia namque peccata confusione digna sunt. Quamdiu enim cor imperfectum existit, multa sollicitudo et contentio est, ne infirmetur et deterius evadat : quando autem pervenerit ad apicem perfectionis, in virtutis habitu et consuetudine constitutum, omni metu vacuum erit, neque hæsitans verebitur ne confundatur.

« Deficit in salutare tuum anima mea : in verba tua » supersperavi [3]. » Admodum consequenter explicans quid sit salutare illud, adjicit postea, « In verbum tuum su- » persperavi, » significans salutare illud esse Filium Dei: « Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes, » quando consolaberis me ? Quia factus sum sicut iter » in pruina, justificationes tuas non sum oblitus. Quot » sunt dies servi tui ? quando facies mihi de persequen- » tibus me judicium ? Narraverunt mihi iniqui fabula-

[1] Psal. CXVIII, 74 et seqq. — [2] Ibid. 78 et seqq. — [3] Ibid. 81.

» tiones, sed non ut lex tua Domine. Omnia mandata tua, » veritas, inique persecuti sunt me, adjuva me. Paulo mi[1] » nus consummaverunt me in terra. Ego autem non dereli- » qui mandata tua. Secundum misericordiam tuam vivifica » me, et custodiam testimonia oris tui[3]. » Secundum eloquium Dei vivere, est cum pietate vitam agere, neque sensilem tantummodo vitam ducere. Nam quisquis id consequitur, bonam transiget vitam, ita ut custodiat testimonia oris Dei : quæ a Verbo Dei, quod os ejus esse dixi, testimonio confirmata et declarata sunt.

« In æternum Domine verbum tuum permanet in » cœlo. In generationem et generationem veritas tua, » fundasti terram, et permanet. Ordinatione tua perse- » verat dies, quoniam omnia serviunt tibi[2]. » Veritatem autem vocat hanc promissionem, quam sciebat omnino futuram in generationem et generationem. In singulis quippe generationibus partes quasdam veritatis hominibus mittis, omnesque mundi partes, et ea quæ sub aspectum cadunt, ordinatione tua constant, non a terminis suis mota, neque sibi statutam legem transgredientia. Causa vero horum omnium permansionis est, quod tu solus Dominus sis universorum; reliqua autem omnia tibi serviant, ac tanquam mancipia subjecta sint.

« Nisi quod lex tua meditatio mea est, tunc forte » periissem in humiliatione mea[3]. » Dictum est, tempus tentationum ac calamitatum humiliationem nuncupari. Viri igitur beati est fuisse in humiliatione, et non periisse : ut si, verbi gratia, venerim in tentationem martyrii, si quidem antequam in eam inciderem lex tua meditatio mihi semper fuerit, et eam executus sim; cum in humiliationem per tentationem martyrii venero, non pe-

[1] Psal. CXVIII, 82 et seqq. — [2] Ibid. 89 et seqq. — [3] Ibid. 92.

ribo. Sic in omni tentatione loqui par fuerit: at malignis cogitationibus, et adversariis virtutibus me impugnantibus, pereundum mihi erat, nisi lex tua fulcro mihi fuisset.

« In æternum non obliviscar justificationes tuas, quia » in ipsis vivificasti me [1]. » Verum memor ero disciplinarum tuarum, quas in vita edidici: per illas enim a terra in cœlum transiens, cum Angelis habito. Quemadmodum enim qui ex gravi morbo medicorum subsidiis firmam et stabilem sanitatem accipit, quod incolumis et bona valetudine sit, non ideo obliviscitur medicinam, qua ipse sanitatem consecutus est; ita iste sanctus a Deo justificationibus quas accepit vivificatus, per omne sæculum ait se earum minime oblitum iri; hanc reddens rationem, se in iis a Deo vivificatum esse.

« Tuus sum ego, salvum me fac, quoniam justifica» tiones tuas exquisivi. Me exspectaverunt peccatores, » ut perderent me, testimonia tua intellexi. Omnis » consummationis vidi finem, latum mandatum tuum » nimis. »

« Quomodo dilexi legem tuam, Domine, tota die me» ditatio mea est. Super inimicos meos sapientem me » fecisti mandato tuo, quia in æternum meum est. Su» per omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua » meditatio mea est. Super senes intellexi, quia man» data tua quæsivi [2]. » Quod si Salvator alicubi dicat, Non est discipulus super Magistrum [3], et cætera, dicendum est hoc pronuntiatum a Salvatore fuisse, cum prius distinxisset ac dixisset: « Ne vocetis magistrum super ter» ram: unus enim est magister vester qui est in cælis [4]. » Illius itaque magistri comparatione non est discipulus

[1] Psal. CXVIII, 93. — [2] Ibid. 94 et seqq. — [3] Matth. X, 24. — [4] Matth XXIII, 10.

præstantior. Magistri autem, qui hic multi esse declarantur, alii sunt, quibus plerumque discipulus doctior est. Quod evenit ex majori et frequentiori in divinis sermonibus exercitatione.

« Ab omni via mala prohibui pedes meos, ut custo- » diam verba tua. A judiciis tuis non declinavi, quia tu » legem posuisti mihi. Quam dulcia faucibus meis elo- » quia tua! super mel ori meo. A mandatis tuis intellexi, » propterea odivi omnem viam iniquitatis. »

« Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen se- » mitis meis. Juravi et statui custodire judicia justitiæ » tuæ [1]. » Quia nullo vim inferente, sed proprio nutu et bono proposito, sese jurejurando astrinxit, et juravit se servaturum esse judicia justitiæ Dei, rogat ut juramentum suum acceptione dignum apud Deum evadat : nam cognitio judiciorum Dei multa doctrina eget.

« Humiliatus sum usquequaque Domine : vivifica me » secundum verbum tuum. Voluntaria oris mei benepla- » cita fac Domine, et judicia tua doce me. Anima mea » in manibus meis semper, et legem tuam non sum obli- » tus. Posuerunt peccatores laqueum mihi, et de man- » datis tuis non erravi [2]. » Anima cujusvis in manibus ejus est, si quando in periculis versetur, atque ex consuetudine hoc dicitur, Animam meam in manibus meis habui. Ego itaque, ait justus, quotidie morior, semper ob sermonem tuum in periculo versor, propter veritatem, propter reprehensionem, propter regnum cui impero : et ideo « anima mea in manibus meis semper. » Non enim periculum mortis legis tuæ oblivisci me fecit. Cæterum potest quispiam sublimius hoc dictum intelligere ac dicere, « Anima mea in manibus meis » erat « sem- » per; » id est, in bonis actibus : nam manus pro acti-

[1] Psal. CXVIII, 101 et seqq. — [2] Ibid. 107 et seqq.

bus frequenter traditur. Si autem in manibus tuis fuerit, intelligamus manus Dei esse creationem ejus, cui semper animus est adhibendus. « Hæreditate acquisivi testimo- » nia tua in æternum, quia exultatio cordis mei sunt. » Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in » æternum, propter retributionem [1]. »

« Iniquos odio habui, et legem tuam dilexi. Adjutor » et susceptor meus es tu, in verba tua supersperavi. De- » clinate a me maligni, et scrutabor mandata Dei mei. » Suscipe me secundum misericordiam tuam et vivifica » me, et non confundas me ab expectatione mea [2]. » Postquam dixit, « Declinate a me maligni, » consequenter Deum ad eam rem invocat, ut ejus virtute maligni ab anima sua pellantur : atque otium nactus, vitam et salutem, quæ secundum Deum est, consequatur, neque excidat ab expectatione sua : ac rursum opem postulat ad salutem. « Adjuva me, et salvus ero, et meditabor in » justificationibus tuis semper. Sprevisti omnes disce- » dentes a judiciis tuis, quia injusta cogitatio eorum. » Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ, ideo » dilexi testimonia tua. Confige timore tuo carnes meas, » a judiciis enim tuis timui[3]. »

« Feci judicium et justitiam, non tradas me injuriam » inferentibus mihi[4]. » Qui in principio institutus fuerat, ut jam multum profectus, ac magna operatus, rogat ne a profectu suo excidat. Deinde considerans plurimos esse qui probis invideant, cum nihil mali de ipsis dicendum habeant, calumniasque tamen struant, obsecrat et rogat ab iis liberari. Pro illo autem, « injuriam inferentibus » mihi, » Aquila, « Ne dimittas me calumniantibus me, » edidit.

[1] Psal. cxviii, 111, 112. — [2] Ibid. 113 et seqq. — [3] Ibid. 117 et seqq. — [4] Ibid. 121.

« Feci judicium et justitiam, non tradas me injuriam » inferentibus mihi. Suscipe servum tuum in bonum, » non calumnientur me superbi [1]. » Qui pœnitentiam egit, a vexantibus se erutus, atque a captivitate redemptus ait, « Suscipe servum tuum in bonum; » hi namque me in malum susceperant. Nisi enim me servum tuum inimicis subactum susceperis, hi superbi, videlicet adversariæ potestates, me calumniaturæ sunt. Quomodo autem calumniantur? Ipsæ me incitarunt mihique suaserunt ut peccator evaderem : ac ipsæ jam me accusant, totam peccati causam in me conferentes. Necessario rogat Deum ut susceptor ipsius sit, quemadmodum et sponsor; ut ipse custos ipsius efficiatur, sponsionem servans ac custodiens, ut ne minimam ansam præbeat insidiantibus sibi calumniatoribus.

« Oculi mei defecerunt in salutare tuum, et in elo» quium justitiæ tuæ. Fac cum servo tuo secundum mi» sericordiam tuam, et justificationes tuas doce me. Ser» vus tuus sum ego : da mihi intellectum, et sciam tes» timonia tua. Tempus faciendi Domino, dissipaverunt » legem tuam [2]. » Sursum aspiciens ad salutare tuum et verbum tuum, totam inquit, spem meam hinc pendere feci, erui me postulans ab invidentibus saluti meæ.

« Ideo dilexi mandata tua super aurum et topazion [3]. » Ego quidem feci judicium et justitiam, atque tibi, Deus, tempus aliquando aderit ea faciendi, videlicet judicium et justitiam, propter eos qui leges tuam pessumdant. Hujus itaque rei gnarus ego, ac cavens ne incidam in tempus illud, dilexi mandata tua super omnia quæ apud homines pretiosa existimantur.

« Propterea ad omnia mandata tua dirigebar, omnem » viam iniquam odio habui [4]. » Humana anima postquam

[1] Psal. CXVIII, 122. — [2] Ibid. 123 et seqq. — [3] Ibid. 127 — [4] Ibid.

sermonem compleverit, in malitia prorsus versatur. Fieri enim nequit, ut postquam lex naturalis in hominibus impleta est, peccatum non existat. Cum itaque malitia accessit et anima tortuosa est, directione opus habet. Quænam vero sunt quæ dirigunt et corrigunt? Unum duntaxat mandatum animæ tortuositatem, quæ per malitiam advecta est, potest corrigere. Et quidem animam hic ad supremam rectitudinem pertingere, citra omnium mandatorum observationem fieri nequit. Si itaque anima tortuosa deprehendatur, non amplius a mandatis corrigetur; sed igne, tenebris, sectione aliisque tristioribus a Deo advectis. Si ergo non omnia mandata servemus, non dirigemur. Ideo admirabiler dicitur, « Propterea ad » omnia mandata tua dirigebamur, omnem viam ini- » quam odio habuimus. » Non enim ultra distractus a concupiscentia inique agendi, ab iniquitate abstinet; sed abstinet utique, quia iniquitatem odit, qui ad omnia Dei mandata dirigitur.

« . Mirabilia testimonia tua, ideo scrutata est ea anima » mea. Declaratio sermonum tuorum illuminabit, et in- » tellectum dabit parvulis. Os meum aperui, et attraxi » spiritum, quia mandata tua desiderabam[1]. » Prima cognitio, et quæ initio traditur doctrina sermonum tuorum, illuminabit et intellectum dabit parvulis : testimonia vero tua mirabilia sunt et stupenda. Merito igitur animæ meæ receptaculum expandens, et quasi os aperiens, divinum a te spiritum accepi, credens promissioni dicenti, « Aperi os tuum, et implebo illud [1]. » Et hoc feci Spiritu tuo in me pertracto, ut testimonia illa tua mirabilia cognoscerem, et sermonum tuorum illustrationem obtinerem, per Spiritum tuum eorumdem intellectum et notitiam accipiens. « Os meum aperui et attraxi spiritum,

[1] Psal. CXVIII, 129 et seqq. — [2] Psal. LXXX, 11.

» quia mandata tua desiderabam : » ipsa mandatorum sententia Spiritum attrahente et pelliciente. De ore autem interioris hominis loquitur : potestque os animæ dici, vis ejus enuntiandi quæ cogitando in mente verbum profert. Nihil differt, si dicas assumere sermonem, et attrahere spiritum : idipsum enim est spiritus, quod divinus sermo. Quamobrem Servator de sermone et verbis ait : « Verba quæ locutus sum vobis, spiritus et vita sunt [1]. »

« Respice in me et miserere mei, secundum judicium » diligentium nomen tuum [2]. » Ex iis qui a Deo misericordiam consequuntur, alii eam per pœnitentiam obtinent, jam a peccatis recedentes eaque confitentes, alii misericordiæ Dei experimentum sumunt, quod profectu aucti ad ipsum virtutis finem maturent. Hic itaque precatur misericordiam consequi, non secundum judicium eorum qui pœnitentiam agunt, sed eorum qui diligunt nomen Domini : nam persona quæ loquitur est eorum, qui multum in virtute et veritatis notitia profecerunt. Quamobrem confidenter postulat in conspectum Dei se venire. Respice, inquit, in me, et hinc necessario sequetur me misericordiam consequi.

« Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, et » non dominetur mihi omnis injustitia [3]. » Secundum eloquium Dei dirige gressus meos, qui ex malitia et ignorantia ad virtutem et cognitionem veritatis proficiscor. Nam rectus sermo director et dux talium gressuum est.

« Redime me a calumnia hominum, et custodiam » mandata tua [4]. » In mercedem misericordiæ, qua liberatus est a calumniis hominum, se mandata Domini observaturum pollicetur : vel non tam mercedem, quam gratiarum actionem præbeo, ut redimar a calumnia hominum. Hanc vero gratiam impetrarunt Joseph et Su-

[1] Joan. vi, 64. — [2] Psal. cxviii, 132. — [3] Ibid. 133. — [4] Ibid. 134.

sanna. Cæterum tropice homines dici possint diabolus et adversariæ ejus sociæ potestates, a quarum sycophantia redimere solius Dei est.

« Faciem tuam illumina super servum tuum, et doce » me justificationes tuas [1]. » Secundum Salvatoris illustrem adventum videre peroptans, pro eo Patri supplicat dicens, « Faciem tuam, » Domine, « illumina : quam qui vidit, vidit et Patrem. Nam ipse de seipso ait : « Qui » vidit me, vidit et Patrem. Exitus aquarum deduxe- » runt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam. »

« Justus es Domine, et recta judicia tua. Mandasti » justitiam testimonia tua, et veritatem tuam valde. Ta- » bescere me fecit zelus tuus, quia obliti sunt verba tua » inimici mei. Ignitum eloquium tuum vehementer, et » servus tuus dilexit illud. Adolescentulus sum ego et » contemptus, justificationes tuas non sum oblitus. Jus- » titia tua justitia in æternum, et lex tua veritas. Tribu- » lationes et necessitates invenerunt me : mandata tua » meditatio mea [2]. » Symmachus aliam offert sententiam dicens, « Tribulationes et afflictiones comprehen- » derunt me : mandata vero delectabant me : » ac si omnis Dei cultor graviter et ægre ferat hujus vitæ negotia, atque ex hominum malitia vexetur, solamque habeat consolationem, recreationem, et delectationem in mandatorum Dei meditatione.

« Justitia testimonia tua in æternum, intellectum da » mihi, et vivam [3]. » Hæc justitia, quam in præsenti exercemus, non datur nobis ad paucos dies, sed in æternum. In his omnibus Propheta prudentiam a Deo expetit, quod est omnium Dei donorum maxime necessarium; ac dicit, « Intellectum da mihi, ut vivam. » In illam quippe beatam vitam amens et insipiens non

[1] Psal. CXVIII, 135. — [2] Ibid. 136. — [3] Ibid. 13 et seqq.

ingreditur; sed intellectum a Deo petamus oportet, qui dat omnibus toto corde ab se petentibus : ut accepto intellectu dicere valeamus, « Intellectum da mihi et » vivam. »

« Clamavi in toto corde meo, exaudi me, Domine, » justificationes tuas requiram. Clamavi ad te, salvum » me fac, et custodiam testimonia tua. Præveni in cre» pusculo et clamavi, in verba tua supersperavi. Præ» venerunt oculi mei diluculo ad meditandum eloquia » tua[1]. » Qui in crepusculo prævenit et Deum invocat, a nocturnis insidiis liberatur, et diluculo, id est, ortu lucis jam accidente, oculos ei occurrentes habet, ac cum fiducia Dei eloquia meditatur. Illa namque anima potissimum in lege gaudet, quæ sibi executionis ejus conscia est. « Vocem meam audi Domine secundum mi» sericordiam tuam, secundum judicium tuum vivifica » me. Appropinquaverunt persequentes me iniquitati : » a lege autem tua longe facti sunt. Prope es tu, Do» mine, et omnes viæ tuæ veritas. Initio cognovi de » testimoniis tuis, quia in æternum fundasti ea[2]. »

« Vide humilitatem meam et eripe me, quia legem » tuam non sum oblitus. Judica judicium meum et » redime me, propter verbum tuum vivifica me[3]. » Contra inimicos vel clam vel palam se oppugnantes judicium ferri, et liberari se postulat. Solus namque Deus est, qui ab utrisque redimit; et non a morte solum nos liberat, quam dæmones minantur et inferunt, verum etiam ob eamdem rationem vitam præbet. « Longe » a peccatoribus salus, quia justificationes tuas non ex» quisierunt. Misericordiæ tuæ multæ, Domine, secun» dum judicium tuum vivifica me[4]. » Misericordia ho-

[1] Psal. cxviii, 145 et seqq. — [2] Ibid. 149 et seqq. — [3] Ibid. 153, 154. — [4] Ibid. 155, 156.

minis in proximum suum est; misericordia vero Dei in omnem carnem, qui etiam longe justissimus est. Nam comparatione hominum facta ad accuratum Dei judicium, justitia misericordia indiget. Quodcumque enim secundum misericordiam peragi videtur, misericordia Dei efficitur. Quid enim quis unquam æterna beatitudine et regno cœlorum dignum gesserit, nisi Deo opitulante? « Multi qui persequuntur me et tribulant me, » a testimoniis tuis non declinavi. Vidi insipientes, » et tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt. » Vide quoniam mandata tua dilexi, Domine, in mi» sericordia tua vivifica me. Principium verborum tuorum » veritas, et in æternum omnia judicia justitiæ tuæ[1]. »

« Principes persecuti sunt me gratis, et a verbis tuis » formidavit cor meum. Lætabor ego super eloquia tua, » sicut qui invenit spolia multa. Iniquitates odio habui » et abominatus sum, legem autem tuam dilexi. Sep» ties in die laudem dixi tibi, super judicia justitiæ » tuæ[2]. » Hoc item intelligas hac ratione, quod nimirum ante solem e lecto surgens, secundum illud, « De » nocte mane consurgit spiritus meus ad te Deus[3]; » et, « Deus, Deus meus ad te de luce vigilo[4], » primum emitteret hymnum; deinde instante die, prima hora diei, quasi sacrificium matutinum, secundum hymnum Deo persolveret; hora similiter tertia, item tertium; sexta item, quartum; nona, quintum; duodecima hora, sextum; deinde vespera post adhibitam corpori curationem, ad lectum accessurus, septimum hymnum effunderet; atque ita implebat illud, « Septies in die lau» dem dixi tibi. »

« Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis

[1] Psal. CXVIII, 157 et seqq. — [2] Ibid. 161 et seqq. — [3] Isai. XXVI, 9. — [4] Psal. LXII, 2.

» scandalum[1]. » Dei nomem diligentibus pax inest multa; non qualis externa : illa quippe non penes nos est, sed ea quæ in cogitationibus sita est, ex qua turbationis et tumultus, quæ ex affectuum vacuitate gignitur, immunitas exsistit. Hanc una cum congruenti gratia acceperunt, qui eam a Deo Patre et Domino Jesu Christo nacti sunt. Cum illam itaque in nomine Dei possideant, utpote eximie perfecti, scandalum non habent in semetipsis : nam pusillorum illud, non vero præstantiorum est, quemadmodum ait Servator, « Vi- » dete ne scandalizetis unum de pusillis istis[2]. » Quod si multa pax sit diligentibus legem Dei, pacem ille multam habet, bellumque animam ejus non attingit : nullum enim peccatum urit animam ejus ; et quia pacem habet, talis evasit, ut a nemine ultra scandalizetur, dicens : « Quis nos separabit a caritate Christi? tribu- » latio, an angustia, etc[3]. »

« Expectabam salutare tuum, Domine, et mandata » tua dilexi[4]. » Cum a te veram salutem expectarem, non modo servavi, sed etiam dilexi mandata tua. Nam cum actus una cum perfecta mandatorum dilectione jungetur, expectatum salutare confestim sequetur, quod non aliud est, quam salus eorum qui ipsam assequntur. Quod si etiam Salvatorem expectet, de quo dictum est, « Videbit omnis caro salutare Dei[5], » consequenter mandata Dei diligit, cujus etiam salutare expectavit, ut et actione purus et expectatione contemplabundus sit, expectans semper et contemplans Deum Verbum venientem quærere et salvum facere quod perierat.

« Custodivit anima mea testimonia tua, et dilexit » ea vehementer[6]. » Non solum mandata tua dilexi,

[1] Psal. cxviii, 165. — [2] Matth. xviii, 10. — [3] Rom. viii, 35. — [4] Psal. cxviii, 166. — [5] Isai. xl, 4. — [6] Psal. cxviii, 167.

verum etiam testimonia tua valde dilexit anima mea, et custodivit ea. Primo quidem singulatim dicebat, « di- » ligebam et, dilexi mandata tua; » secundo autem, « Custodivit anima mea testimonia tua; » tertio item utraque conjungens ait, « Servavi mandata tua et tes- » timonia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo, » Domine[1]. » Peccator non dicet, « Omnes viæ meæ » in conspectu tuo : » nam viæ peccatoris non sunt in conspectu Dei, sed solum viæ justi. Ut igitur omnes viæ nostræ in conspectu Dei sint; videlicet leges, Prophetæ, perfecta item vera et bona illa via, nempe qui dixit, « Ego sum via[2], » Christus Jesus, precemur in via usque in finem; ut iter agentes perveniamus ad Deum et patrem universorum per Christum Jesum.

« Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo, » Domine, juxta eloquium tuum da mihi intellectum. » Intret postulatio mea in conspectu tuo, Domine, se- » cundum eloquium tuum eripe me. Eructaverunt labia » mea hymnum, cum docueris me justificationes tuas. » Pronuntiet lingua mea eloquia tua, quia omnia man- » data tua justitia[3]. » Admodum consequenter postquam pro mente sua precatus esset; non enim labiorum et linguæ est eloquiorum Dei intelligentiam accipere, sed solius quæ in anima est intelligendi facultatis; cum priora postulasset ad secunda postea transit, ac rogat ut verbi quæ in se habebat instrumenta, nempe labia et lingua, consecrarentur; ut labia quidem hymnum semper eructarent, postquam Deo doctore justificationes ejus mens edidicisset; lingua vero nihil aliud loqueretur, quam eloquia Dei : atque id ageret, « quia omnes viæ ejus justitiæ.

« Fiat manus tua, ut salvet me, quoniam mandata

[1] Psal. CXVIII, 168. — [2] Joan. XIV, 6. — [3] Psal. CXVIII, 169 et seqq.

» tua elegi[1]. » Videns magnitudinem illius quod in promptu erat, opem a Deo postulat, ut prædicta perficiat. Cum porro magna postulet a Deo, etiam quod a se est profert dicens, « Quoniam mandata tua elegi. » Nam quod in mea potestate erat, id a me impletum est. Mandata tua elegi, quia diligebam ea, ut superius dictum est.

« Concupivi salutare tuum, et lex tua meditatio mea » est[2]. » Multi hominum salutem concupiscunt; sed non salutare Dei, sed carnis salutare, quod in mundo est. Opus autem est concupiscere salutare Dei; ut in Deo salutem nanciscamur, in ipso quiescamus, sancta in hæreditatem accipiamus : nam salutare Dei est æterna vita. Quod si velis verbo sublimius progredi, Salutare Dei Christus est : Jesus namque explicatur Dei salus. Hic est qui nobis missus est. Viam concupiscentis salutare Dei est, ut sibi concupiscenti meditatio sit lex, quæ ejus ad nos adventum prænuntiat. Legem autem hic vocat totam veterem et divinam Scripturam.

« Vivet anima mea, et laudabit te et judicia tua » adjuvabunt me[3]. » In futuro tempore vitam animæ includit. « Vita enim nostra abscondita est cum Christo » in Deo[4]. » Tunc Deum proprie laudabit. « Et judicia » tua adjuvabunt me. Ad auxilium eorum, de quibus judicatur, judicia Dei fiunt. Verum alia auxilii in judiciis ferendi fiducia penes justum est, quod sine tormentis et cruciatibus fiant; alia auxilii via in judiciis erga eum, qui ad labores et cruciatus ducendus est. « Erravi sicut ovis quæ periit : quære servum tuum, » quia mandata tua non sum oblitus.[5]

[1] Psal. CXVIII, 173. — [2] Ibid. 174. — [3] Ibid. 175. — [4] Coloss. III, 3. — [5] Psal. CXVIII, 176.

CONCORDANTIA
BIBLIOTHECÆ LATINÆ CUM GALLICA
D. GUILLON.

BIBLIOTHECA LATINA.	BIBLIOTHECA GALLCA.
Commentario in psalm. XCVII, p. 415.	Fragmentum ejusdem tom. V, p. 165, 166.

ANNOTATIONES.

ANNOTATIO (1). pag. 14.

Hic prima fronte videtur Eusebius credere, aut probabile existimare Beatam Virginem Mariam alios præter Christum filios suscepisse; verum accuratius explorata verborum serie deprehenditur, illum hanc sententiam quasi alienam, non vero suam, proponere.

Hic autem, ut videre est, rem προβληματικῶςt antum proponit, nec eam velut suam sententiam affert. Nam ita arguit ille : Si filios matris ejus hic ad litteram accipiamus, hinc consequitur sanctam Virginem reliquorum fratrum ejus esse matrem; cum autem nolit hic germanos fratres ejus significari, neque sequelam haud dubie admittit. Et sane non nesciebat ille veterum Ecclesiæ Patrum eam sententiam fuisse, Mariam unius Christi esse matrem, Tertulliani, Clementis Alexandrini, Origenis : qui tamen postremus innuit nonnullos secus æstimare, et Eusebio suppar Basilius rem quasi nondum definitam proponit. Verum Ecclesia deinceps in Helvidium sententiam ferente, quotquot beatam Virginem alios præter Christum filios suscepisse dixerunt, pro heterodoxis habiti sunt.

Non magis damnandum genus humanum esse ob Adami inobsequentiam dicit, quam cæteros Apostolos ob Judæ proditionem. Qui Originem de peccato originali non catholice sensisse putant, Eusebium ex Origeniana disciplina, in qua eductus fuit, hæc hausisse opinabuntur. Nam is, ut ignorat nemo, Origenianis semper partibus hæsit. Verum in hodiernis Origenis scriptis nihil non sanum et orthodoxum de peccato originali traditur.

Quod Eusebium vero spectat, duo forte possint ad purgationem ejus proferri; primo locum superius allatum, non integrum, sed truncatum fuisse : ut hinc manifeste arguitur, quod ipse se superius indicasse testificetur, calcaneum iniquitatis esse Adami inobsequentiam, quod nusquam alias in his commentariis habetur; secundo quod alibi in his Commentariis peccatum originale admittere videatur : sic in hæc verba Psalmi L : « Ecce enim » in iniquitatibus conceptus sum;» ait infantes non in matris iniquitatibus, sed in suis, nasci.

ANNOTATIO (2). pag. 89.

Ex præsenti ratiocinio sequi videtur Christum verum esse Deum comparate ad homines, qui aliquando Dii appellantur, non comparate ad Patrem, sive Deum universorum, juxta quem nec vere nec proprie Deus dicitur : quod a veritate catholica evidenter aberrat.

ANNOTATIO (3). pag. 253.

Eadem hic ac in superiori annotatione observanda occurrunt : Verbum est similitudo Patris, quæ Patrem in omnibus adæquat, non autem quæ minor vel inferior existat.

ANNOTATIO (4). pag. 365.

Hic agit Eusebius de priscæ illius Ecclesiæ ritu, quo Dominica die primo diluculo in Ecclesia coacti Christiani populi Deo confitebantur, cum peccatorum sordes per

sinceram ad Deum emissam confessionem deplorantes, tum pro collatis beneficiis Deo gratias agentes : nam utroque modo confessionem edi non semel docet Eusebius. Quod autem de illa tantum confessione matutina, in cœtu Ecclesiæ edenda, hic agat Eusebius, propalam ex præcedentibus est. Nam cum psalmus ille, inscriptus, « In » die Sabbati, » sic exordium ducat, « Bonum est confiteri » Domino, » hic Sabbatum pro Dominica positum asseverans, nonnisi de matutino Dominicæ conventu pertractta ille : sic enim habet : « Quare ut ea die conveniamus tra- » ditum nobis est, et ea quæ in Psalmo jubentur nobis » exequi præceptum est, quorum primum est confiteri : » moxque adjicitur illa superius allata clausula, qua dicitur par non esse hominibus, scilicet Christianorum cœtui, confiteri, sed Deo. Quæ sequuntur pariter ad matutinum illum conventum pertinent. Ea est igitur Eusebii sententia, non oportere in cœtu Christianorum, ac in matutinis conventibus peccata publice et alta voce confiteri, sed uni Deo corda scrutanti conscientiam aperire suam. Cui accinit Basilius in epistola ad clericos Neocæsarienses, ubi sic habet ; « A nocte apud nos populus vigilias agit in domo » orationis, ac in labore, contritione et lacrymarum con- » tentione confitentur Deo : » et paucis interjectis, « Die » jam illucescente, omnes simul, quasi uno ore et uno » corde, confessionis psalmum Domino referunt, singuli » pœnitentiæ verba quasi sua proferentes. » Hæc una confessio est, de qua hic Eusebius agit. Nam confessionem saltem publicam homini faciendam, ne heterodoxi quidem hodierni tunc in more fuisse negant. Quare cum hic Eusebii locus non magis contra privatam, quam contra publicam confessionem afferri valeat, neutram vere impetit. Certe in Hist. Ecclesiastica legem confitendi peccata iis, quibus solvendi facultas conceditur, aperte memorat Eusebius : nam de Philippo Imperatore agens hæc habet, lib. III, c. XXXIV. « Narratur hunc, Christianus cum esset, in die postremi » Paschæ pervigilii, precationum Ecclesiæ cum reliqua » multitudine participem fieri voluisse ; sed non prius ei

» ab eo, qui isthic præerat, aditum concessum fuisse, » quam confessus esset, ac iis qui lapsi fuerant et in pœ- » nitentium ordine stabant, se adjunxisset. Alioquin ob » ea quæ admiserat crimina nunquam ab illo admissus » fuisset. » Ubi vides, testificante Eusebio, confessionem peccatorum homini factam, necessariam prorsus fuisse. Eo respicit item quod habet his in Commentariis Eusebius, ad versiculum, « Quoniam iniquitates meæ supergressæ » sunt caput meum, sicut onus grave gravatæ sunt super » me. His docemur, ne mala occultemus nostra, ceu pec- » cata ceu quemdam nigrorem et corruptionem in intimo » animæ concludamus. » Non Deo autem, cui arcanum nihil, occultare peccata vetat; sed hominibus qui et medendi et peccata solvendi potestate donati sunt.

INDEX

TOMI TERTII VIGESIMI.

FINIS INDICIS.